



5386

45  
211





SACRÆ DISSERTATIONES,  
PRÆSERTIM CHRONOLOGICÆ  
in Divinam Scripturam.

Ad utilitatem maxime huiusque sacri Eloquij  
Cathedralarum in Scholis, ac Lectorialium  
Canonicatum Candidatorum.

TOMUS TERTIUS.

Continens præcipua, quæ ad temporis rationem in  
Libro primo, & secundo Esdra, iudith, & Esther  
attinent, nec non ad initium, & finem septuaginta  
Hebdomadum, quas Daniel prænuntiavit, in  
idque erodantur plura alia Sacra  
Pagine loca.

AUCTORE P. VINCENTIO MASCARELL  
Valentino,  
E SOCIETATE JESU,

Collega olim in Maiori Sanctæ Crucis Pintiano  
Collegio, deinde in Regio Salmanticensi Societatis  
Iesu Scholasticae Theologiae, & Sacrae Scripturae  
Professore, nunc Pintia in Ambrosiano  
Studiorum Praefecto.

Cum dupli Indice I. Dissert. & Sect. II.  
Præcip. Quæst. & Locorum Sacrae Script.  
ad quæ illæ referuntur.


---

SUPERIORUM PERMISSU.

Anno Domini 1725.

---

VALLIS-OLETI : Ex Typographia ILDE-  
PHONSI A RIEGO.



DIVINI SOLIS  
PURISSIMÆ MATRI,

QUÆ GENITOREM IPSA SUUM  
sancta concepit in aluo ; & nato est genitrix , &  
sibi Virgo manet.

SACRATISSIMÆ MARIÆ

DESERTORUM MATRI  
VALENTINORUM AUSPICATISSIMO  
Syderi.

BEATISSIMA VIRGO PARENTS.

 Ettius iste Libellus, qui immenso sacre  
Paginæ æquori se credidit. & ipsius  
quadantenus referare abdita, sibi  
præfixit scopum, non Tyndati ge-  
minata seminis lampade; sed, te irradiante maris  
Stella, omnibus adorata votis, securius ab an-  
choris soluit; & quidem appositè nunc posset  
elegans dicere Poeta.

Non enim unquam sydere tanto  
OEBALIJ micuere Dij.

Te Davidicam clavem exoptat; quæ, cum pro-  
fundiſſimam divine sapientiæ, ultraquam credi  
valeat, penetrasses abyſſum, ut, quantum finè per-

*sonali unione creature conditio patitur, luci inac-  
cessibili videaris immersa, iudicio D.Bern. serm.  
sup. signum magnum) Ariadnæ aureum mihi ex-  
plicabis tui tutaminis filum, quo per irremea-  
biles Scripturarum semitas, per flexuosos suprà  
hominis captum meatus, difficilem tamtoperè  
metam contingam felicitè. Tertius numero,  
sed munere prior, & voto, te Patronam depos-  
cit; nec mysterio vacat, numero tertium adesse,  
qui prior numeratur amore; etenim, si ex Phi-  
losophi eloquio, *omnia in ternario claudantur*,  
cum duo antea editi tibi, alio licet cognomine,  
in scripti glorientur, tibi iterum, ut ille, inscri-  
buntur, ut in triplicatæ istius hostiæ mystico  
munere acceptam feras, quidquid malus grata-  
bundus animus tibi posit offerre: tibi, Sacratissi-  
ma Desertorum Patens, inscribo, quod, te ipsa  
Iuculeq[ue]r faunrice, vel inspirante, scribo; si  
quæ in hisce scriptis fulgura distantibus, & se-  
motis irradiaat, quæ & Lernæa hæreticorum  
ora confringant; si quæ sint voces, quæ & pro-  
pinquos etudiant; si quæ tonitrua, quibus alta,  
& meis sublimiora viribus intonent; ea velut ex  
floribus, ex virentibus semper sacramum Scrip-  
tarum lauretis intertextam corollam, ante te  
mitto, quæ Triados omnium gratiarum ornata,  
gemmis nobilitatibus thronus, à quo fulgura, voces,  
tonitrua procedant; fulgura, nam si quis semo-*

tos suis edocet scriptis, & hereticorum ora confringit, à Mariano id habet thronos voces; nām quis doctrina sua propinquos erudit, hoc à Maria bausit; tonitrua; si enim quis alta, & sublimia intonet, hoc de Maria sapientia provenit, ut scire, ac meritò perdoctus annotat Silveita, comment. In cap. 4. Apocalyp. V. 5. q. 18.

Nec eo solo de nomine, quod liber sis incomprehensus, quæ Verbum, & Filium Patris legendum mundo exhibuisti; iuxta Div. Epiphanium, vel quia, cum sis scientiarum scientia sanctarum, ut te compellat, D. Bern. in Salv. à qua nempe uberrimas doctrinæ lymphas omnes, præsertim paginæ Sacrae Doctores, ebibunt, adeo quidem, ut vel tenellus infans Deus sub tua disciplina discipuli speciem præferre voluisse, afferente D. Ildeph de Verg. Mar. non solum inqæā, his iustis titulis, opus istud, licet levidēse tibi debetur; specialiora quippè vincula ad id muneris me adiungunt; imo, ut acceptū habeas, piissima Deseritorū Mater, nondūm enim communes spiraveram auratas; nondūm penè istius ad vitæ oras peregrinus deveeneram, cùm tuæ faventiae Aris, ut te, in Mundi deserto, Matrem desertus fortiter, & sors, & parentum votum exhibuit; te clarissimo iubare, te cynosura clariori adolevi; & per longos meæ vitæ trahentes suuissimum meæ vitæ spiraculum novi: à primis literatum ele-

mentis, te cœlesti nobiliori Aquila suspecta, pri-  
marum artium horridas teneris ætate ingenij  
devici tenebras, & sicut Aquileam implumem  
penè progeniem sub pennis augusta contegit  
Mater, & humeris extollens, ut numerosus  
præcinctus Poeta,

*Consulit ardentes radios, & luce magistra,  
Natorum vires, ingeniumque probat.*

Sic sub tux celstitudinis alis protectus non vnius  
artis, radiolum aliquem ebiberé aggressus sum:  
& cum sis, aiente Joanne Geometra, *Hym. 14.*  
*Advocata sapientissima, iuria civilia, & Canoni-  
ca in summo sciens, licet Davus sim, te Oedipo-  
de, Pontificij, & Cæsarei Juris in implexa enig-  
mata incumbere curavi, & quod omnis fe-  
licitatis apicem mihi atulit, cupiditatis laqueiss,  
æternitatis studia præpedientibus, supremum  
vale dixi & inde te indigitante viam, Iesuadum  
castris, que te ab incunabulis Duætricem gra-  
tantem agnoscunt, nomen faustissime dedi: sed  
quid in tuis erga me memorandis pietatibus im-  
moror? brevi dicam, cum pio Jacob. de Voræ-  
gine, in *Mariali, serm. 1.* *Est tua, o Virgo, manus*  
*tornatilis, que levi motu nostri desiderij citè move-  
tur. O velociter ad nostrum auxilium venit, quo-  
rumque vocetur.**

O quantis Valentina tellus delicijs affluit à  
tempore, quo Angelicis constructa manibus, tuæ  
do-

dominationis in ea sedem locasti ! O quanta li-  
liorum argentea virga, quam in sceptrum erigis,  
beneficia ingeminat, prodigia profert, & favo-  
res germinat ! Et

*Uno avulso, non deficit alter*

*Aureus, O simili frondescit virga metallo.*

Quot miseri, vt fettor, vita functi, dum humi  
insepulti iacebant, virga, quam manu tenes,  
in eam, in qua decumbebant, inclinata partem,  
supremo tumulantur honore, & ipsis, te inspi-  
rante, piæ sacrantur inferiae ! Tu Valentia non  
modò, verùm exteris etiam, tuum auxilium pos-  
centibus, vna cum voto gratiam exhibes ;  
& vt cum D. Bernard. eloquar serm. 7. de B. Virg.  
*Omnibus omnia facta sapientibus, & insipienti-  
bus copiosissima charitate debitricem te facis, omni-  
bus misericordie finum aperis, O de tua plenitudi-  
ne accipiunt universi : Hoc Jerosolymitanorum  
equitum munera in tuo pendentia Templo luce  
perenni concinunt, dum in singulorum corde, &  
affectionibas, nobiliores, quam Cypriæ Deę in Gny-  
do, & Papho, atæ eriguntur tibi, & victimæ mac-  
tantur. Salve igitur, dulcissimum Valentino-  
rum decus : Salve, fulgentissimum Edetano-  
rum Regni diadema : Salve, securissimum salutis  
nostræ pignus : Tu gloria Jerusalém : tu letta  
Israël : tu horificantia Populi nosfri.*

ILLUSTRISSIMO DYNASTÆ,  
PRÆSTANTISSIMO DOMINO,  
D. FRANCISCO OCHOA DE  
MENDAROZQUETA, ET ARZAMENDI,  
PALANTINO EPISCOPO, COMITI DE  
Pernia, Regioque Consiliario.

UB proceris arboribus, in lucorum ca-  
ligine consitis, suis Numinibus hos-  
tias consuevit offerre commentitia  
antiquitatis religio: hunc deliri cul-  
tas morem, Princeps amplissime, castigatiore  
religione, ad candidiora vota, revoco, dum  
manus istud Oeiparæ oblaturus accedo. Sub te  
enim procula Ecclesiæ arbore, minimè sterili,  
sed uberrimos doctrinæ, & pietatis preferente  
fructus, sub te, non in luci caligine, verum in  
saero montis apice consito, sacras, dignasque  
mihi polliceor aras, in quibus & meæ exilitatis  
dona sacratori post Deum Numini liceat litare,  
& tibi meritos de me honores deferre: tua  
protegente umbra non modo inextinctus, sed  
gratior, sed luculentior hic pietatis ardebit igni-  
cibus in Sacratissimæ Virginis aris. Quà enim  
dig-

dignius ad sacrum humani generis humanissimum decus perveniet? Et quidem si facilius, imo vnum, virtutum est iter, quæ facilior via quam tuarum manuum, in quibus tot virtutum opera emicant? Loquatur nostrum Maius Sanctæ Crucis Collegium, Hispaniæ honos, scientiarum, & nobilitatis Ærarium cuius es immortale decus: & en digredi liceat ad Sacrosanctæ, & Catholicae Fidei interrigimi Censoris munus, quod præclarè gestisti: sicut nec minori cum laude Salmantini Athenæi Cancelarij. Hinc ad sacras Insulas pro meritis evecatus, Palantiæ Civitas, & Ecclesia, te Pastore, virtutum tuarum miratur exempla, illum præseruim, quo flagras, salutis animarum zelum, per vigili animo tuo inherentem, dum nullis partens laboribus, nullum, vel exiguum, Diceas seos oppidulum lustrare prætermisisti, ut canticis subsidium, solatiisque medellam præberes: encyclicis præterea epistolis animarum Rectores, & Concionatores omnes sui officij admourens, vt tuas rationales oves à vitiorum illecebribus ad tutissima virtutum pascua revoces: sed quò, veritate ducente, tui amor me dicit, modestia tua supremum indicente silentium? Offeras, præcor, Virgini Matri munusculum istud, vt ipsi inter alia hoc præstes obsequium, & mihi dignationis novum istud conferas documentum;

tum; imò à te mihi conferri , minime novum  
quonodò quippè silebo , licet præ multitudine  
numerare non audeam , quæ mihi Salmanticæ  
contulisti ? Quæ pietatis,& quod maximi facio,  
amicitiæ signa , fautrice forte pro tua comitate  
identidem exhibueris , hæc in mente , hæc in  
præcordijs habeo , non ut solvam , nam impossibi-  
le intenderem , cùm solverim , quod debebam , &  
iterum debeam , quod solverim , ut Gratianus Imperator ad Ausonium Magistrum aie-  
bat , sed ut sperem tibi gratum fore , hoc exi-  
mium charitatis pignus mihi præstare . Vale  
Hierarcha dignissime . Deus Opt. Max. te diu-  
sopitem tueatur .

Post dexteræ osculum ,

Illusterrimæ tuæ Dominationi  
obsequentissimus

Vincentius Mascarell.

EA:

FACULTATES RELIGIONIS , ORDINA-  
rij, & Regij Consilij habentur initio  
Tomi primi.

ERRATA.

P Ag.1. lin.7. realiter, corrige literaliter. P. 7.  
l.27. vocavit, c. vocavi. P. 10. l.22. Poroœm  
c. Proœm. P. 12. l.4 cap.1. c.2. P. 13. l.14. Cor-  
nelis, c. Cornelius. P. 14. l.23. Thcel. c. Thccel.  
P. 15. l.9. agiographi, c. agiographi. P. 18. l.1.  
prabutur, c. probatur. P. 22. l.14. impelleentes,  
c. impellentes. P. 28. l.10. aquæ, c. aquæ, l.28. fo-  
cis, c. Locis. P. 34. l.9. 18. c.8. l. vlt. factis, c. facti.  
P. 51. l.11. vrbi, c. vbi. P. 53. l.13. potius, c. poti-  
tus. P. 76. l.7. matrimo, c. matrimonio, l.16. inter-  
feci, c. interfici. P. 77. l.16. quinque, c. quin-  
que. P. 99. l.1. discrepantæ, c. discrepartiæ. P. 108.  
l. vlt. communera, c. communem. P. 127. l.16. lib.  
2. delendum, l.20. Assueo, c. Assuero. P. 144. l.1.  
societis, c. societatis. P. 149. l.8. subdicitur, c. sub-  
ducitur. P. 154. l.27 cernernere, c. cernere. P. 155.  
l.15. imperiavit, c. imperavit. P. 163. l.19. Persa-  
rium, c. Persiarum. P. 164. l.2. fluviam, c. fluvium,  
l.7. Cambysiaæ c. Cambyses. P. 176. l.20. collocan-  
dam, c. collocandum. P. 191. l.13. septimus septi-  
mus, c. septimus. P. 197. l. 27. subscriperunt, c.  
subscripscrunt. P. 199. l.20. Salaliano, c. Saliano.

P. 201. l. 20. impsa, c. ipsa. P. 202. l. 19.  
Nivitæ, c. Ninivitæ. P. 206. l. 21. interium,  
c. interitum. P. 228. l. 2. dele cap. P. 231.  
l. 21. obsecra, c. obscura. P. 239. l. 26. dicis-  
se, c. didicisse. P. 240. l. 3. quibus, c. quibus. P. 250.  
l. 15. sententia, c. sententiæ. P. 253. l. 8. petitionem,  
c. petitionem. P. 261. l. 8. animadvertis, c. animad-  
vertit, l. 17. Artaxesis, c. Artaxerxis. P. 272. l. 16.  
v. c. v. 8. P. 279. l. 20. initium, c. initium. P. 289.  
l. 18. liberali, c. literali. P. 291. l. 17. scunt, c. sunt.  
P. 292. l. 23. genelogias, c. genealogias. P. 294. l.  
26. patre, c. pater. P. 302. l. 7. instiuta, c. instituta.  
P. 317. l. 4. continentur, c. continentēt. P. 319. l. 4.  
constrictum, c. constructum, l. 14. temglum, c.  
templum. P. 326. l. 2. pr̄cipite, c. pr̄cipue. P. 330.  
l. 10. probant, c. probant. P. 336. l. 13. censendus, c.  
censendus. P. 339. l. 23. Diodo, c. Diodoro. P. 341.  
l. 16. celebra, c. celebrata. P. 355. l. 11. ac, c. hac.  
P. 358. l. 22. posteria, c. posteriora. P. 359. l. vlt.  
ratto, c. retro. P. 394. l. 3. iciderat, c. inciderat.  
P. 400. l. 22. centesimam, c. ducentesimam. P. 411.  
l. 17. nec, c. &. P. 423. l. 21. missio, c. misso.

## FEE DE ERRATAS.

**E**Stos libros, intitulados, *Sacra Dissertationes* del P. Vicente Mascarell de la Compañía de Jesvs, y con estas erratas corresponden à su original. Madrid, y Septiembre 20. de 1721.

*Lic. D. Benito del Rio y Cordido,*  
Corrector general por su Magestad.

---

## TASSA DEL CONSEJO.

**D**ON Balthasar de San Pedro y Azevedo, Escrivano de Camara del Rey nuestro Señor, y de Govierno del Consejo, certifico, que aviendose visto por los Señores de él las Obras del Padre Vicente Mascarell de la Compañía de Jesvs, en cinco Tomos en octavo, que con licencia de dichos Señores han sido impressos, y tassaron à ocho mrs. cada pliego, y los cinco Tomos parece tienen ciento y veinte y cinco, sin principios, ni tablas, que à dicho respecto montan vn mil mrs. y à este precio, y no mas, mandaron se vendan los referidos Libros, y para que conste, doy esta certificacion en Madrid à veinte dias del mes de Septiembre de mil setecientos y veinte y vn años.

*Don Balthasar de San Pedro.*

BENIG.

BENIGNO, STUDIOSAQUE LECTORI.

UT quadam tenus promissa exequar, tertium  
tibi humanissimè Lector, Dissertationum in  
Divinam Scripturam, offero opusculum; nec in ani-  
ducor spe, haud ingratum tibi fore: sacra quippe  
conscripta eloquia, prata longè amoenissima, nun-  
cupavit Isidorus Abbas, lib. 3. Epist. 388. quæ scili-  
cet nectare velut cælesti irrigua, purissimorum do-  
rum copia, & varietate redundant; Cyrillus in Gen.  
cap. 4. esse inquit floridissimum quendam agrum,  
in quo nempè thesaurus ille ab evangelio sit de-  
fossus; sed hęc, & consimilia plura, inferiora iudico,  
quām ut possint divinarum literarum claritati inē,  
& infinitam propè dignitatem, atque dulcedinem  
explicare. Et quidem in hisce, quas opera ista con-  
tinet, Dissertationibus, scitu digna, difficilimis, &  
salebrosa, in Libris Esther, Judith, ac Danielis  
enodare, adorior. Quod si quispiā opponat, Chro-  
nologica fere cuncta esse, quæ a me traduntur, nec  
tantum ea esse facienda, cum sapientia, & eruditione  
præstansimus P. Bonfrerius, inquirens, num inter  
Arphaxad, & Sale intercesserit Cainan? afferat: Et  
vero mirum est, aliquos tanti hanc Chronologiam  
facere, quasi omnia Moyses, sacrique Scriptores,  
quæ ad hanc pertinent, in manifesta luce poniere  
debuerint; cum eam Spiritus Sanctus multis locis  
videatur obscurare voluisse. Sic ille: At menti s' dis-  
sertissimi huiusc Scriptoris haud fuisse, Chro-  
nologiam

giam ex Sacra Scriptura diductā in postremis ha-  
bere, sed prēcisē humanam, à sacris eloquijs dissi-  
dētētē, quam & ego reijcio, cōpertam sit, dum  
ipse Bonferrus, infit: *Velim ego, si fieri possit, Chro-*  
*nologiam habere quām optimām; ea tamen si sine*  
*Scripturę Sacrę (quā Sacrosancta nobis esse debet)*  
*dispendio haberī non potest, valeat sanè Chrono-*  
*logia.* Hactenus ille, quem meritissimō laudat ap-  
primē eruditus P. Didacus de Quadros Com-  
plutensis sacrarum literarum Interpretēs, in *Paleſtra Biblica, Deca. I. q. 1. nn. 15.* Nec prætermittere  
possum, me adeò comitati, ac digaationi istius  
Sapientissimi Scriptoris esse devictū, dum  
meārum Dissertationum memor existit, vt ru-  
bore suffundar. Igitur lucubrationes meā in eam  
collineant Chronologiam, quā ad difficiles Divi-  
ni Eloquij locos exponendos, attinet, & ex ipfis  
præcipue derivatur, vt illorum firma, & sacra re-  
tineatur veritas; id quod valde commendatur ab  
Ecclesia Patribus, vt *tom. I. in Operis ratione, præ-*  
*libavi;* plura autem in eundem scopum, exquisita  
eruditione exhibet P. Jacobus de Monte Frio, in  
*Methodo didasc. Par. 2. Sec. 4. q. 1.* Et quoniam in  
libris Regum, & alijs, sacra historia aliorum regum  
prælia, & acta intexit, præcipue Assyriorum, Baby-  
loniorum, & Persarum; idcirco illorum tempora,  
regni initia, & fines indagare, operē pretium est,  
vt divinum Eloquium demagis elucescat, aditus  
que hæresibus præcludtur; Lutherus quippe ausus  
fuit

Sicut insciari, Librum Judithi esse Canonicum, ob  
Chronologię difficultatem, ut annotat P. Nicolaus  
Serat. Proleg. 4. in Judith. Et Profectò obscuritas,  
qua sacra contegitur Chronologia, ab illa disqui-  
renda sacerarum literarum studiosum avertere non  
debet; vniuersim quippe Divinas Scripturas adeo  
obscuras voluit esse Deus, ut per librum septem  
sigillis signatum, Apost. cap. 5. v. 1. iuxta D. Ambro-  
sium, Hieron. & alios Patres apud Cornel. intelli-  
gantur; arcanis enim eloquijs vela debebant op-  
paagi; idque, inquit D. Irenaeus, lib. 2. Advers. hære-  
ses, c. 41. Ut sempèr Deus doceat, homo autem sempèr  
discat, quæ sunt à Dio. D. Chrysost. homil. 23. in Act.  
Apost. ait: Abyssus questionum Scriptura est: Et ut  
solido innitar fundamento, Vulgatam lectionem  
diligentissimè colo, ac propugno, de cuius firmi-  
tudine quoad omnia, etiam minima, haud pauca  
dedi Dissert. 1. Sec. 30. n. 3. 4. & 5. Et Sec. 31. n. 4.  
& seqq. tum Dissert. 10. Sec. 27. & ne multis te mo-  
rer, ut in his, quæ differendo minus rectè protule-  
rim, libentius mihi ignoscas, utar D. Dionysij Areo-  
pagitæ verbis, in fine lib. de Divin. Nom. Timotheū  
alloquentis: Si hæc, inquit, aut minus rectè, aut mi-  
nus plenè diximus, & à veritate, seu in toto, seu in  
parte deviavimus: erit humanitatis tuæ corrigerre  
non sponte ignorantem scientiamque tradere disce-  
re cupienti; & curare nolentem ægrotare: & alia  
quidem ex te ipso invinta, alia vero ab alijs mu-  
tuata, cuncta autem à summo bono accepta trans-  
fundere in nos.

ANTE-

ANTELOQUIA  
AD FACILIOREM  
SACRÆ SCRIPTURÆ,  
INTELLIGENTIAM  
CONSENTANEA.

ANTELOQUIUM XIII.

*UTRUM SACRÆ SCRIPTURÆ VERBA  
aliquando significant unam eandemque rem  
mysticè, & literaliter?*

I **E**CET captu difficulte videatur,  
quod eadem res corporis  
umbra sit, & corpus ipsum;  
potiorem tamen reor sen-  
tentiam, affirmantem, eadem Sacre Scripturæ  
verba posse, sepè significare unam eandemque  
rem mysticè, & realiter; immò ita crebro intelli-  
genda esse; huic placito suam impertinentur au-  
thoritatem P. Cornelius à Lapide in Isai. Can. 3.  
Sherlogus, tom. 1. in Cantica. Antelog. II. Sec. 2.

2 Anteoloquia ad faciliorem, &c.

num. 55. post medium. Richardus Lincæus lib. 1.  
de Theol. trac. 8. cap. 24. in idque inducor pri-  
mò , quoniam ut ostendi tom. 2. Anteloq. 11.  
& 12. eadem Scripturæ verba significant plu-  
res res literaliter ; nullaque satis efficax adest  
ratio , ob quam significare non possint literali-  
tèr antitypum , & rem figuratam , ut ex dicen-  
dis constabiliū erit.

2 Secundò , quia Isaiae cap. 14. v. 12. ibi:  
Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer , &c. describi-  
tur literaliter casus Balthasaris ultimi Regis  
Chaldæorum , per schema casus Luceferi ; fuit  
enim ipse quasi alter Lucifer. Et Isaiae capit. 53.  
v. 4. de Christo Domino dicitur : Verè langores  
nostras ipse tulit , & dolores nostros ipse portavit.  
Quibus verbis in sensu literali proprio signifi-  
catur , Christum curaturum esse morbos cor-  
poris , doloresque ex ijs ortos ; illudque tulit ,  
& portavit , perinde est , atque abstulit , & af-  
portavit , sive eripuit , ut annotat Forerius in  
Isaiam , cit. cap. Caietanus in Matth. capit. 8.  
v. 17. ex quo loco id congruè probatur ; nam  
enim Evāngelista narrasset varios morbos , &  
morbidos , ac energumenos à Christo sanatos ,  
subdit : ut adimpleretur quod dictum est per  
Isaiam Prophetam dicentem : Ipse infirmitates  
nostras accepit , & agnationes nostras porta-  
vit.

Dein-

3 Deinde eadem Prophetæ verba in sensu literali saitem impropio, significant Christum curaturum morbos animi, moresque malos; illudque tulit, & portavit, perinde est, atque suscepit in se peccata nostra debito suplicio luctuosa; qui animæ morbi significantur per corporis infirmitates. Ita D. Cytillus, lib. 3. in Isaiam. D. Athanasius, Orat. 4. contra Arian. Andreas Cretensis, in Orationem 1. Apologeticam Nacianensi. D. Chrisothomus, homil. 28. in Matth. Janse-nius in Concord. Maldonatus, ac plerique alij Interpretes in cap. 8. Matth. Utramque prælibata Isaiæ verborum significantiam tradit Leo Castrius; in eandemque sententiam recidit P. Cornelius in Isaiam cap. 53. ¶ 4. §. Dico tertio. Unde fit, quod verba illa Isaiæ verè langores nostros, &c. significant literaliter peccata, & insuper mystice, quatenus peccata figurantur per corporis morbos, quos etiam literaliter significant; adeoque uno conceptu, ijsdemque verbis complectitur Spiritus Sanctus signum, & signatum, typum, & antitypum, videlicet, per Christum liberationem à peccatis.

4 Tertio, Ezechiel, cap. 24. ¶ 14. describitur Rex Tyri, quasi alter Cherub; vbi multa sunt, quæ propriè non nisi Balthasar, & Regi Tyri convenient; quædam intexuntur, quæ magis typo, idest Lucifero, & Cherubim con-

4 Ante loquia ad faciliorem, &c.

veniant, ut quod dicitur: *Dixisti, in Cælum  
conscendam, super astra Dei exultabo Solium  
meum, &c.* *O similis ero Altissimo.* Quo circa  
hic, & alijs similibus locis, est quasi parabola,  
in qua duplex est sensus literalis; primus ipsius  
parabolæ, secundus rei per parabolam signifi-  
catæ: vbi quædam hyperbolice, vel figuratè  
tantum parabolæ convenient: hæc vero ipsa  
propriè competit rei per parabolam signifi-  
catæ: uti ex adverso, illa quæ propriè parabolæ  
convenient, subinde non nisi figuratè rei per  
eam significatæ competit.

5 Quartò; nam valde probabile est, para-  
bolæ, visionesque Prophetarum parabolicas  
duplicem habere tensum literalem, pro eo ac  
docent D. Damascenus in Serm. de His, qui in  
fide hinc migrarunt. Rodericus Dolma Delga-  
tus lib. 2. de Author. Sacr. Scriptura, capit. 9.  
P. Gasp. Sanchez, in Cantic. pro leg. 4. num. 20.  
Alcazar, notat. 5. Proœmiali in Apocalyp. Vazq.  
tom. 1. in 1. par. disp. 15. cap. 4. Cornelius, in  
Isai. can. 5. Bonfrerius, tom. 1. in Genes. in Pre-  
loq. cap. 19. Sect. 2. Anton. de Guevara, in ca-  
pit. 2. Habacuc num. 124. Payva, in Doctrinali  
Scriptur. lib. 1. cap. 2. num. 11. Lincaeus, lib. 1.  
de Theol. trac. 8. cap. 24. num. 157.

6 Unde dum Matth. cap. 13. v. 33. dicitur,  
*Simile est Regnum Cælorum fermento,* quod as-  
sep-

*ceptum mulier*, &c. literali sensu verè significatur factura mulieris, quæ ex fermento, & farina massam præparat, ut sit panis, & hæc est res, quæ in exemplum, seu typum adducitur; ipsaque est prima pars parabolæ; posterior autem in qua continetur applicatio illius, seu prototypus, vbi literali sensu denotatur verbum Evangelij, & effigie citas illius: qui sensus etiam est mysticus, si ad priorem partem referatur, eo quod in re sensibili literaliter significata reconditus sit, sed in se ipso, re vera literalis est.

7 At oppones cum sapientissimo P. Francisco Ribera, in *Oseam*, capit. II. num. 11. Eadem res non potest umbra corporis esse, & corpus ipsum, nec figura, & veritas eiusdem figuræ: igitur eadem verba non possunt literali sensu significare figuram, seu umbram, atque veritatem eiusdem figuræ, corpusque eiusdem umbræ. Tum sic: sed si verba Scripturae significarent literaliter, & mysticè eandem rem, certè significarent eo ipso literaliter typum, seu figuram, umbramque, alioqui nihil significatura mysticè: nec non etiam literaliter etiam antitypum, seu rem figuratam, & umbra representatam; alioqui non significatura eandem rem simul literaliter, & mysticè: id igitur fieri, impossibile est.

8 Respondetur primò , vmbram negati-  
vam , quæ proijcitur à corpore opaco , lucem  
trans se positam inhibēte, haud esse posse ipsum  
corpus positivum, cuius similitudinem , & ima-  
ginem quandam refert ; vmbram verò positi-  
vam esse posse simul rem , quam representat,  
vnāque figuram , & rem figuratam ; subinde in  
prælibata parabola *Matth. cap. 13.* factum mu-  
lieris massam præparantis , & est vmbra sensus  
verbi Evangelici , & simul est quid literaliter  
immediatè significatum ; ipseque sensus Evan-  
gelici verbi est adumbratum , & significatum  
mysticè , per factum mulieris ; deinde est lite-  
raliter significatum ex intentione Spiritus Sanc-  
ti ; id quod verba ipsa Evangelij significant cùm  
ex intentione Christi , tum ex usu , & acceptio-  
ne hominum , ac ex proportione facti cùm sco-  
po Evangelici verbi , licet metaphorica locu-  
tione ; ad modum quo pratum virens ridere di-  
citur ob proportionem risus , & lœtitiae cùm vi-  
riditate ; nam quod sensus methaphoricus pos-  
sit esse literalis , dixi *Anteolog. 9.*

9 Respondetur secundo ; quod licet per-  
mittatur , eandem rem non posse esse simul vmbra-  
mam , seu similitudinem , & rem per eam re-  
presentatam , potest tamen vtraque representa-  
ri literaliter per eadem scripturæ verba , sicque  
eas non esse idē in esse reali , ut queant idem esse  
in

in esse intentionalis, & representativo; qua ratione esto eadem res non possit esse secundum idem Deus, & creatura, tamen eadem cognitio nostra potest representare Deum & creaturam; igitur repugnantiae nihil in eo invenitur, quod eadem Scripturæ verba simul, ex intentione Spiritus Sancti literaliter significant typum, & prototypum.

10 Obijes secundò ex eodem doctissimo P. Ribera, vbi supra: sensus literalis non est, quem verba, separata à contextu suo, sed quem adiuncta præcedentibus, & sequentibus efficiunt. Præcedentia autem, & sequentia in veteri Testamento ita tempore, loco, personis, alijsque huiusmodi coarctantur, vt simul convenire nequeant figurae, & rei, figura illa significat: non ergo significant literaliter, ac mysticè rem figuratam. Respondetur, concessò antecedenti negando consequentiam; cohærentia siquidem cum antecedentibus, & consequentibus impedimento non est, vt in aliquibus veteris Testamenti Locis, non quidem permultis, figura, & res figurata literaliter quadrent in eadem verba; adèo, & res, quæ figuratur simul literaliter, & mysticè, vt in eo Isaiaz loco præallegato, cap. 53. vere langores nostros, &c. tum Oleæ cap. 11. ¶ Ex Egypto vocavit Filium meum, cohærentia enim horum verborum, & universem in parabolis,

cum antecedentibus, & consequentibus, non obest quominus figura, & res figurata literaliter quadrent in eadem verba, adeoque, & res, quæ figuratur simul literaliter, & mysticè.

ii Oppones tertio, non esse in quo differat formaliter sensus mysticus à literali metaphorico, si verba Scriptura significant mysticè, ac literaliter unam eandemque rem. Respondeo, differre, non quidem ex re significata, sed ex modo significandi mediato, & immediato. Siquidem verba Scripturæ antitypum significantia simul mysticè, ac literaliter, quatenus eum significant literaliter, immediate eum significant, at quatenus mysticè, haud nisi mediate; typo ipso interim sibi vendicanto ex intentione Spiritus Sancti totam representationem immediatam antitypi.

#### **ANTELOQUIUM XIV.**

**UTRUM NECESSA FUERIT, IPSOS  
Scriptores Sacros ac Prophetas cognoscere omnes  
sensus literales, & mysticos verborum  
suorum?**

i **Q**UOAD sensus literales, prima sententia afferit, Scriptores Sacros, & Prophetas intellexisse omnes sensus literales, à qua sententia stant P. Vazquez

Utrum necesse fuerit, ipsos, &c. 9

quez, tom. 1. in 1. part. disp. 17. capit. 3. num. 8.  
Salmeron, Prolegom. 8. Pererius, lib. 12. in Da-  
niel. ad illa verba cap. 10. Anno tertio Cyri. Zu-  
meli, 1. part. quest. 1. art. 10. quest. 6. fin. Alfon-  
sus Curiel, lib. 2. Controvers. 1. in illud ad He-  
braeos, cap. 1. Multifariam, multisque modis, &c.  
art. 2. à num. 5.

2 Secunda sententia docet, omnes sensus  
literales Scriptoribus hagiographis innotescere,  
necessum non esse, aut fuisse; sic sentiunt P. Tan-  
nerus, tom. 1. disp. 1. quest. 5. dub. 2. num. 5. Gi-  
lliis, tract. 7. cap. 4. num. 10. Falolus, ad art. 10.  
prime pars. quest. 1. dub. 7. Antonius Quiros,  
tom. 1. in 1. part. disp. 11. Sect. 2. num. 15. Au-  
gustinus Quiros, in Cant. Moys. disp. 1. de Sensib.  
Scripturæ, cap. 25. Serarius, in Prolegom. cap. 19.  
quest. 8. Gabriel Acosta, in cap. 94. Genes. trac. 4.  
§. 3. num. 127. Payva in Doctrinali Scripturæ,  
lib. 1. cap. 11. quest. 8. Linæus, tract. 7. cap. 25.

3 Quoad tensus verò mysticos, prima sen-  
tentia inficiatur, cognitos esse omnes à Sacris  
Scriptoribus, & Prophetis, necesse fuisse, illus-  
trantque hanc partem Angelicus Doct. D. Tho-  
mas quodlib. 7. quest. 6. art. 14. Et quest. 4. de Po-  
tentia, art. 1. Payva, in Doctrinali Script. lib. 1.  
cap. 19. Molina 1. part. quest. 1. art. 10. disp. 4.  
§. Quod si quis petat. Vazquez, ibidem, disp. 17.  
num. 10. Tannerus, tom. 1. disp. 1. quest. 5. dub. 2.

Jus-

*Justinianus in Ep. ad Hebræos, cap. 1. v. 5. Bonfrerius, tom. 1. in Genes. capit. 20. Præloquiorum, Sect. 6. & plerique alij.*

4 Secunda sententia tuetur, nullum sensum mysticum potuisse latere Scriptores Canonicos, & Prophetas, à qua opinione stant aliqui Recentiores.

5 His prælibatis, asserendum videtur primò, necesse hand esse, quod Scriptores Canonici, & Prophetæ sempèr perfectè, & quoad omnes circumstantias sensum literalem cognoverint: hæc assertio est communis; siquidem plerique PP. & Interpretes identidem sic sentiunt, ac præsertim D. Gregorius, homil. 1. in Ezechielem. Ambrosius, lib. 1. de Abraham, cap. 8. Hieronymus, lib. 1. contra Pelagianos. ad finem. Chrysostomus, in Psalm. 127. Illustrissimus Abulensis, quæst. 5. in cap. 18. Deuteron. P. Lorinus, ibidem. Sherlogus, in Cantica, tom. 1. Ante loq. 1. Sect. 7. Et Ante loq. 5. Sect. 1. num. 7. Et Ante loq. 7. Sec. 1. num. 6. Ribera, & Sanchez, in cap. 3. fone. Cornelius, in Porœam. ad Prophet. maiores, quæst. 2. Lincæus, lib. 1. tract. 8. capit. 25. num. 183. Gabriel Alvarez, tom. 1. in Isaiam, capit. 38. v. 5. Martinez, in Hypotyp. lib. 4. capit. 1. §. Quamvis Prophetæ.

6 Probatur ex D. Augustino, lib. 7. de Civit. Dei, capit. 33. aiente: Prophetæ quædam intelligebant,

bant, quædam non intelligebant: tum ex Angelico Doct. D. Thoma, 2. 2. quæst. 172. art. 4. ad 2. Et quæst. 173. art. 4. corp. vbi ad finem, signanter, sic docet: Sciendum tamen, quod quia mens prophetae est instrumentum deficiens, ut dictum est, etiam veri prophetæ non omnia cognoscunt, quæ in sorum vissis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit. Sic ille, quem sequuntur eius Interpretes. Subducitur autem ex Danielis, cap. 12. ¶ 8. afferentis: *Et ego audivi, & non intellexi: & dixi: Domine mi quid erit post hæc?* & ait: *vade Daniel, quia clausi sunt signataque sermones usque ad præfinitum tempus.* Unde liquet, Danieli quoque fuisse clausos, nec eum illorum explicationem accepisse. Sic Zacharias, cap. 6. videns quatuor quadrigas variorum colorum dixit Angelo ¶ 5. *Quid sunt hec domine mi.* Et ab eo audivit: *Isti sunt quatuor venti.* Porro qui, & quales sint hi venti, an literales, an potius parabolici, & mystici, non audivit.

7 Sic etiam Jonas, cap. 3. ¶ 4. prædixit, adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. An verò hæc prædictio fuerit conditionalis, an absoluta, tunc non intellexit; & propterea cum Ninivitæ credidissent in Deum, & conversi fuisserent de via sua mala, eorumque miserritus esset Dominus, nec subversionem eis immisisset; cap. 4. dixit Jonas: *Obsecro Domine, numquid non*

*non hoc est verbum meum, &c proinde colligitur Jonām non penitus intellexisse illud suum, & à Deo acceptum vaticinum. Idem sicut ex lib. i. Paralip. cap. i. ¶. 53. ibi: Fuerunt autem filij Sobal, patris Cariathiarim, qui videbat dimidium requietionum. Et ¶. 54. filij autem Salma, patris Bethlehemensis, & Netophatbi corona domus Joab, & dimidium requietionis Sarai. Ubi, ex D. Hieronimo animadvertisit P. Cornelius, quod Sobal dicitur, fuisse Prophetam; Prophetæ enim vocabantur *videntes*, id est, prævidentes, & prædicentes, quasi diceretur, Sobal erat videns, id est prophetabat, sed ex dimidio dum taxat, id est, non plenè, & perfectè videbat cælestia, ubi est locus requietionis.*

8 Imò S. Ioannes Apostolus in Apocalypsi, licet maiores, & clariores alijs Prophetis accepit revelationes, utpote existens Propheta Novi Testamenti, isque ultimus inter Scriptores hagiographos, atque discipulus ille, quem diliebat Iesvs, tamen an omnia symbola quæ vidit, intellexit, dubium est, ut annotat P. Cornelius; exemplique adducit, an intellexerit precise, & clarè, *capit. 4. quid significantur viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, quorum primum simile erat Leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum Aquilæ, & plura alia; quo circa S. Hieronimus in Prologo Galeato, de Apoc-*

lypsi scribit, eam tot habere sacramenta, quot verba; quæ sanè omnia non intellexisse D. Ioannem, nec quemquam mortalium, credibile putat Cornelius.

9 Assero secundo cum P. Molina, i. part. quæst. 1. art. 10. disp. 4. §. Quod si quis querat. quòd excellentiores Prophetæ v.g. Moyses, David, Ioannes Evangelista cognoverunt sensus spirituales, qui sub scripturis latebant; nec tam videtur verosimile omnes omnino agnoscisse; id quod videtur consonum menti D. Hieronymi, aienti, Apocalypsim tot habere sacramenta, quot verba: & aperte ab assertione nostra stat P. Cornelius, proximè laudatus.

10 Assero tertio: Scriptores Sacri cognoverunt aliquem saltem sensum literalem, aut etiam mysticum sub literali contentum in his quæ dixerunt, aut scripsere. Probatur primò ex D. Hieronymo, *Proæmio in Nabum*, ibi: *Simul & hoc attendendum, quòd bæc ipsa vel assumptio, vel onus, vel pondus Prophetæ visio sit: non enim loquitur in extasi, ut Montanus, & Prisia, Maximillaque delirant, sed quod prophetat liber est visionis intelligentis universa, quæ loquitur.*

11 Secundò, quoniam ideo Pharaon, *Genesios cap. 41. à V. 1.* referens septem illas boves macilentes, quas vidit in somnis devorantes alias septem pingues, septemque spicas tenues de-

devorantes totidem plenas; & similitèr Balthasar postremus Babyloniorum Rex, *Danielis cap. 5. ¶ 7.* referens, vidisse se articulos manus scribentis in pariete, nequaquam fuerunt prophetæ, quia scilicet non cognovere ullum sensum mysticum, aut literalem intentum ab Spiritu Sancto per visiones illas, quas eis obiecit.

12 Assumptum ostenditur, nam, ut patet ex Sacro textu, futuros in Ægypto septem annos sterilitatis post septem abundantiæ, qui fuit sensus mysticus prioris visionis, didicit Pharaon ex Josepho; & Balthasarem, eiusque Regnum peritum, qui fuit sensus mysticus posterioris visionis, didicit itidem infelix ille Rex ex Daniele. Nec literalem ullum sensum perceperunt; nam quod attinet ad Pharaonem, verba, quibus retulit visionem, nullum habuerunt sensum literalem proprium, sed tantum impro prium, & metaphoricum, quem Pharaon non fuit assequutus nisi per Josephum, cui materialiter vix illam retulit.

13 Quòd verò spectat ad Balthasarem, ille nullatenus intellexit verba illa, *Mane, Thesel, Phares;* imo nec verba ipsa legere, scivit; cum sic loquatur *Danielis cap. 5. ¶ 7.* *Quicunque iegerit scripturam hanc, & interpretationem eius manifestam mihi fecerit, &c.* At Scriptores Sacri saltem sensum aliquem literalem verborum syo-

suorum, & visorum penetrabant, & sic, revera, prophetæ erant: vnde fit, nec Pharaonem, nec Balthasarem fuisse prophetas; ac proinde dici non posse, quod meri amanuenses fuerint veri Prophetæ; id quippe esset contra quod eorum dignitas postulabat; ad amanuenses enim non attinet, sensum ullum literalem aut mysticum eorum quæ scribunt, percipere; id quod asserimus esse proprium Prophetæ, & agiographi scriptoris; & licet nonnunquam amanuenses, quæ scribunt percipient; id de materiali, & per accidens evenit respectu talis munericæ cæterum Prophetæ ex formalí dignitate sua, & dono Spiritus Sancti intelligebant aliquem saltē sensum literalem, licet non omnes quandoque perceperint.


14 Sed opponat quispiā primò, quod Namer. cap. 22. v. 28. de Balaami asina dicitur: *Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutimē? ecce iam tertiodi.* Tamen nec verè & propriè illa locutio fuit asinæ; illæ quippe voces non ab asinæ anima, aut mente, sed a movente extrinseco, nempè ab Angelo, in ore asinæ formabantur; adeoque locutio illa non fuit asinæ vitalis; quia non vi animæ, nec phantasie ipsius, sed ab Angelo producebatur: multo minus fuit vitalis ipsi Angelo, sed in aere, & ore asinæ recipiebatur; propterea licet in ore asinæ

asinae & non sine organis ipsius, ideòque dicitur asina locuta; at quia eius organa sufficere non poterant ad voces articulatas emittendas, nec illæ vitaliter procedebant ab asina, idcirco propria locutio non fuit, ita P. Cornelius in hunc locum, & alijs, nullatenus igitur asinam prophetasse, dicendum.

15 Opponat secundò, *Ioan. cap. 11. v. 49.*  
*& 51. de Caipha Pontifice*, cum in Concilio dixisset: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro Populo,* & non tota gens pereat: subdit Evangelista: *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente.* At Caiphas id non intelligebat; igitur non opus est, quod propheta sensum aliquem literalem, aut mysticum percipiat. Respondetur primo ex Chrysostomo, Cyrillo, Augustino, Beda, & alijs, non Caiphæ meritis, sed Sacerdotali officio datum fuisse, ut prophetaret. *Hic docemur*, inquit Augustinus, *tract. 49. etiam homines usalos, prophetie spiritu, futura predicare, quod tamen Evangelista divino tribuit Sacramento.*

16 Responderetur secundò ex Angelico Doct. D. Thoma 2. 2. quæst. 173. art. 4. corp. quod, cum aliquis cognoscit, se moveri à Spiritu Sancto ad aliquid affirmans, vel significandum verbo, vel facto, hoc propriè ad prophetiam per-

tinet, cum autem moverit, sed non cognoscit, non  
est perfecta prophetia. Caiphas autem nec cog-  
novit, se moveri à Spiritu Sancto, nec sensum  
vllum à Deo intentum; quapropter, propriè  
propheta non fuit, ut Origenes, & Cornelius  
à Lapide annotant; quia Spiritus Sanctus per os  
eius locutus est, sicut Angelus locutus est Ba-  
laam impiò per os asinæ, Numer. cap. 22. & seqq.  
quod intellige quoad locutionis modum **cum**  
discrimine prælibato humanæ ab asinina; in-  
tendebat enim ipse, Christum esse tollendum,  
ne propter eum populus à Romanis vastaretur;  
& scelestissimè verba Spiritus Sancti detorsit ad  
necem Christi: vnde S. Chrisost. ait, Spiritum  
Sanctum Caiphæ linguam, non cor movisse:  
quippe Spiritus Sanctus intendebat, expedire,  
Christum mortem subire, ut spiritualiter libe-  
raretur totus orbis: appositiè inquit P. Titinus,  
**Caipham prophetaſſe non formaliter, ſed**  
**materialiter, Spiritu Sancto linguam**  
**eius movente.**



## ANTELOQUIUM DECIMUMQUINTUM.

**SEN** **S** **U** **S** **O** **M** **N** **I** **S** **M** **Y** **S** **T** **I** **C** **U** **S** **I** **N** **S** **E** **N** **S** **U**  
 literali vero fundari debet: exponunturque in id  
 text. Apost. 2. ad Corint. cap. 3. v. 6. Et lib. 2.  
 Reg. cap. 7. v. 14.

1 **I**D quod prabutur auctoritate Patrum,  
 Interpretum, & Scholasticorum, qui  
 omnes ita sentiunt, praesertim D.  
**H**ieronymus, Praefatione ante lib. 1. in Isai. Un-  
 de, inquit, post historie veritatem spiritualiter  
 accipienda sunt omnia. Et lib. 5. in Isai. cap. 13.  
 v. 18. ibi: Hec dicimus non quod tropologicam in-  
 telligentiam condemnemus, sed quod spiritualis  
 interpretatio sequi debeat ordinem historie, quod  
 plerique ignorantes lymphatico in Scripturis vagan-  
 zur errore. Et ad illud Abdiæ v. 2. Ecce parvulum  
 dedite, ibi: In interpretatione prophetica debemus  
 morem nostrum sequi, ut primum historiae fun-  
 damenta iaciamus: deinde, si possumus excelsas  
 surres, & tectorum culmina subrigamus.

2 Consignat D. Augustinus, serm. de Abra-  
 ham, & immolati. Isaac. Admonemus, inquiens,  
 quantum possumus, & praeципimus, ut quando  
 auditis exponi Sacramentum Scripturae mandan-  
 sis, que gesta sunt, prius illud factum esse, creda-  
 sis

tis sic gestum, quomodo lectum est, ne substracto fundamento rei gestae, quasi in acre queratis edificare. D. Chrysostomus in 2. Proem. in Psalm. ibi: Non enim adversatur historia sublimiori contemplationi: sed contra ea est basis, & fundamentum altiorum intelligentiarum. Illustrissimus Abulensis tom. 4. in D. Matth. quæst. 29. in capit. 16. dilucide ait: Sensus mysticus semper supponit literalem: necesse est enim quod quilibet Scriptura habeat unum sensum literalem, qui est verus sensus illius, & super illum possunt fundari mystici. Paulus Burgensis, in additionib. ad Prolog. Liræ, ibi: Spiritualis expositio semper debet habere fundamentum ab aliqua literali expositione. Concinunt Hieronymus Laetetus Proem. in Sylvam Allegoriar. Martinus Martini Cantapetrensis, lib. 1. Hypotyposeon. P. Salmeron Proleg. 12. can. 2. Ribeta, Prælud. 1. in omnes Prophetas minor: & alijs in locis. Petrius tom. 4. in Genes. cap. 15 num. 52. ac identidem Interpretes. Ex Scholasticis Angelicus Doct. D. Thom. 1. part. quæst. 1. art. 10. ad 1. hisce verbis: Et ita etiam nulla confusio sequitur in Sacra Scriptura cum omnes sensus fundentur super unum scilicet literalem. B. ac Magnus Albertus in Sum. tract. 1. quæst. 5. mem. 4. & Melina, in 1. part. q. 1. art. 10. disp. 4. & alij complures.

3 Ratione idem fulcitur, quoniam super

mendacium non potest fundari veritas , multos  
que minus sensus mysticus intentus ab Spiritu  
Sancto fundari potest in sensu literali fallere.  
Tum quia aliter latissima aperiretur ianua ad  
errores , quos quisque voluerit , comminiscen-  
dos.

4 At opponunt haeretici , tam huius , quam  
superioris xvi : *Litera occidit , spiritus autem  
vivificat , iuxta Apostolum ad Corinth. 2. cap. 3.  
v. 6.* Litera autem sensus ve literalis non aliter  
occidit , quam fallendo : igitur spiritus vivifi-  
cans , spiritualis ve seu mysticus sensus suppo-  
nit sensum literalem haud raro falsum , eique  
innititur.

5 Respondetur , primo iuxta Chrysostomum , Ambrosium , & Augustinum , lib. 3. de  
*Doctrina Christ. cap. 4.* quod litera occidit , quia  
litera legis redarguit , & poena mortis condem-  
nat eos , qui huic literae , id est legis præceptis  
iustitie , & charitatis non obsequuntur. Sic *Levit.*  
*cap. 20.* dicitur : *Qui legem violarit , morte moria-  
tur.* Secundo idem Augustinus , ibidem , inquit:  
litera occidit , si videlicet nudis verbis , neglec-  
to vero Scripturæ sensu , ad errores abutaris , ut  
faciunt haeretici , & Judæi. Tertio idem D. Au-  
gust. *cap. 5.* & 6. literam occidere ait , si que  
metaphorice dicuntur , ad literam ut sonat ,  
capiantur. Plures alias expositiones invenire

Sensus omnis mysticus, &c. Ante l. 15. 21

erit apud B. Augustinum lib. 15. contra Faustum,  
cap. 8. & de Spiritu, & litera, cap. 4. Doctorem  
Angelicum D. Thomam, 1. 2. quest. 16. art. 2.  
Card. Bellarmiñum, lib. 1. de Verbo Dei Scrip.  
cap. 3. P. Vazquez, tom. 1. in 1. part. quest. 1.  
art. 10. disp. 16. capit. 4. num. 14. Serarium in  
Proleg. cap. 9. quest. 3. Cornelium à Lapide in  
Epist. 2. ad Corinth. cap. 3. ¶ 6. & alios.

6 Opponunt secundo: cum de Salomo  
ne ad literam dicitur, lib. 2. Reg. capit. 7. ¶ 14.  
*Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium,*  
hæc verba de eo vera esse non possunt, cum  
namen mysticè significant Christum, de que eo  
sic explicitur à D. Paulo ad Hebreos, capit. 1.  
¶ 50. Sensus ergo mysticus fundatur in litera-  
li falso. Assumptum probari videtur; quoniā ver-  
ba, quæ ad illa, *ego ero ei*, &c. antecedunt in lib. 2.  
Reg. quibus cohærenter annexanda quæ præli-  
bavimus, sunt ista: *Cumque completi fuerint dies*  
*tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo se-*  
*ment tuum post te, quod egredietur de utero tuo,*  
*& firmabo Regnum eius. Ipse edificabit donum*  
*nomini meo, & stabiliam thronum Regni eius usq[ue]*  
*in sempiternum;* quibus verbis significatur,  
& Salomonem nasciturum, Davide iam mor-  
tuo; & etiam post mortem eius in possessionem  
Regni ingressatum, & thronum eius haud de-  
fectum vñquam.

7 At Salomon natus fuit , non quidem mortuo Davide , sed ipso vivente , annoque Regni Davidis vigesimo primo , vt cum Tor- niello , Pineda , & alijs edocet P. Salianus , *ca. 3.*  
*Anno Mund. 3000.* David autem quadraginta annos regnavit: imo ab eo adhuc vivente Regnum accepit Salomon , *vt ostendimus tom. 2. dis- sert. 6. Sect. 1. num. 3.* & seqq. Deinde thronus Salomonis defecit in captivitate Babylonica: Rursus quæ sequuntur verba videlicet: *Et fide- lis erit domus tua,* &c. haud possunt esse vera de Salomone , cuius domum impleverunt mulie- res alienigenæ , eæque idololatræ , & ipsum ad idololatriam impellelentes.

8 Quod autem prædicta verba : *Ego ero ei in patrem,* &c. sint , quemadmodum præli- bavi , ad literam de Salomone , probatur *ex lib. I. Paralip. cap. 28. v. 5. 6. & 7.* ibi : *Sed & de fi- liis meis , filios enim mibi multos dedit Dominus , elegit Salomonem filium meum , vt federet in throno Regni Domini super Israel , dixitque mibi , Salomon filius tuus ædificabit domum meas , & arria mea : ipsum enim elegi mibi in filium , & ego ero ei in patrem.* Confici ergo videtur ex dictis , fundari posse sensum mysticum verum super literalem non verum.

9 Pro elevanda præ exarata difficultate , primò dixerat aliqui , quædam ex hisce quæ ha- ben-

bentur die. lib. 2. Reg. capit. 7. ¶ 14. ad literam competere Christo, quædam autem Salomoni. Ita Theodoreus, & Procopius. Secundò alij ad literam omnia attribuunt Christo, ille enim est solus verus Dei filius, & Regnum eius eternum: ita Glossa, & Angelomus Tertiò Litanus, & Illustrissimus Tostatus hæc ad literam accipiunt tamen de Christo, quam de Salomone.

10 Quartò Hebræi, & multi ex latinis, quibus adstipulatur P. Cornelius, ad literam interpretantur de Salomone, allegoricè, & mysticè de Christo; quoniam loquitur de eo, qui post Davidem erat fabricaturus Templum, quod ædificare volebat David, sed prohibitas fuit à Deo. Hic autem non aliis fuit quam Salomon. Verum, quia Salomon erat typus Christi, qui ædificaturus erat Ecclesiam novam Dei, quæ longè erat potior Templo, idque in spiritu prævidebat Prophetæ, eoque aciem mentis, & spiritus sui intendebat, hinc allegorico, sed potiore sensu, hæc dicuntur de Christo: & nonnulla quæ hic dicuntur, tenuiter, & incohate duntaxat competunt Salomoni, plenè vero, & perfectè Christo, ut Tò, ego ero ei in patrem, & ipse erit mibi in filium. Et firmabo thronum Regni eius usque in sempiternum. Sic P. Cornelius à Lapide in lib. 2. Reg. capit. 7. & in Epist. ad Hebreos. cap. 1. ¶ 5.

11 Unde in sensu vero literali fundatur allegoricus ac mysticus loci , quem expendimus; obiectaque haud difficulter infringuntur: quod enim dicitur: *Cumque completi fuerint dies tui,* &c. *Suscitabo semen tuum*, appositié literaliter intelligitur de Salomone , licet enim ipse natus fuerit vivente Davide , Rexque fuerit designatus, & factus : tamen David usque ad mortem mansit Rex, & regnavit; simo solus David iubebat omnia, & Salomon erat tanquam si non esset Rex, ut inquit Illustrissimus Abulensis, q. 9. in cap. 7. lib. 2. Reg. Vel ut inquit Lira , ista suscitatio intelligitur quantum ad Regni stabilitatem, quam Salomon adeptus fuit post Davidis obitum, quando Adonia, & Joab interfectis, disoluta fuit colligatio eorum, qui favebant Adoniam.

12 Vel potius, quia licet Salomon pro Rege se se gesserit vivente patre , aut simul cum eo regnaverit, ut prælibavi *Dissert. 6. Sect. 1. num. 3. &c. seqq.* nihilominus non ante, sed post mortem Davidis ad illam Regni sui magnificantiam, & splendorem erectus, & exectus est; id quod significatur hebraica lectione , in qua pro *suscitabo*, est *kakimotj*. Consimiliter in promissione illa , *&c. stabiliam thronum Regni eius usque in sempiternum*, particula *in sempiternum*, seu quod per inde est, *in eternum*, signi-

ficit longum tempus, non verò durationem si-  
ne fine, sic quippè in Scriptura frequentè su-  
mi, edocent D. Augustinus in questionib. in  
*Genes. quest. 13.* vbi ad id explicandum addu-  
cit verbum Horatij lib. 1, epist. 10. serviet eter-  
num, qui parvo nesciet uti. Pererius disp. 4. ad  
illud Genes. cap. 13. v. 15. omnem terram. quām  
conspicis, tibi dabo. O semini tuo usque in sempiternum. Idem Peterius ad illud Genes. capit. 17.  
v. 13. Eritque pactum meum in carne vestra in  
fidus eternum. Ioannes Fernandius, in *Thebau-  
ro Scripturæ*, v. *Æternitas*; & plerique alij.

13 Tandem impletam fuisse domum Salo-  
monis pellicibus alienigenis, alienos deos co-  
lentibus, ipsumque ad eorum cultum impel-  
lentibus, haud obest quominus de eo verum  
esse possit & illud postremum, O fidelis erit da-  
mustaa, &c. ibi enim fidelis non distinguitur  
contra peccatum infidelitatis, sed contra id  
quod deficit; quapropter hebraicè ibi habetur,  
*Neeman*, id est firma, stabilis, perennans, eter-  
na, iuxta sensum, quo thronus ipsius Salomo-  
nis, dicitur sempiternus, ut supra: ita P. Corne-  
lius.

14 Ut alia possint elevari obiecta, obser-  
vandum, in parabolis sensum illatum literalem  
esse utique verum, quia parabola significat rem,  
non quidem quæ necessario sit, sed vel quæ el-  
se

se solet, vel quæ esse aliquando potest, vel quæ existere saltem potest apprehendi, quare significat, non tam rem esse, quam rem, ac si esset, & hac mediante docet aliud quidpiam: unde fit, ut ei falsum subesse non possit, tametsi literaliter significet rem non verè existentem, eaque mediante, ac mysticè aliam verè extituram.

## ANTELOQUIUM SEXTUMDECIMUM.

*ALIA DE SENSU MYSTICO PRÆSENTANTUR.*

I. **A**SSERO primo, per se loquendo, id est, quoties certò constat, sensum aliquem mysticum esse verè tallem, & re ipsa intentum ab Spiritu Sancto, firmum, atque irrefragabile argumentum duci potest ex Scriptura, in eo sensu mystico accepta: sic docent Medina lib. 6. de Recta in Deum fidem Mag. Bañez, 1. part. quest. 1. art. 10. dub. vlt. Lorca, tract. de Loois, disp. 18. concl. 1. nu. 4. Antonius Perez in Pentateucho fidei, volum. 3. dub. 12. cap. 5. num. 56. Galarza lib. 3. Instit. capit. 7. P. Vazquez in 1. part. quest. 1. art. 10. disp. 16. cap. 4. num. 13. Fasolus, ibidem dub. 6. ad art. 10. Arrubal, ibidem disp. 18. capit. 14. P. Ribera, Prælud. 1. in Prophetas minores, à nu. 18.

Peregrinus, tom. 4. in Genes. disp. 7. pluresque  
alij.

a Probatur primò, ideo quippè ex sensu  
literali Scripturæ firmiter arguitur, quia is in-  
tentus est à Spiritu Sancto; at sensus mysticus  
est etiam intentus à Spiritu Sancto; alias non  
esset Scripturæ, Agiographi vè Authoris sensus  
mysticus: igitur per se loquendo firmum argu-  
mentum duci potest ex Scriptura in sensu mys-  
ticō,

3 Secundo quia in Scriptura sàpe argui-  
tur ex sensu mystico, ut ex illo Genes. capit. 25.  
v. 23. Major serviet minori; eoque Malachia ca-  
pit. 1. v. 2. Jacob dilexi, Esau autem odio habui,  
ab Apostolo gentium D. Paulo ad Roman. ca-  
pit. 9. v. 13. pro dono perseverantie finalis, &  
gloriae, ex Dei misericordia, & speciali bñefi-  
centia; & ex illo Psalmi 18. in omnem terram  
exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba  
eorum; ab eodem Paulo ad Romanos 10. contra  
Iudeos non credentes Apostolis, hunc in mo-  
dum: ergo fides ex auditu auditus autem per ver-  
bum Christi. Sed dico, nunquid non audierunt?  
& quidem in omnem terram exivit sonus eorum,  
&c. Ubi Divus Ambrosius, usque adeò, inquit,  
predicationem Dei à fideis auditam esse testatur,  
ut etiam impletum orbem divina annuntiatione  
pronuntiet. Ipsa enim fabrica Mundi predicat

*creatorem. Quod enim Salmographus de creatura dixit, nempe literaliter, hoc Apostolus de Evangelistis, scilicet, ex sensu mystico; quia ubique auditum est, & pervenit in omnem locum prædicatio nominis Christi. Idem conficitur ex Apostolo ad Galatas capit. 4. v. 22. iuxta ea quæ prælibavi, tom. 2. Ante loq. 7. & 8. consimiliter illud Numer. cap. 20. v. 11. cum que elevasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissime, explicat mysticè Paulus 1. ad Corint. cap. 10. v. 4. de Christo, ibi: Petra autem erat Christus. Et illud Numer. cap. 21. v. 9. fecit Moyses serpentinum æneum, &c. ipse Christus de se, Ioann. cap. 3. v. 14. & 15. Et illud Jonas capit. 2. v. 2. Et erat Jonas in ventre pisces tribus diebus, & tribus noctibus, etiam Christus Dominus de se Matth. cap. 12. v. 40. ibi: Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terra tribus diebus, & tribus noctibus.*

4. Ceterum, animadvertum est, tunc argui posse firmiter pro fide nostra ex sensu mystico, quando certò constat, sensum aliquem mysticum esse verè talem, & re ipsa intentum à Spiritu Sancto; nam si tantum probabilitè id constet, ex eo desumere poterit Theologus argumentum tantum probabile, pro eo ac docent Mag. Canus lib. 2. de focij. cap. 11. §. Posteriorius. Zumel 1. part. quæst. 1. ad art. 10. quæst. 9. con-

Alia de sensu mystico, &c. Ante l. 16. 29  
claf. 3. Rodericus de Osma Delgado, lib. 3. de  
Authorit. Sacre Script. capit. 5. P. Molina, in 1.  
part. quest. 1. art. 10. & reliqui communiter  
Scholastici, & Interpretes.

5 Unde fit, quod cum de sensu mystico  
Scripturæ, adeò frequentè certi esse non pos-  
sumus, ac de literali, idcirco longè minus fre-  
quentè ex mystico, quam ex literali firmiter  
argui possit: & in hunc sensum accipiendi  
Scholastici, & Interpretes, dum inficiantur ex  
sensu mystico firmiter argui posse, nempe  
quando de illo certò non constat, multoque  
minus quando nec probabilitè subducitur. Sic  
P. Justinianus in cap. 1. ad Hebreos. At in Sacra  
Scriptura esse sensum mysticum ex intentione  
Spiritus Sancti, de fide esse, edocent Augusti-  
nus Quirós in Cantic. Moysis, disp. de Sensib.  
Script. Sec. 2. & Puteanus, tom. 1. in 1. part.  
quest. 1. art. 10. Et probatur ex Patribus & alijs  
Scriptoribus adductis à P. Vazquez, tom. 1. in  
1. part. disp. 13. cap. 2. & Bonfrerio, tom. 1. in Ge-  
nes. cap. 20. Præloq. Sec. 1.

6 Negant tamen sensum istum mysticum  
recentiores Judæi apud Serarium in Frolegom.  
cap. 21. quest. 8. num. 1. ¶ Non omnes. Et ¶  
Est illud. Et Alphonsum Mendoza, in Quodli-  
bet. quest. 2. positiva, pag. 196. num. 1. lit. A. Sed  
enim ex odio in Christum, & ne quid in veteri  
testa-

testamento de eo sit in sensu mystico, hunc negant; tametsi ab antiquioribus Judæis non solum concessum, sed etiam laudatum, usque adeò, ut Scripturam Sacram mysticè intellectam *Dabbar Gadol*, id est, verbum magnum, & literaliter intellectam *Dabbar Caton*, id est, verbum parvum appellant, adnotantibus Galatino, de *Arcan. Sacr. Scrip.* & Seratio ubi supra miscri illi vel suis non credunt, ne in Christum credere cogantur.

7. Inficiantur quoque eum sensum mysticum ex Christianis pauci haeretici, ut Mortinus, *par. 2. Apologia, lib. 5.* Sibrandus *contra lib. 3.* Bellarmini, *cap. 3.* Kelermannus, *lib. 1.* *systematis Theologi, cap. 9.* & alij, adeò ut per summam procacitatem, & impietatem Sanctos Patres reprehendant, ne dum ab ijs discedere audcant, nec animadvertant Spiritum Sanctum per res ipsas significare posse proximè alias etiam res, cum & homines id possint, soleantque, sicut Periander, apud Aristotelem, *lib. 3. Polit. capit. 9.* segetem æquans, supereminentesque spicas demciens significare voluit, ut in republica civium servaretur æqualitas. Consimilitè Jonathas, *lib. 1. Reg. cap. 20. ¶ 22. 37.* & 38. sagitta citra puerum suum iacta salutem Davidi, ulta vero coniecta imminentem ei à Saule Patre suo mortem portendit: cum igitur mysticus

cus sensus sit, qui medijs rebus ipsis, significatur, sive ille, quem Deus per voces tantum mediate, & per res immediatè, & proximè patefacit, negari non potest in sacra pagina sapere hunc sensum intentum fuisse ab Spiritu Sancto, ac in ea reperiri.

8. Nec huic doctrinæ obest, quod prædictus sensus mysticus unius loci Scripturæ in aliquo loco sit literalis; quoniam prout in priori loco continetur, remanet quidem in ratione sensus mystici, & ratione posterioris authenticè de ipso constat, siveque, ut in illo posteriori loco, literalis. Nec denique officit pluralitas sensus mystici sub eisdem verbis; nulla quippe aequivocatio ex eo induci valet, prout in simili de multiplici sensu literali dixi in *Antelog. 12. num. 10. &c. seqq.*

## ANTELOQUIUM SEPTIMUMDECIMUM

### DE SENSU ACCOMODATITIO.

SENSUS accommodatus communiter sic à doctoribus nuncupatus, dicitur aliquando ecclasticus, ut apud Theodorum Mopsuestenum; id est sensus secundum eventum, seu prout rerum exitus debet. Caietanus autem in opuso. de Usu scriptu-

rarum, transumptivum eum appellat. Hic vero sensus non est Scripturæ Sacré formaliter sumptæ, utque Sacrae, & à Spiritu Sancto eo in loco ad aliquid significandum applicatae, sed tantum materialiter sumptæ, & prout eius verba ad quidpiam aliud significandum applicantur: sic docent P. Vazquez, tom. I. in I. part. disp. 14. cap. 1. Valentia ibidem, disp. I. quest. I. punc. 5. Tannerus, disp. I. quest. 5. dub. 2. assert. 4. Bonfrerius, tom. I. in Genes. Praelq. in Scrip. capit. 20. Acosta, lib. 3. de Christo revelato, à cap. 6. Antonius Perez, Benedictinus, in Pentateucho fidei, volum. 3. dub. 12. num. 15. ac cæteri Scholastici, & Interpretes.

2 Frequens autem est usus huiuscè sensus accommodatitij apud Patres: verba enim illa Jobi cap. 29. v. 15. & 16. *Oculus fui cæco, & pes claudio, pater eram pauperum.* Et capit. 31. v. 32. *foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit;* de ipso Job ex intentione Spiritus Sancti dicta sunt; & tamen ea de Gorgonia sorte sua in sensu accommodatitio assumit Div. Gregorius Nazianzenus, Orati. II. ibi. *Quidem Jobi verba de ea iactare non dubitem: ostium eius viatori omni patebat: nec foris iacebat peregrinus: cæcorum oculus erat, claudorum pes, pupillarum mater.* Sic ille. Et quidem hic usus Sanctæ Scripturæ Sanctis Patribus familiaris est in concio-

cionibus, & homilijs ad populum, idemque ut  
lissimus, vt observat P. Vazquez, vbi proximè  
laudatus: verba enim Scripturæ miram quan-  
dam gravitatem, & energiam præferunt, ita  
vt ad persuadendum sint accommodatissima. At  
prudenter, & ad edificationem, Deique laudem,  
sunt adducenda; abususque omnino vitandus.  
Sæpè etiam in Missis B. Mariæ, ac Sanctorum  
verba Sacrae Scripturæ in sensu accommodatitio  
vlurpantur, vt annotant P. Vazquez, & Mal-  
donatus, *prefatione in Evang. D. Lucae, num. 6.*  
ac alij frequentè: sic illa verba Zachariæ, ca-  
pit. 4. ¶ 11. *Quid sunt duæ olivæ istæ, &c.* acco-  
modat Ecclesia in quadam Antiphona ad Sanc-  
tos Martyres Ioannem, & Paulum.

3 Imò quòd Sacri Scriptores interdum al-  
terius prioris Scriptoris Sacri verba per so-  
lam accommodationem referant, est valde pro-  
babile. Sic *Apocalypsis cap. 21. ¶ 4.* de duobus  
illis viris, quos tempore Anti Christi propheta-  
turos per dies 1260, per accommodationē vide-  
tur dictum fuisse à D. Ioanne, *hi sunt duæ olivæ,*  
*& duo candelabra in conspectu Domini terræ stan-*  
*tes;* nam hæc verba, parum murata, de Iesu Sacer-  
dote, filio Josedech, & de Zorobabel, duce  
Judæ, antea ptolata fuisse apud Zachariam ca-  
pit. 4. cum Lira multi, gravesque Doctores exis-  
tumant: at duo viri, de quibus D. Ioannes in

*Aposol.* sunt Henoch, & Elias, iuxta D. Ambrosium, Gregorium, & alios Patres, & Interpretes, vel Moyses, & Elias, ut enixè contendit P. Maldonatus in *Mattb.* cap. 17. quapropter cum de diversis ea verba usurpentur apud Zachariam, & Ioannem, accommodationem aliquam ibi subesse, necesse est.

4 In eundem modum, quæ Amos Prophetæ cap. 18. v. 10. prædixit de filijs Israel, & Judæ, qui tunc vivebant: *Et convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum,* usurpavit Tobias cap. 2. v. 6. loquens de ijs, qui postea captivi facti sunt à Salmanasar Rege Assyriorum, nempè: *manducavit panem cum luculu & tremore, memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam, dies vestri convertentur in lamentationem, & luctum.* Ubi Lira inquit: *Prophetavit autem Amos tempore Oziae Regis Iuda, ut patet in principio suæ prophetæ; Tobias vero captivatus fuit sexto anno Ezechieiæ, ut dictum est cap. precedenti, qui fuit quartus Rex ab Ozia Rege, & sic Tobias prophetiam Amos scire potuit & rememorari: sic Lira.* Neque non etiam allusio est ad prophetiam eiusdem Amos quod habetur lib. 1. *Machab.* capit. 1. v. 41. *Dies festi eius conversi sunt in luctum.*

5 Verba igitur prioris Scriptoris Sacris, usur-

vsurpata, ut nuper, à posteriore, usurpari ab eo  
in sensu accōmodatitio, tuentur P. Vazquez in  
1. part. tom. 1. disp. 14. cap. 1. Serarius in Prole-  
gom. cap. 21. quæst. 14. Lorca disp. 18. de Locis  
Catholic. dub. inciden. Silvius lib. 1. Controv.  
quæst. 3. art. 4. Estius in cap. 10. ad Roman. qui-  
bus præluxere Theophilactus, & Angelicus  
Doctor. Quorum sententia ex eo fulcitur, quod  
hanc necesse sit, quod verba prioris Scriptoris  
Sacri, ut ab illo prolatæ ex intentione Spiritus  
Sancti, significent id, quod per ea significat po-  
sterior ex Dei inspiratione, quoniam præter id  
omne sunt plura alia, quæ per ea potuit signifi-  
care, vel literaliter, vel mysticè: igitur verba  
prioris Scriptoris Canonici, ut formaliter eius  
sunt, possunt allegari à posteriori in sensu non  
literali, aut mystico, sed accōmodatitio; & sub-  
inde nisi aliter intelligenda sufficienter probe-  
tur, congruentè in sensu accommodatitio ac-  
cipiuntur.

8 Discedunt tamen ab hac sententia P.  
Tannerus, tom. 1. disp. 2. quæst. 5. dub. 2. assert. 4.  
num. 5. Valentia, tom. 1. quæst. 1. puncto 5. §. 3.  
Beccanus in Proem. Theolog. quæst. 7. art. 4. Sher-  
log. tom. 1. in Cant. Antelog. 11. Sect. 4. num. 35.  
aiunt enim, contra dignitatem, maiestatemque  
Sacri Scriptoris esse, quidpiam ab alio prius di-  
ctum usurpare, & non in sensu, quem Spiritus

Sanctus intenderit. Verumtamen hæc ratio non satis efficax apparet, cum sit compertum, Apostolum Paulum adduxisse Arati Poetæ veteris verba, Actor. cap. 17. v. 28. ibi: *Sicut O quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsi enim O genus sumus:* Quod quidem hemystichium brevitatis causa tantum citat Paulus, & quia illud sufficit ad confirmandum id, quod dixerat: *In illo vivimus movemur O sumus.* Aratus autem Poetæ fuit antiquus, ac celebris, Antiocho Soteri Regi in delicijs, patria Solensis, non longè à Tarso, ac proinde Pauli penè concivis, præclarèque scripsit de Stellis, & signis Cælestibus, eiusque versus in latinum transtulit Cicero, lib. 2. de Natura Deorum: sic ergo Aratus habet.

*A Iove principium, quem nunquam mittimus ipsi Infatum: plena verò Iovis omnia quidem compita, Omnes verò hominum cætus, plenum verò Mars, Et portus: ubique autem indigemus Iove omnes, Huius etenim genus sumus.*

7 Idem D. Paulus Epist. ad Titum, capit. 1. v. 12. O 13. de Cretensibus sic eloquitur: *Dixit ex illis quidam proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestie, ventres pigri: testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè, ut sani sint in fide. Ubi no-*

notandum, Cretensium Prophetam, de quo Apostolus, fuisse vel Callimachum, vel potius Epimenidem, Callimacus quippe è Cyrene fuit oriundus, Epimenides autem Cretensis fuit, & quidem Philosophus, & Poeta, ac templi Mitrae, id est Solis, Sacerdos: ita D. Hieronymus. Vocatur autem propheta, primò quia à suis habitus est propheta, teste Laertio, & Cicerone, lib. 1. de *Divinatione*. Secundò, quia Poetæ dicti sunt vates, id est Prophetæ, ob futorem poeticum. Tertiò, quia Epimenides scripsit librum de Oraculis. Quartò, quia fuit doctor, & ethicus, qui vitia gentis nativa describit. Videsis Cornelium à Lapide in Epist. 1. ad Corint. capit. 14. initio, vbi fusè de significatione nominis *Propheta*. Sic ergo ex Græco in latinum sermonem, Epimenides cecinit:

*Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.*

Cum igitur Apostolus indecorum non duxerit, gentilium sententias suo accommodare instituto, nec incongruum censeri debet, alterius veri, & prioris prophetæ verba à Sacro posteriori Scriptore in sensu accommodatitio usurpati.



## ANTELOQUIUM DECIMUM OCTAVUM.

*ALIA DE SENSU ACCOMMODATITIO  
delibat.*

**E**sco tamen aliquando prioris Agiographi Authoris verba à posteriore Scriptore usurpata, in sensu accommodatitio usurpata censeri queant, ut prælibavimus. Nihilominus, afferere, quod in sensu duntaxat accommodatio, non verò literali, aut mystico exponi possint, debeantque de Christo Domino, eiusque mysterijs testimonia omnia, & singula veteris Testamenti, hæreticum est: probatur ex definitione Vigilij Papæ in Synodo Romana, contra Theodorū Mopsuestenū, in eius c. 21. & 22. ibi: *In supra scriptis vigesimoprimo, & vigesimo secundo capitulis (præfati utique Theodorū) hoc videtur dici, prophetiam, quæ ex persona Christi loquentis ait: non derelinques animam meam in inferno, nec das sanctum tuum videre corruptionem, non de ipso Christo prædictam fuisse, sed de Populo Israelitice generationis: beatum verò Petrum Apostolum ad Christum hanc prophetiam per eventum aptare voluisse. Et ideo qui haec ita sapit, docet, credit, aut prædicat, anathema sit.* Et rursus paucis intercessis: *In supra dicto vi-* ge-

gesimo tertio capitulo, exponendo quædam vigesimæ  
primi Psalmi verba, quibus dicitur, diviserunt si-  
bi vestimenta mea, & super uestem meam misse-  
runt sortem, negatur Iesu Christo Domino con-  
venire, sed quod David propter quædam mala,  
quæ perpeccus est, de se dixerit, Evangelistam ex  
eventu ad Christum traxisse. Et adiicitur, quia  
non poterat dicere Dominus Iesus, qui peccatum  
non fecit, longe à salute mea verba delictorum  
meorum, & ideo qui hæc sapit, docet, credit, aut  
prædicat, & non in ea in quibus delictorum me-  
minit, ad corpus ipsius, quod est Ecclesia, quæ in  
hoc mundo sine delicto esse non potest, intelligit  
pertinere: illa autem de divisione vestimentorum  
non specialiter de ipso capite, id est Domino nostro  
Iesu Christo prædicta, & in ipso credit esse com-  
pleta, anathema sit.

**2** Et postea: In supra scripto vigesimo quar-  
to capitulo de memorato eodem vigesimo Psalmo,  
illa verba, ubi dicit: foderunt manus meas, &  
pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: ipse  
vero consideraverunt, & inspexerunt in me: asse-  
ritur non de Christo esse prædicta, sed David hoc  
de se dixisse propter tyrannidem Absalon, qui re-  
giam urbem, substantiamque pervaserat, atque in  
terra omnia dinumeraverat patris, sed Evangelis-  
tiam hæc ex eventu ad Christi traxisse personam.  
Qui igitur hæc ita credit, sapit, docet, aut prædi-  
cat, anathema sit.

3 Ac tandem: *In supra scripto vigesimo quinto capitulo de eo loco Psalmi*, ubi dicit: *dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*, contra evidenter *Evangelij veritatem exponitur*, dicendo: *quia nec vero aceto potatus est Dominus*, sed ad tristitiam, & iracundiam offerentium habuerit potionem in acetii loco, & escam in fellis; *nec de ipso prædictum*, sed *Evangelistam hoc testimonio usum fuisse ex eventu in Domino*, propterea qui bac ita sapit, docet, credit, aut prædicat, anathema sit. Hæc sumus Pontifex. Vide Cardenalem Bellarminum, tom. I. Controv. I. lib. I. de Verbo Dei, capit. 5. Hæres tertia.

4 Deinde animadvertisendum est, quod veteris Testamenti verba de quibus Evangelium expressè dicit, quod sint adimplera in Novo, aut quid simile, haud possunt exponi in sensu dunataxat accommodatio; licet oppositum scripsiterit Cornelius Jansenius, Gandavensis Episcopus, vir alioqui doctus & pius in Concordia Evangelica, cap. II, cuius sententia in Expurgatorio Sacrae Inquisitionis Hispaniae, edito anno Domini 1634. iterumque anno 1640. & demum anno 1707. ita & quidem iure merito notatur: *Hic interpretandi Scripturas modus parum tutus est in fide, & prorsus reiiciendus*, cum alijs exemplis, quæ hic perperam interpretatur Jansenius,

Cui

*Alia de sensu accommodatit.* &c. Ant. 18. 41  
Cui censuræ acquiescunt fere omnes Doctores  
Scholastici, & Sacrae Scripturæ Interpretes; His-  
pani autem omnes omnino eidem assentiri ob-  
debitam Sanctæ Inquisitionis judicio obedien-  
tiam, & observantiam proculdubio, speciali iu-  
re obstringimur. Eandem Jansenij sententiam  
gravem errorem, & Evangelicæ veritati valde  
pernitiosum continere, docuit Eximus Dct.  
P. Suarez, tom. 2. in 3. part. disp. 17. Sect. 1. &  
quidem scripsit ante editionem Indicis Expur-  
gatorij, Sancti Inquisitionis Tribunalis iussu  
promulgati an. 1634. Novissime autem illam  
sinistram interpretandi rationem confutat Il-  
lustrissimus, ac Sapientissimus D. D. Marcelli-  
nus Siuri, Cordubensis Episcopus, *Tract. Evan-*  
*gelico* 22. num. 8. & seqq.

5 Ad rectam vero loci Sacrae Scripturæ ac-  
commmodationem, nosse quid ille literaliter sig-  
nificet, viam muniet, & opportet. Ad eiusdem  
que sensus, nec non literalis, & mystici affec-  
tionem proderit, ut quod maximè Patres, & In-  
terpretes, qui in ijs excellunt perlegere, ac no-  
cturna versare manu, versare diurna. In sensu  
accōmodatitio excellere D. Bernardum, in my-  
stico Originem, & D. Gregorium, docet P. Se-  
rarius in *Prolegomenis*, capit. 21. quæst. 4. num. 3.  
& quæst. 16. Tandem Nicolaus Causinus lib. 15.  
de *Forma Sacra eloquen.* pag. 954. Sixtus Senen.  
lib. 3.

42 Anteloquia ad faciliorem, &c.  
lib. 3. Biblioth. ad fin. Et Valades in Rhetorica  
Christiana, sic statuunt.

*Historiam Hebreis, & Gracis fontibus haustam*  
*Hieronimo disces duce.*  
*Allegorias, anagogenque recludent*  
*Origenes, Ambrosius.*

*Exponit sensus formandis moribus aptos*  
*Chrysostomus, Gregorius.*

*In dubijs, altaque locis caligene mersis*  
*Aurelius lucem feret.*

*At brevis, & facilis non est spernenda tyroni*  
*Lyrensis expositio.*



## SACRA DISSERTATIO UNDECIMA.

*DE LIBRI ESTHER CANONICA  
authoritate, & quisnam eius Author  
exititerit.*

## SECTIO PRIMA.

*CANONICAM TOTIUS LIBRI ESTHER  
ostendit authoritatem.*

1 **I**N Dissert. 10. egimus de præcipuis circa initium & finem Babylonicæ captivitatis emergentibus difficultibus; nunc enodare aggredimur eas, quæ ad Esther librum attinent, quippè non multo post adeptam à Judæis libertatem, floruit Esther Regina, ut infra videbimus.

2 Nonnulli igitur ex antiquis Scriptoribus totum librum Esther à Canone expungunt, videlicet D. Gregorius Nazianzenus, *in Carm. de genuin. Scrip.* Athanasius *in Synopsi.* Et Melito Asian. apud Eusebium *lib. 4. Histor. cap. 26.* Alij verò eiusdem libri septem postrema capita expungenda à Canone censuerunt: in hac sententia sunt D. Hieronimus *in Præfati.* Dionysius Carthusianus, Lira, Hugo, & Caietanus, qui

an-

44 *De Libri Esther, &c. Sac. diff. undecima.*  
ante Concilium Tridentinum scripsere; at post  
illud in eadem perstitit sententia Sixtus Senen-  
sis in Biblioth. lib. 8. *bæresi. 11. Et lib. 1. Sec. 2.*  
*O 3.*

3 Cæterum de novem prioribus captibus  
libri huiuscè, & de initio decimi usque ad ver-  
sum 4. quia in hebræo reperiebantur, nullum  
vnquam fuit dubium circa canonicum eorum  
authoritatem; At reliqua etiam residua capita  
profsus canonica esse, docet Origenes in *Psal. 1.*  
& apud Eusebium *lib. 6. Historiæ cap. 25.* Rufi-  
nus in *Symbolum*, Cyrilus *cathechesi 4.* Augusti-  
nus *lib. 2. Doctr. Christianæ, capit. 4.* Hilarius in  
*Psalm. 1.* Innocent. I. *epist. 3.* Alcimus, *ad so-*  
*rorem, Concilium Laudicenum can. 59.* Cartha-  
ginese III. *can. 47.* & novissimè Tridentinum  
*seff. 4.* citanturque paßim, ut canonica omnia  
prædicta capita à SS. PP. quos recensent Card.  
Bellarminus *de Verbo Dei, lib. 1. capit. 7.* & alij.  
Extant etiam in editione 70. Interpretum, &  
olim etiam extabant in veteri vulgata, non seor-  
sim ut modo in nostra latina, sed suis quæque  
locis inserta, ordine servato *Historiæ.*

4 At S. Hieronym. suo demum tempore,  
quod illa hebraice non reperiret, sciunxit à re-  
liquis, & ad calcem libri rejicit, & proprieà  
fortè Card. Bellarminus loco nuper citato sig-  
nificat, ea septem capita à D. Hieronymo non  
re-

recenseri inter Scripturas Canonicas, sicut non  
recensentur, nec à Nicolao de Lyra, Dionysio  
Card. Hugo, & Caietano in Commentarijs hu-  
ius libri, qui ante Tridentinum, sua scripta tra-  
didere; sed post Concilium istud Sixtus Senens.  
lib. I. & 8. Bibliotæca Sanctæ, idem putavit.

5. Verum enim verò id sustinerti non potest  
vt constat ex eadem Sacra Tridentina Synodo,  
in qua libri omnes suo in decreto memorati, in-  
ter quos Esther recensetur, cum suis partibus  
aproabantur, prout in Ecclesia legi consueverunt,  
& in latina vulgata editione habentur, cuius  
Concilij authoritas, quamvis apud Hæreticos  
nulla sit, apud Sextum tamen, cæterosque Ca-  
tholicos maxima, & inviolabilis esse debet.

6. Sed Concilium ( inquit Sextus lib. I.) de  
Veris librorum partibus loquitur, non de addi-  
tamentis, qualia sunt postrema capita libri Es-  
ther. Cæterum, si ista Sixti responso vera esset,  
multæ alia partes, vt notat Cardinal. Bellarmi-  
nus, Sacrorum librorum Danielis, Marci, Lu-  
cæ, & S. Ioan. apud Catholicos in discrimen  
vocarentur. Quid enim haberet Sextus, quod  
diceret, si ei ad eas partes sacrorum voluminum  
conservandas Concilij decretum, quasi murum  
quendam obiciendi responderetur ab adversa-  
rijs. Concilium de veris partibus esse locutum,  
ea verò additamenta esse, non partes?

7 Præterea Concilium Tridentinum sententiam suam sequentibus verbis ita luculentè explicuit, ut nullus omnino tergiversationi locus sit relictus; cum enim dixisset, *siquis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, adiunxit continuo, prout in Ecclesia Catholica legi consuoverunt.* Quis autē nesciat feria 4. post Dominicā 2. Quadragesimæ, publicè in Ecclesia inter ipsa Sacrorum solemnia lectionem decantari ex *derimo tertio cap. Esther.* Et rursus ex *eodem cap.* lectionem pronuntiari in ea Missa, quæ legi solet contra Paganos? Ac deum orationem Esther recitati ex *capit. 14. eiusdem libri,* in Dominica 22. post Pentecostem, Evangelio, ac Symbolo decantato.

8 Nec efficacitatis sunt, quæ opponi, possunt. Dicat ergo quispiam primò, cum liber Esther hebraico sit scriptus sermone, septem ista capita, quæ apud Hebræos non habentur, sine dubio censeri debere supposita. Respondetur cum Origene in *epist. ad Iulium Africam,* probabile esse, aliquando ista etiam capita in textu Hæbraico fuisse, deinde casu aliquo excidisse. Et quidem Josephus *lib. 11. Antiquitatum, cap. 6.* dum Historiam Esther enarrat, duas epistolæ Assueri, & orationem Mardochæi non prætermisso: cum tamen nihil eorum nunc in Hæbreorum codicibus habeatur; neque

que credibile est, hæc à Josepho esse conficta, cum ipse idem lib. 10. cap. 12. de se ista loquatur: *In ipso, inquit, Historia mea principio propter eos, qui questionem faciunt, aut in aliquo culpare nituntur astruxi dicens, translaturum me libros Hæbraicos in eloquium græcum: O vos voluntibus aperire, neque adiucere me aliquid seorsum, neque subtrahere me præmittens:* hæc ille.

9 Responderi potest secundò, primum libri huius Authorem, qui hæbraicè historiam Esther scribendam suscepit, summam tantum historiæ conscripsisse: deinde, alio tempore, scriptam fuisse historiam eandem ab aliquo alio copiosius, & translatam in lingua græcam à Lisimaco, regnante in Ægypto Ptolemæo Epiphane, & Cleopatra, ut indicatur in hoc libro cap. 11. Porrò prioris Authoris librum ipsum hæbraicum, posterioris autem non ipsum librum, sed solum translationem ad nos pervenisse.

10 Objiciat secundò, non cohærere postrema ista capita cum superioribus, nam *capit. 2.* narrantur insidiæ duorum Eunucherum, & detectio earundem industria Mardochæi. Deinde rursum eadem insidiæ narrantur *cap. 11.* & *12.* sed priori loco dicuntur insidiæ factæ anno septimo Assueri, & *cap. 6.* additur, nihil omnino mercedis accepisse Mardochæum, qui eas patet.

48 *De Libri Esther, &c. Sac. diff. undecima.*  
fecerat: in loco autem posteriore dicuntur fac-  
tæ anno secundo Assueri, & additur, *datis pro*  
*delatione muneribus.*

11 Respondetur, septem illa capita libri  
Esther, quæ sunt postrema in editione latina  
vulgata, non esse revera postrema, sed quædam  
corum pertinere ad initium libri, ut *caput 11.*  
*& 12.* quædam ad medium, ut *caput 13.* 14.  
*15.* *& 16.* quædam ad finem, ut *caput 10.* quod  
perspicuum est, tum ex Græcis codicibus, vbi  
omnia suo ordine collocata sunt; tum ex anno-  
tatione S. Hieronymi inserta *capiti 10.* *& 11.*  
ac sequentibus huius libri in Biblijs latinis. Pa-  
titur autem Ecclesia ea capita simul ad finem  
libri permanere, vbi ea S. S. Hieronimus collo-  
cavit, ut intelligamus, quod huius libri sunt,  
& quod etiam non sint in codicibus Hebræo-  
rum.

12 Narratio igitur insidiarum, quæ habe-  
tur *cap. 12.* in latinis Biblijs ad initium libri  
pertinet, atque ibi narrantur insidiæ per anti-  
cipationem; quæ rursus narrantur postea suo  
loco *cap. 2.* Factæ sunt autem anno septimo, ut  
habetur *cap. 2.* non autem anno secundo, ut vi-  
detur colligi ex *cap. 11.* Quoniam illa verba *ca-*  
*pitis 11.* *anno secundo regnante Artaxerxe,* *&c.*  
non debent extendi usque ad narrationem insi-  
diarum, sed solum ad ea, quæ dicuntur in ip-  
so

so cap. 11. scilicet ad somnum, quod Mardo-  
chæus vidit, antequam Esther Assuero coniun-  
geretur.

13. Quod verò obijciebatur de mercede  
delationis haud facessit negotium; nam etsi  
non habuerat Mardochæus mercedem pro de-  
latione, quando Rex iussit, legi sibi annales, ut  
dicitur cap. 6. tamen habuit postea amplissimam  
mercedem, quæ describitur in eodem 6. cap. ca-  
demque significatur cap. 12. ¶ 5. per illa verba,  
*datis pro delatione muneribus.*

14. Sed replicabis fortasse: si ista narrantur  
per anticipationem, cur in græcis textibus se-  
quitur; & factum est post hæc in diebus Arta-  
xerxis, &c. Ubi narratur Regis Assueri factum  
anno tertio regni eius, & indicat Scriptura, id  
esse post detectionem insidarum, quas supra  
diximus anno septimo factas esse. Responde-  
tur, illud post hæc non referri ad ea, quæ narra-  
ta sunt per anticipationem, sed ad somnum  
Mardochæi, quod suo loco narratum fuerat.

15. Hæc sunt, quæ contra posteriora huius  
libri capita obijciuntur, exceptis his, quæ ad  
Chronologiam attinent, & discutienda postea  
venient, si prius adnotaverim, quanta animi  
levitas, seu vesania sit, quæ Anabaptistas, ac  
Lutheranos non nullos incesserit, ut commen-  
titiam hanc sacram Historiam fabulentur; nam

præterquamquod ex Patribus, & Sacrorum Conciliorum decretis, præsertim ex Tridentina Synodo veritas huius libri constet, ex ipso etiam Judæorum canone, & observantia, probatur.

16 Cum enim solemnia Phurim Judæos religiosissimè semper observasse, habeatur ex 2. lib. *Marhab.* cap. 15. ¶. 37. *Josepho, lib. 11. Antiquit. cap. 6.* Et codice Theodosiano, titulo de *Judæis*, eaque solemnia dicta sint non solum dies Phurim, sed, & Amanæa, scilicet ab Aman, & Mardochæica, à Mardochæo, quis non planè stolidus opinari possit, ex figmento, vel ut Lutherani quidam loquuntur, ex tragicomedia Religionem festi huius diei, & Aniversariam cœlebritatem profluxisse? Accedit, quod hic maximè quantum ad priora novem capita in Hebraorum canone, temporibus Esdræ edito constantissimè locum habuit, quamobrem cum cæteris Hebræis sacris voluminibus à septuaginta Interpretibus græcè donatum fuisse, existimat D. Hieronymus, *præfatione in hunc librum.*

17 Iam verò argumentum huiusce sacri libri est de pressio Vashti, & Aman, exaltatio Esther, & Mardochæi, ac liberatio Judæorum. Unde D. Hieronymus epist. ad Paulin. *Esther*, inquit, *in Ecclesiæ typo populus liberat de periculo,*

¶ imperfecto Aman, qui interpretatur iniquitas; convivit, diemque celebrem mittit in posteros. Allegoricè autem Assuerus designat Christum Dominum, Esther B. Virginem Deiparam, & Ecclesiam, Mardochæus animam fidelem, & piam, Aman, & Vasthi Dæmonem, carnem, & mundum representant. Ita communiter Interpretes cum D. Hieronymo.

18 Quod verò attinet ad eiusdem libri Authorem, constat fuisse Mardochæum ex cap. 9. v. 2. verbi dicitur: *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc*, & literis comprehensa misit ad Iudeos: Et cap. 12. v. 4. ibi: *Rex autem quod gesum erat scripsit in commentarijs*: sed & Mardochæus rei memoriam literis tradidit. Videtur tamen ipsa quoque Esther quædam inseruisse, cuin id in Graeco textu ibidem disertè affirmetur. Scriptus est primum Hebraicè, & à S. Hieronymo inde verbo tenus in Latinum translatus; à 70. Interpretibus in Græcum, & ab alijs in alias linguas.



## SECTIO SECUNDA.

CHRONOLOGICÆ DIFFICULTATES AD  
intelligentiam huius libri proponuntur.

**O**BIJCIUNT igitur in hunc modum: pugnant ista capita postrema cum alijs partibus huius libri; totumque librum suspectum reddunt; siquidem in Epistola Assueri, quæ habetur *capit. 16.* dicitur Aman Gente, atque animo Macedo fuisse. Persarumque Imperium ad Macedones transferre voluisse: ex quibus verbis colligitur, Historiam Esther incidisse in ultima tempora regum Persarum; nec enim timere potuit Assuerus, ne Regnum Persarum ad Macedones transferretur, nisi esset iam illud Regnum alicuius nominis: fuit autem Regnum Macedonū obscurissimum usque ad tempora Philippi patris Alexandri Magni, ut Justinus testatur *ad finem libri 6.* nec initio Regni Philippi, sed anno vigesimo, primum cæperunt vires eius Regni suspectæ esse Persis, ut Diodorus refert *lib. 16.* Incidit autem annus Philippi vigesimus in annum vigesimum tertium Regis Artaxerxis Ochi iuxta Eusebium *in Chronico*; atqui id nullo modo fieri potuit, ut ex sequentibus colligitur.

Igi-


2 Igitur post annum vigesimum tertium Ochi contingere nequivit historia Esther; quæro enim, quis fuit Rex ille Persarum, qui habuit Esther vxorem? Ochus ne? Id verò dici non potest; quoniam hæc historia non post annum vigesimum tertium, sed anno duodecimo Regni Assueri completa est, ut habetur *in lib. Esther, capit. 3.* Num ergo Assuerus fuit Arses, Ochi successor? At ille solos tres, aut quatuor annos regnavit; qua ratione, nec Darius Arsis successor, & postremus Persarum Rex, maritus Esther esse potuit; quippe qui sex, aut novem tantum annis Regno potius est.

3 Deinde si ad finem Regni Persarum pertineret historia Esther, supervixisset Mardochæus ferè ad 300. annos; fuit enim Mardochæus translatus cum Jechonia ex Jerusalem in Babylonem à Nabuchodonosore Rege Chaldaeorum, ut probatur *ex Esther, capit. 2. v. 6.* Et *cap. 11. v. 4.* & ideo iam tunc aliquot agebat annos, deinde in captivitate mansit annos septuaginta, super vixitque postea ab initio Imperij Cyri, qui libertatem Judæis concessit redeundi Jerosolymam, & Judæam, usque ad finem Ochi, qui sunt anni 220.

4 Iunge ergo annos 70. cum annis 220. & adde adhuc aliquot alios, quos egit ante captivitatem, & invenies 300. annos vitæ Mardochæi

chæsi id quod incredibile est de hominibus illius ætatis. Augetur etiam difficultas propter Esther, nam cum ipsa fuerit Neptis Mardochæi, iuxta Hieronymi versionem, aut Patruelis, iuxta Hebraicos, & Græcos codices, vel fuit æqualis Mardochæo, vel non multò iunior, & quando etiam fuisset centum annis posterior, habuisset taltem vitæ annos ducentos, cum ad nuptias Assueri pervenit. Quis autem credat, anum ducentorum annorum esse illam formosissimam Virginem, quam Rex Persarum præ omnibus mulieribus adamavit,

5 Respondetur, multas esse de tempore, quo vixit Esther, scriptorum Sententias quanquam non sunt omnes æque probabiles; tamen nulla ferè est tam improbabilis, ut si eam sequeremur, propositam obiectionem diluere non possimus; sed claritatis ergo, & ut dilucide, prætenuitate nostra veritas affulgeat, sequentem insituo Dissertationem.



SACRA CHRONOLOGICA,  
DISSERTATIO DUODECIMA.

*DE ASSUERO ESTHERIS MARITO,*  
*elucidatur Danielis cap. 9. v. 1:*

SECTIO PRIMA.

*UTRUM ASSUERUS ESTHERIS MARITUS  
fuerit idem qui Darij Medi Pater?*

I. **A**D superiorē elevandam difficultatem, prima sententia historiam Esther ante Babylonicas captivitatis solutionem constituit, & asserit Assuerum Darij Medi patrem, cuius fit mentio Danielis *capit. 9. v. 1.* cum esse, qui Esther duxit uxorem; quæ sententia placuisse videtur M. Melchioir Cano *lib. 11. de Locis, capit. 6.* & Gerardo Mercatori *in Chronologia*, qui ad illam obiectionem de Aman, qui transferre voluit imperium Persarum ad Macedones, responderent: non ideo hoc voluisse Aman, quod iam tunc Regnū Macedonum ita floreret, ut cum Persis de imperio Orbis terræ contenderet, sed contra potius, quia cum ipse, gente Macedo esset, voluit gentem suam per ea tempora obscuram, illuf-

56. *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
trissimam reddere, translato ad se , & suos nobilissimo Imperio , nec iuxta hanc positionem Mardochæus nimis esset ætate longævus , cum ante solutam captivitatem Babylonicam vixisse dicatur.

2 Nihilominus hæc sententia rei cienda venit , primò quia maritus Esther passim dicitur Artaxerxes, scilicet *Esther cap. 4. ¶ 6. 7. ¶ 8.* quod nomen Medis non convenit, cum sit proprium Regum Persarum. Secundò , quia maritus Esther regnabat ab India usque ad Ethiopiam, ut constat ex *cap. 1. Esther, ¶ 1.* ibi : *In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Aethiopiam super centum viginti septem Provincias.* Nunquam autem Medi tam amplum Imperium possederunt ante Cyri Monarchiam ; usque ad illam quippe Babyloniorum iugum Medorum Reges subiere , & Magni Nabuchodonosoris tempore ei , & successoribus fuerunt tributarij.

3 Etsi enim Nabuchodonosor vxorem è Media haberet, ut ex Berulo scribit Josephus lib. 10. cap. 11. fine, cum tamen *cap. 25. Hieremiae*, constet, Reges Medorum, sicut & Persarum, sive Elamitarum , iræ Dei calicem propinante Hieremia , potavisse , licet nihil aliud in particulari de clade Medorum à Chaldæis accepta, Scriptura commemorat, dicendum videtur, Medorum Regem Cyaxarem Nabuchodonosor.

nō soris clientem , ac tributarium fuisse , eandemque servitutem ab Astyage successore toleratam , eamque ad mortem Balthasaris , & Imperium Cyri perdurasse ; quando vice versa suscitavit Dominus spiritum Medorum contra Babylonem , ut eam perderent , sicut dicitur *Hieremia cap. 51. v. 11.* notatque P. Salianus *ad annum Mundi 3452. num. 3.*

4 Patet ergo quod ante Cyri Imperium , Medorum Regnum non erat Monarchia , nec ad tot Provincias extendebatur , quo Assueri ditioni obtemperabant ; adeoque licet tunc temporis Medorum Regnum malus esset , quam Persarum , ut S. Hieronymus testatur *in caput 9. Danielis* , non tamen Regnum illud erat tam amplum , quam postea fuit Monarchia Persarum , sive Regnum Assueri mariti Esther . Imo ex eo ipso confirmatur , Estheris maritum Assuerum non vixisse , eo tempore , quo Persarum Regnum adeo exiguum erat , cum Assuerus , de quo nunc agimus , super 127. Provincias iuta dedisset .

5 Tertio rejeicitur eadem sententia ; quoniam Persarum Imperium initium habuit sub Cyro Principe , ac Monarcha , ut ex communi Chronologia tradidimus *tom. 2. Dissert. 10. Sect. 26. num. 7. & sequentib.* Porro autem huiusce Imperij exordium adeptus fuit Cyrus Olym-

Olympiadis sexagesimæ anno quarto , & Mundi 3517. vt edocet P. Salianus ad *bunc annum*, *num. 3.* qui annus fuit primus libertatis Judæorum à Babylonica captivitate , vt ostendimus *tom. 2. Dissert. 10. Sect. 26.* per totam præsertim *num. 19.* Dariusque Medus mortuus fuit anno præcedenti , & ultimo septuagenariæ Babylonice captivitatis , post Babylonem ab illo , & Cyro devictam.

6 Et quidem P. Gaspar Sanchez in *capit. 9. Danielis ¶. 20.* ad illa verba: *In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, qui imperavit super Regnum Chaldaeorum, anno uno Regni eius,* ait, constantem esse , omnium existimationem post victos Babylonios , uno tantum anno vixisse Darium, qui in illud Regnum successit annos natus sexaginta duos , vt disertè inquit Daniel *cap. 5. ¶. 31.* Quapropter fieri non potuit, vt istius Darij pater, fuisset antea Persarum Imperator , & Monarcha, sive Assuerus , quem inquirimus, quia tunc temporis inchoatum non erat Persarium Imperium.

7 Quartò reiicitur eadem positio; quoniam Assuerus, de quo Daniel *cap. 9.* de semine Medorum erat; at maritus Estheris Persam, & Persarum Regem se vocat, *Esther cap. ultim.* Quintò, quia maritus Esther Susis regiam suam habebat, *Esther cap. 1.* at Susa non erat Medorum re-

regia, sed Persarum, ut scribunt Solinus cap. 58. Diodorus lib. 11. Et Plutarchus in Artaxerxe. Neque ijs repugnat Justinus lib. 11. Et Quintus Curtius lib. 4. qui regiam Persarum scribunt fuisse Persepolim; nam, ut refert Strabo lib. 15. Et Persepolis, & Susa, Regiae Urbes Persarum erant, eo tamen discrime, quod Persepolis ideo regia dicebatur, quia apud eam Gazæ, & Sepulchra Regum essent, Susa vero, quia in ea Reges ipsi morarentur. Susis autem sedem suam Cyrus constituit, quod cum ea Civitas sita esset in finibus Assyriæ, Persidis, & Mediæ, commodissimè poterat inde universum Imperium defendi, & regi. Non igitur Assuerus maritus Esther Medus aliquis fuit, sed Persa, id quod ex sequenti Sec. inclaret amplius.

## SECTIO SECUNDA.

QUISNAM FUERIT DARIUS MEDUS DE  
quo Daniel cap. 9.

I **U**T præcedentis Sectionis assumptum innoteſcat amplius, operè pretium erit disquirere, quisnam fuerit Darius Medus de quo Daniel Propheta qui nonum libri sui caput ita orditur: *In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum,* qui

qui imperavit super Regnum Chaldaeorum , in quo suo proæmio profecto nos allicit Propheta , vt disquiramus quisnam fuerit Darius iste, apud quem Daniel plurimum valuit, & de quo sæpe sermonem habet in eodem libro , refertque haud parum, agnoscere quisnam ille fuerit ad nostræ tractationis scopum.

2 Prima ergo opinio fuit quorumdam apud Petrum Comestorem Authorem *Historiæ Scholastice super Daniëlem cap. 8.* qui existimarent , hunc Darium fuisse avum Balthasaris ultimi Regis Chaldaeorum : huncque ex filia illius fuisse generatum : & quia Balthasar filios non habebat propterea eo interempto, Darium Chaldaeorum Imperium occupasse. Verum quia nec Author *Historiæ Scholastice* eam sententiam appobat , nec Authores illius nominatim memorat, nec vlla eius sententiæ probabilis ratio suppetit , idcirco illam cum P. Pererio , & alijs communiter reiçimus.

3 Secunda opinio est Severi Sulpitij in lib. 2. *Sacra Historiæ* , asserentis , hunc Darium regnasse 18. annis,qua tempestate apud Medos regnabat Astyages. Sed & id non est rationi consentaneum ; nam , & hunc Darium imperasse Medis ex 6. *Danielis cap.* constat: & Astyagem Imperium Medorum tenuisse, omnes tradunt Humanæ Historiæ Scriptores, sed fieri non

potuit, aut nec nisi raro contingit, ut eodem tempore simul duo Reges sint in eodem Regno: igitur sustineri non potest haec opinio.

4 Tertia sententia est Theodoreti *in Orat.*

6. *super Daniel;* commentarios enim suos in Danielem digessit in Orationes, quas habuit ad Populum; censet autem Theodoretus, hunc Darium fuisse nepotem ex filia Regis Nabucodonosor. Itaque is matrem habuit Chaldaeam, sed patrem Medium ideoque cognominatus est Darius Medus, non autem Darius Chaldaeus; fuisse vero eum nepotem Nabuchodonosoris, hoc modo argumentatur Theodoretus: Deus per Hieremiam *cap. 27.* promisit, daturum se Regnum amplissimum Regi Nabuchodonosori, & filio eius, & filio filij: cum igitur Balthasar fuerit filius Nabuchodonosor, ut ipse Theodoretus paulo superius dixerat, & Daniel significat *capit. 5.* appellans Nabuchodonosorem patrem Balthasaris.

5 Post Balthasarem autem proxime tenuit Regnum Chaldaeorum, Darius Medus ergo ut constet illud Dei promissum de successoribus Nabuchodonosoris, necesse est, hunc Darium nepotem fuisse magni Nabuchodonosoris; & quidem ex parte, seu fundamento Theodoreti assentitur P. Tirinus, *Chronici cap. 34. fine,* ubi docet Balthasarem fuisse Nabuchodonosoris filium,

lium, eundemque esse, qui & Nabo, *Isaiæ 46. v. 1.* & Merodach, *Hieremiæ capit. 56. v. 2.* Et Evilmerodach *lib. 4. Regum, capit. ultim. v. 27.* Et Labonidus in Berofo apud Josephum *lib. 1. contra Apionem*, & ipsi Josepho *lib. 11. Antiq. cap. 12.* seu Labonitus Herodoto, teste quoque Scaligero.

6 Cœterū hanc sententiam complecti non mihi permittunt primò, quæ in *Dissert. 10. de Annis septuagenariæ Babylonicae captivitatis* tradidi, *Sect. 7. ¶ 21.* ubi dixi, Balthasarē non fuisse filium, sed nepotem Nabuchodonosoris, ipsiusque filij filium, ut præcipue stabiliunt *V. perdoctusque P. Ribera in cap. 1. Zachariae, num. 24. ¶ seqq. P. Salianus, Anno Mundi 3472. num. 25. ¶ seqq.* Videſis præcitatam *Dissert. 10. Sect. 21.*

7 Secundò ; quoniam illud Jeremiæ vaticinum, quo suam Theodoretus firmat sententiam, planè subvertit eam ; siquidem eo loco Dominus pollicetur, se daturum Regnum filio Nabuchodonosoris, & filio filij, at qui Darius, ut fatetur Theodoretus, non fuit filius filij Nabuchodonosoris, sed tantum filius filiæ : ergo non ad ipsum pertinebat illud Dei promissum.

8 Ad hoc respondet Theodoretus, quod sicet Darius esset filius filiæ, dictum tamen, eo loco Jeremiæ, filium filij, quod consuetudo sit

sit Scripturæ, genealogias describere non per fœminas, sed per matres. Est sanè ita, vt inquit Theodoretus; sed ex ratione cogēte, & citra veritatis iniuriam; vt autem, qui nullo modo filius ostenditur alicuius, dicatur simplicitè eius filius, nec solet, nec appositiè intelligitur in Scriptura.

9 Tertiò: Deus promissit, se conservatum Regnum Chaldaicum in illis, nempe in Nabuchodonosore, in filio eius, & in filio filij, quod promissum pertinebat ad beneficium, & quandam veluti mercedem Regis Nabuchodonosoris; at Darius tantum abest, vt Regnum Chaldaicum conservaverit in familia Regis Nabuchodonosoris, vt omnem familiam eius, interfecto Balthasare, penitus extinxerit, Regnumque à Chaldæis ad alias gentes, videlicet Persas, & Medos transtulerit; id quod significavit Daniel, cap. 5. exponens tertium vocabulum illius Scripturæ Phares, & dicens: *divisum est regnum tuum, & datum est Persis, & Medis:* igitur fieri non potuit, quod Darius Medus fuerit nepos Nabuchodonosoris.

10 Quarta opinio potest esse affirmans, hunc Darium esse eundem, quem Græci appellant Cyrum; etenim quæ Daniel de hoc Dario Medo scribit, ipsum nempe debellasse Chaldaeos, & eorum Imperium ad Medos, & Persas traduxisse, eadem ipsi de Cyro Græci, & Latini tra-

64 *Sacra Chronologica, dissert. duodesima.*  
tradiderunt: quam opinionem innuere videtur  
*Theodoretus in princip. 6. Orationis super Da-*  
*nilem*, & quoad speciem probabilem putat P.  
Pererius.

II Sed refellitur primò; quia Darius fuit  
Medus, & de semine Medorum, ut Daniel ait,  
*initio cap. 9.* Cyrus vero Persa fuit, & patre  
Persa generatus: ergo non idem esse potuit  
Darius, ac Cyrus. Secundò cum Darius Me-  
dus evertit Regnum Chaldaeorum, natus erat  
sexaginta duos annos, sicut docet Daniel, ex-  
tremis verbis 5. capit. nec exinde regnavit  
nisi uno, nec integro anno, ut ostēdit P. Pererius  
*q. 2. supra c. 9. Danielis;* at qui Cyrus, qui regnare  
cœpit post eversum Imperium Chaldaeorum  
quadraginta annos natus erat cum regnare cœ-  
pit, idque per triginta annos tenuit, ut scrip-  
tum reliquit Cicero *lib. 1. de Divinatione*, plu-  
resque alij: nos tamen in *tom. 2. Dissert. 10.*  
*Sect. 26. num. 6.* & seqq. ostendimus, Cyrum  
viginti tres annos regnum obtinuisse, septem  
vero impetasse post devictam Babylonem,  
adeoque Cyrum super vixisse Dario: ergo om-  
nino distingui debet Cyrus, à Dario. Tertiò,  
Daniel in extremo 6. capit. satis appetè indi-  
cat, aliud fuisse regnum Darij, aliud Cyri Per-  
sæ, hisce verbis. Porrò Daniel perseveravit us-  
que ad regnum Darij, regnumque Cyri Persæ.



Quin-

12 Quinta opinio est , hunc Darium Medum esse Dariū Hystaspidem; Herodotus enim lib. 3. Et Justinus, lib. 1. tradunt , bellum gesisse cum Chaldæis , eosque, Babylone expugnata, subiugasse: hoc ipsum autem de Dario Medo in capit. 5. scripsit Daniel : eamque sententiam D. Hieronymus super nonum caput Danielis, tribuit Porphyrio; nec ab ea abhorrente videntur Tertullianus in libro , quem scripsit , adversus Iudeos , & Cyrillus Hierosolymit. in Catechesi 12. Ioannes Annus in Megasthenem , in Philonem , nec non , & vestigia eius persequentes Ioannes Lucidus de Emendatione temporum , Gerardus Mercator, in suis Annalibus , ac denique Ioannes Driedo lib. 3. de Sacris Scripturis , cap. 5. part. 3.

13 At hæc opinio refellitur , quoniam inter Darium Medium , & Darium Hystaspis discriminis plurimum reperitur. Primo ille fuit genere Medus ; hic Persa : ille fuit filius Assueri, id est, Regis, ut inquit Daniel cap. 9. hic minimè, ut ex recepta sententia nos infra ostendemus: ille regnavit ante Cyrum, ut ex ultimis verbis cap. 6. Danielis, colligi potest , ibi: Porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darij , regnumque Cyri Persæ , ubi prius refertur , supponiturque regnasse Darium; postea Cyrum , hic vero , scilicet Darius Hystaspis regnavit post

66. *Sacra Chronologica, differt. duodecima.*  
obitum Darij Medi quadraginta annis, ut existimat ex alijs P. Peterius *in capit. 6. Danielis*, at iuxta P. Saliani temporis rationem, quam nos *tom. 2. Differt. 10. Sect. 19. num. 5. Et Sect. 24. num. 5.* prosequunti sumus, non nisi quindecim annis post Darium Medium cœpit regnare Darius Hystaspis, inter utrumque enim interierant anni septem Cyri, & Cambysis octo.

14. Ratio autem, quæ in eam sententiam prælaudatos Authores adduxit, ex similitudine nominis eorum, qui Babylonem subiugarunt, insubstens est: Babylon enim bis capta fuit, diversis temporibus, & imperio Medorum, ac Persarum subiecta: primò à Dario Medo, Cyro adiutore, qui regnum Chaldæorum ad Medos, ac Persas primò transtulit. Quibus cum aliquot annos paruissent Chaldæi, postea rebeliantes ab eorum Imperio defecerunt, & adversus eos belum gessit Darius Hystaspis, & expugnata Babylone, iterum ipsos sub iugum misit, ut cernere est apud Herodotum, & Justinum, locis supra citatis; idemque tradit P. Salianus *Anno Mundi 3533. num. 46. O. 47.*  
*Et Anno 1534. num. 8. O. seqq.*



SEC-

## SECTIO TERTIA.

POTIOR ALIA OPINIO DE DARIO

*Medo apud Danielem capite 9.  
proponitur, & deseritur.*

**S**EXTA opinio est, hunc Darium, de quo Daniel, fuisse eundem, quem Græci appellant Astyagem, fuisseque avum Cyri: ita quosdam sensisse, & tradidisse, refert S. Hieronymus super 5. *caput Danielis*. Et verò idem sensisse videtur Eusebius faciens in *Chronico* Astyagem ultimum Medorum Regem, post quem Cyrus proximè regnavit. Diodorus Siculus *lib. 2. Bibliothecæ*, ait, Apandam, quem Græci Astyagem vocant, Cyri armis opressum, sicque Medorum regnum ad Persas transiisse, adeoque Astyagem dicit ultimum Medorum Regem, qui sanè fuit Darius. Strabo *lib. 15.* refet, Cyrum Pasargadis honorem habuisse, quod ibi Astyagem Medum ultimo prælio superasset, & Asiae Imperium in se transtulisse. Nec Herodotus historiæ patens, ullum alium à Cyro Persa Astyagis successorem agnoscit, adeoque Astyages debuit esse Darius Medus; solus Xenophon in *Declaratoria sua Cyropædia* Astyagi Cyaxarem silium dat successorem, cum tamen Justinus *lib. 1.*

Herodotus etiam in Clio, Valerius Maximus lib. i. cap. de Somnijs, afferant, eum prole mascula caruisse. P. Gordon. cap. 12. num. 18. Xenophon tem, inquit, in sua Pædia, nihil minus, quam res Chronologicas, aut etiam veras tractasse, & Cicero lib. 1. epist. ad Quintum fratrem, negat, eum ad fidem historiæ de Cyro scripsisse: si ergo communis consensu historicorum, Cyrus successit Astyagi, successit autem, ut Scriptura testatur, Dario Medo, certè non aliud est Astyages à Dario Medo, id quod sentit P. Maldonatus in capit. 9. Danielis, num. 1. Et in capit. 13. fine.

2 Cui sententiæ si opponas primò, nullum ex humanarum rerum Scriptoribus tradidisse, Astyagem gesisse bellum cum Chaldaëis, & Babylonem expugnasse, imperiumque Chaldaeorum ad Medos, & Persas transstulisse, quæ tamen omnia de Dario Medo traduntur in Sacris literis, responderi posse, inquit, P. Pererius, Astyagem quidem debellasse Chaldaeos, sed quia Cyrus, eius ex filia nepos, juvenis fuit bellicosissimus, & egregiam eo in bello operam navavit, quia etiam belli prosperè conficiendi comparandæque victoriae Princeps fuit, ideo tam Persæ, quam Peris faventes Græci, omnem eius belli, & victoriæ gloriæ vni Cyro tribuerunt.

3 Si secundò opponas, falsum esse, Cyrum proximè regnasse post mortem Astyagis, ut assumebatur pro superiori stabilienda opinione, id enim neque si Xenophontem sequamur, neque si credamus Herodoto verè dici potest; Xenophon namque post Astyagem regnare facit Cyaxarem eius filium, postea verò Cyrum; Herodotus autem tradidit, Cyrum cum bis bello petijisset Astyagem, vicissetque, relegasse eum in Carmaniam, eoqne vivo, imperium sibi vendicasse. Ante mortem igitur Astyagis Cyrus regnare coepit.

4 Si inquam id opponas, obiectio dilui potest ex P. Pererio, dicendo, Cyrum, quoad vivit Auus eius Astyages, non regnasse legitimè, sed per vim, post mortem autem Astyagis iuste ille regnavit; quippe qui nepos eius erat, & versus regni heres, propterea divina Scriptura iustum Cyri regnum tantummodo spectans exordium regni eius, non ex quo per vim, sed ex quo legitimè regnare cooperat, estimare, & declarare voluit. Hæc igitur sententia præcedentibus potior est, nihilominus desserenda venit ex dicendis Sect. sequenti.



¶¶¶

¶¶¶

¶¶¶

¶¶¶

## SECTIO QUARTA.

**COMMUNIOR, ET VERIOR SENTENTIA**  
*proponitur, & probatur.*

I **S**umptima sententia est utique communi-  
 nior, & verior, dicens hunc Darium  
 Medium apud Danielem *capit. 9.*  
 fuisse filium Astyagis, & avunculum Cyri.  
 Ita sentit Josephus *lib. 10. cap. 12.* Darius (in-  
 quirit ille) cum extingueret Babyloniorum imperium  
 adiutus a Cyro cognato suo, annum agebat sex-  
 gesimum secundum, qui fuit Astyagis filius; apud  
 Græcos alio vocatus nomine. D. Hieronymus in  
*cap. 5. Danielis, initio, & fine.* Josephum se-  
 quitur, & hunc Darium Regem Medorum, &  
 Cyri avunculum nominat, quod scilicet ex  
 Mandane filia Astyagis, & sorore Darij natus  
 esset, & iterum *cap. 8. Danielis, v. 3.* ad illa ver-  
 ba: *Et levavi oculos meos, & vidi, & ecce aries*  
*vetus stabat ante paludem habens cornua excelsa,*  
*& unum excelsius altero, atque succrescens* (inquit  
 D. Hieronymus) *Arietem Darium vocat avuncu-*  
*lum Cyri, qui post Astyagem patrem regnavit in*  
*Medis: Cornu autem succrescens ipsum Cyrus*  
*significat, qui post Astyagem avum maternum*  
*vnam avunculo Dario, quem Græci Gyaxarem vo-*  
 can

vocant, Medis imperavit, & Persis. Idem sentit Author mirabilium Sacra Scripturae, lib. 2. cap. 32. Nicolaus de Lyra in 6. & 9. cap. Danielis; Severus Sulpitius lib. 2. qui vocat Cyrum Astyagis ex filia nepotem. Comestor cap. 16. in Daniellem, Vatablus in caput 5. Danielis in fine, ubi Artaxerxes, more Graecorum, pro Astyage ponitur: sic Chaldei Assuetum, commune Medorum Regum nomen, pro Astyage proprio usurpant.

2. Cosignant Adricomius in Chronico, Genibardus etiam ex parte tenet eandem sententiam, licet Darium Hydasphem cum Dario Medo confundat. Docet præterea eandem sententiam, PP. Sa. in fine cap. 5. & 9. Danielis; Gordonus in Chronologia cap. 12. num. 14. Azor Institutionum Mor. tom. 1. lib. 6. cap. 56. quest. 3. Gaspar Sanchez in cap. 9. Danielis; Salianus ad Ann. Mundi 3454. num. 7. Titinus in capit. 9. Danielis, Torniellus 6. etatis an. 8. num. 2. Et anno 47. num. 1. & 2. Peregrinus lib. 7. in Daniellem quest. 1.

3. Et pro ultiori istius sententiae declaracione animadvertisendum ex P. Peregrino, hunc Darium Medium quatuor nominibus esse appellatum: dictus est Darius à Daniele 6. capit. 11. cap. 5. & 9. At vero septuaginta Interpretes appellant eum Artaxerxem, ut advertit D.

Hieronymus super cap. 6. *Danielis*. Tertiò apud Xenophontem nominatur Cyaxares: Quartò in postremis verbis cap. 13. *Danielis* nuncupatur Astyages, iuxta P. Pererium; ideoque ibi dicitur, post illum regnasse Cyrus, hisce verbis: *Et rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius.*

4. Fulcitur etiam hæc sententia ex præcedentium oppugnatione; tum quia Sacris Scripturis, & humanæ historiæ confona est, nihilque adversus illam opponi valet, quod congruam non accipat solutionem. Nec enim obest quod Daniel in præcito loco, Cyrus Astyagi successisse, dicat, successit enim, quia breve tempus regni Darij Medi pro nihilo computatur; eodem quippè anno quo Darius, & Cyrus Babylonem expugnarunt, Darius mortuus fuit, videtur P. Salianus ex communī sententia, *Anno Mundi 3516. num. 80.*

5. Quod si opponas ex Herodoto lib. 1. Valerio Maximo lib. 1. cap. de Somnijs. Justino lib. 1. Severo Sulpitio lib. 2. *Sacræ historiæ*, alijsque pluribus, tam Græcis, quam Latinis, quasi rem veram tradentibus, Astyagem catuisse prole mascula, & unam solum filiam, quæ Cyrus perperit, habuisse, illique in Regnum proximè Cyrus successisse, & consequenter verum non esse, quod diximus, nempè Darium, seu Cy-

xarem fuisse filium Astyagis, & post ipsum quidem, sed ante Cyrum regnasse.

6 Ad hoc responderi potest iuxta Authorem *historiae Scholastice*, qui super *librum Danielis*, cap. 16. affirmat, Astyagem non habuisse filium, sed unicam filiam; Cyaxarem vero, seu Darium Medium non fuisse natura filium Astyagis, sed consobrinum; verum cum Astyages bello pereretur, & premeretur a Cyro, odio eius, scilicet, ne ad ipsum aliquando regnum eius perveniret, filium sibi adoptavit Cyaxarem, regnique hæc edem nuncupavit.

7 Cyrus itaque devicto Astyage regnum quidem concessit Cyaxari sive Dario Medo quoad vixit, contentus vindicta avi, aut virtus, ne si etiam Cyaxarem regno pelleret, omnium contra se Medorum odia, & vires concitaret. Ex quo conficitur, Cyaxarem ne fuisse filium Astyagis, sicut tradit Herodotus: nec enim natura fuit filius: sed fuit tantum filius adoptione, quemadmodum narrat Xenophon, & nostra assertit sententia.

8 Si opponas secundò, quod nullius veterum specifica autoritate, sed coniecturis tantum firmetur nostra sententia, responderi vallet, quod cum Xenophon, & Herodotus de Cyro, & Astyage plurimum inter se dissentiant, ligebit nobis in eo, de quo nunc agimus, Herodo-

74 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
to præferre Xenophontem. At enim Herodotus, & peretus, & valde gravis Author est? Verò, sed Xenophon paulo recentior eo fuit: siquidem Herodotus floruit quadragecentis annis post Homerum, & Hesiodum, scilicet anno ab urbe condita 310. ante ortum Christi Domini 442. adnotante Plinio, lib. 12. *Naturalis Historiae*; Xenophon verò Socratis discipulus ante natum Christum circiter quadragecentis annis: ut observat P. Tirinus.

9 Dices, Xenophontem libros illos de Cyro, non ad fidem historiæ, sed ad effigiem iusti Imperij, atque optimi Principis scripsisse. Respondetur, multa quidem in illis libris ad veteriorem, & illustriorem Cyri laudem dicta esse à Xenophonte: verum non pauciora apud Herodotum réperiri mendacia, idem testis est Cicerio, qui *lib. de Legibus*, apud Herodotum innumerabiles ait, esse fabulas. Quapropter huius licet per antiqui Historiographi authoritas impedimento esse nequit, ut sententiaz illi subscribamus, quæ magis conformis videtur Sacris Scripturis.

10 Pluribus ergo in rebus Herodotus, & Xenophon in historia Cyri, & Astyagis inter se discrepant; Herodotus enim Astyagem facit ultimum Medorum Regem: Xenophon penultimum; tum ille negat Astyagi suisse filium, sed yni.

vnicam tantum filiam; Xenophon autem filium eius appellat Cyaxarem. Ille scribit Astyagem debellatum esse à Cyro, regnoque pulsum, & relegatum in Carmaniam, ibique obiisse: Xenophon tradit illum in regno suo, admodum puerulo Cyro, naturali morte dececessisse, regnumque filio Cyaxari, reliquisse.

II Deinde tradit Herodotus, Cyrus obscurum natum patre, & humilitè educatum inter pastores; contra Xenophon inquit, Cyrus patre, Persarum Principe, quiq[ue] genus duceret ex Perseo, generatum, atque in aula patris, atque avi educatum. Ad hæc Herodotus ait, Cyrus misserimè in bello, quod gessit cum Tomyri, Massageterum Regina, perijisse: Xenophon verò scribit illum domi suæ tranquillissimè, ac felicissimè vita defunctum. Denique Herodotus prodidit, illum regnasse novem supra vinti annos: Xenophon autem annos duntaxat septem: quo sanè intellecto de annis Imperij Persarum, verum vtique habet iuxta communem sententiam, quam probat P. Sallianus *Anno Mundi 3523. num. I.* nosque ipsi subscriptissimus in *Dissert. 10. Sett. 26. num. 12.* Denique cum præter Xenophontem stent pro nostra sententia Josephus, & D. Hieronymus, locis supra excerptis, dici non potest, illam tantum esse Recentiorum.

## SECTIO QUINTA.

*SENTENTIA ASERENS CAMBYSEM  
fuisse Assuerum Estheris maritum  
rejecitur.*

I **H**ebræi igitur *in Seder Olam*, id est, in ea Chronologia, quæ ordo seculi inscribitur, *cap. 29.* existimant, maritum Estheris non alium esse posse, quam Cambyssem Persarum Imperatorem, adhæret Genebrardus *in sua Chronologia*, nec repugnat Liranus, qui ex eo matrimo tradunt, esse genitum Darium, qui Hystaspis nuncupatur: rejecienda tamen venit sententia ista; primum quoniam Assuerus maritus Esther supra duodecim annos regnavit, ut probatur *ex Esther cap. 3. v. 7.* vbi sic habetur: *Mense primo (cuius vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri missa est sors in urnam, que Hæbraicè dicitur Pbur, coram Amian, quo die, & quo mense gens Iudeorum deberet interfici: & exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar: duodecimo autem mense, ut dicitur in eodem libro cap. 9. tertia decima die, quando cunctis Iudeis imperfectio parabatur, versa vice Iudei superiores esse cœperunt: perspicuum ergo est, Assuerum Estheris maritum supra duodecim annos regnasse.*

2 At Cambyses, si Josepho lib. 11. Antiquit. cap. 3. fides adhibetur, præcisè, per sexennium regnavit: Eusebius autem, & V. Beda illi concedunt regni annos octo: Severus Sulpitius, & Hebræi in *Chronico*, annos novem. Qui verò aiunt Eusebium, quem sequuntur Glareanus, & Scaliger, in illis octo, annis includere septem menses fratrum Magorum, qui post Cambysem imperarunt, magis dicunt, quod fieri oportuerit, quàm quod ab Eusebio factum sit, ut adnotat P. Salianus *Anno Mundi 3524. num. 2.* & meritò, nam in *Chronico* annos octo seorsim ab illis mensibus Eusebius ponit.

3 Communis, tamen receptaque passim sententia semptem menses Magorum, ad quinque ultimos Cambysis menses adiungit, sicque integros annos octo regno Cambysis, seu à morte Cyri ad Regnum Darij Hystaspis constituit. Ita Freculphus, Torniellus, Mercator. P. Pererius, Ribera, Gordonus, Samerius, & cum ipsis Salianus *Ann. Mundi 3524. num. 2.* tum sectatij Heluicus, Functius, Capellus.

4 At P. Ribera in *cap. 1. Zachariae, num. 33.* ad opinionem Hebræorum cum communi conciliandam, inquit, Cambysem sex annis cum suo parente Cyro regnasse; cæterum id videtur Herodoto repugnare, qui *lib. 1. fine, refert, Cy-*  
*rum*

78 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima:*  
rum sub ipsum tempus prælij, quo & extinc-  
tus est, regnum Cambysī tradidisse; sic enim  
ait: *Cyrus in Cambysis filij sui, cui regnum tra-*  
*debat, manus præbuit Crœsum, ac maiorem in*  
*modum, ut hominem honore, beneficiisque prese-*  
*queretur, præcepit, si sua adversus Massagetas*  
*traiectio non rectè cederet. Hæc ubi præcepit,*  
*eoque remisit in Persidem, ipse cum copijs suis*  
*flumen traiecit. Sic Herodotus: non igitur sex*  
*tùm annis regni socius erat Cambyses, cum*  
*regnum eodem ipso tempore à patre in om-*  
*nem eventum acciperet.*

5 Hebræi verò Cambysī quatuordecim  
Imperij annos tribuunt, sed falluntur, quem-  
admodum in eo quòd Persarum Imperatores  
tres tantum enumerant, videlicet Cyrum, As-  
suerum, que n dicunt esse Cambysēm, & Da-  
riūm, qui a Magno Alexandro victus fuit, quod  
tamen a vero discedit; compertum enim est  
apud Chronologos, post Cyrum, & Cambyssem  
vsque ad Dariūm Arsamij filiam, ultimum Per-  
sarum Regem, plures alios imperasse in Persi-  
de, nempe Dariūm Hyſtaſpidem, Xerxem, Ar-  
taxerxem Longimanum, Xerxem secundum,  
Dariūm nothum, Artaxerxem Mnemonem, Ar-  
taxerxem Ochuum, Arsemque: unde commu-  
nitè reiſcitur Hebræorum exitimatio, nec in-  
ſuper recipitur ſententia Clementis Alexandri-  
ni

ni lib. I. Stromatum, aiehtis, Cambysēm novendecim annos imperasse, falsumque censetur, quod Ctesias historicus scribit, scilicet, duodeviginti annos regnasse.

6 Secundō reiicitur eadem sententia, quoniam Cambyses, toto tempore Imperij sui, Judæos odio prosecutus est, nec vñquam permisit, Templum ædificari Jerosolymæ, vt aperte colligitur ex lib. I. Esdræ, cap. 4. v. 5. & 24. vbi dicitur: *Tunc autem intermissum est opus domus Domini in Ierusalem,* & non fiebat usque ad annum secundum regni Darij, regis Persarum, Darij videlicet Hyllaspidis ex dictis *Dissert.* 10. *Sect. 5. num. 9.* Et *Sect. 17. num. 3.* & 4. qui Darius regnavit post Cyrum, & Cambyses. Quis igitur credat, Cambyses illum Assuerum esse, qui post mortem Ariani Judæorum amantissimus fuit.

7 Tertiò oppugnatur, quia Assuerus, de quo differimus, lib. Esther, cap. ultim. v. 16. aperte indicat, se longo intervallo distare à temporibus Cyri, cum dicit: *Dei beneficio, & patribus nostris, & nobis regnum est traditum, & usque hodie custoditum,* quæ certè in Cambyses non quadrant, qui Cyro proximus fuit, Cyrus autem primus Perlarum Monarcha.

8 Neque fundamentum Hebræorum de tribus Persarum Regibus solidum est, cum non so-

solum omnes historici Græci, & Latini contradicunt, & ipse etiam Josephus natione, & religione Hebræus, sed etiam Daniel, atque Esdras; nam *Danielis cap. 11.* post illa verba: *Ecce adhuc tres Reges stabunt in Perside,* sequitur, & quartus dicitur *opibus nimis super omnes,* & cum invaluerit divitijs suis concitatibus omnes adversus regnum Græcorum. Quibus verbis aperte describitur Xerxes, qui cum innumerabili exercitu venit in Græciam.

9 In lib. autem 1. *Esdrae, cap. 4.* ¶. 3. & sequentibus, fit mentio Cyri, qui Templum construi iussit, tum etiam Assueri, seu Artaxerxis, qui id ipsum prohibuit, & Darij, qui iterum imperavit, ut Templum ædificaretur: deinde ca. 6. post Darium proponitur alias Artaxerxes, qui etiam nominatur lib. 2. *Estra, cap. 2.*

10 Quod autem Daniel tres Reges tantum nominavit post Cyrum usque ad Xerxem, non ideo scripsit, quia tres solum Reges in Perside extiterint post Cyrum, ut notavit D. Hieronymus in *Danielem*, vbi haec habet: *Frustra igitur quidam quartum Regem, hic nominatum fuisse putant, Darium, qui ab Alexandro superatus est:* at ille non quartus, sed quartus decimus post Cyrum, Persarum Rex fuit, quem septimo sui Imperij anno, & superavit, & occidit Alexander. Et notandum (pergit D. Hieronymus) quod qua-

quatuor post Cyrum Persarum regibus enumera-  
tis, novem præterit, & transferit ad Alexandrum.  
Non etiam cura fuit spiritui prophetali ordinem  
historiae sequi: sed præciara quæque perstringere.  
Quod subsuntur: surget rex fortis, &c. de Magno  
Alexandro intellige; hic enim Illyricis, Thracibus,  
Græcis, Thebæisque superatis transiit in Asiam  
fugatisque Darij ducibus urbem Sardis cepit, pos-  
tquam capta India, & urbe Alexandria condita,  
cum triginta duos ætatis haberet annos, & duode-  
cim Imperij in Babylone veneno perijt. Hæc D.  
Hieronymus.

II Consimilia scribit Theodoret, his ver-  
bis: Angelus vero usque ad ipsum Xerxem sum-  
matim traditis Persicis rebus, & ceteris qui post  
ipsum regnarunt, ut qui imbecilliores fuerint,  
omissis, ad Macedonum regem Alexandrum trans-  
tulit orationem. Unde conficitur, debile esse, &  
inefficax Hebreorum argumentum, ad asseren-  
dum tis tantum fuisse Persarum reges à Cyro  
usque ad Alexandrum, & Cambysim, proinde  
fuisse Assuerum Estheris maritum. Videatur  
perdoctus P. Pererius lib. 13. in Danielem, ubi  
eruditè de Persarum Regibus differit, eos-  
quæ à Cyro usque ad Alexandrum  
quatuordecim extitisse  
ostendit.

## SECTIO SEXTA.

*ALIUD EXCINDITUR HEBRÆORUM*  
*argumentum non rectè diductum ex lib. 2. Esdræ,*  
*cap. 12. ¶ 11. ¶ 22.*

1 **A**rguunt secundò Hebræi, sed non  
 urgentius, ut stabiliant, Camby-  
 sem fuisse Assuerum Estheris ma-  
 ritum, & in hunc modum ratiocinantur: *In lib. 2.*  
*Esdræ, cap. 12.* enumerat Nehemias magnos Sa-  
 cerdotes à Josue filio Josedech, pervenitque  
 ¶ 11. usque ad Jaddū, quem constat temporibus  
 Alexandri Magni Sacerdotio functum: ex hoc  
 autem sequi videretur, ut pauci admodum fuerint  
 reges Persarū, cum Nehemias, qui tempore Cy-  
 ri primi Persarum Monarchæ vir matus erat,  
 tempora Alexandri Magni attigerit, qui Per-  
 sarum Monarchiam destruxit.

2 Sed huic argumento fit satis primò ex V.  
 Beda *lib. 3. in Esiram, cap. 32.* ubi docet, Nehe-  
 miā enumerasse genealogiam Josue Pontifi-  
 cis usque ad Jaddū, quia Jaddi infantiam at-  
 tigit; nam ut habemus *lib. 2. Esdræ, capit. ultim.*  
 ¶ 28. tempore Nehemiacē, summus Pontifex erat  
 Eliā, nepos Josue, & proavus Jaddi, qui tem-  
 pore Alexandri iam senex Pontificatum gere-  
 bat,

bat, inter finem autem Artaxerxis Longimani, cuius pincerna erat Nehemias, *Esdre 2. cap. 1. fine, & cap. 2.* initiumque Alexandri sunt anni nonaginta quinque: fieri igitur optimè potuit, ut Jaddus, qui tempore Alexandri senex erat, tempore Nehemias infans esset.

3 Cæterum aliter, & fortè melius responderi potest secundo, diversos nempè Nehemias legi in *lib. Esdre*: primus fuit ille qui venit cum Josue, & Zorobabele anno primo Monarchiæ Cyri *lib. 1. Esdre, cap. 2. v. 2. & 63.* vbi cognominatur Athersatha, quæ vox Chaldaica est respondens hebreæ Nehemias, ut adnotant Vatablus, P. Sa. & alij Interpretæ. Hunc verò non fuisse Nehemiam Duxem Hebreorum, certum videtur, quia, eo primo anno Cyri, & pluribus deinde, Dux Judæorum erat Zorobabel, ut ex *1. lib. Esdre* probatur, eiusque ducatum usque ad unum & quinquaginta annos producit P. Salianus, ut videre licet *Anno Mundi 3567.*

4 Deinde Duxatum gessit Esdras annos tredecim, ex notatis ab eodem Saliano; quinimo inter Zorobabelem, & tempus quo florere coepit Esdras in suo ducis munere, fluxerunt anni viginti septem, ut tradit idem Salianus, *Anno Mund. 3567. & 3595.* quapropter ab initio imperij Cyri usque ad annum primū Nehemias Duxis Judæorum, qui fuit annus vigesimus

mus Artaxerxis Longimani, ex lib. 2. *Esdre*, ca. 2.  
 v. 1. siuxere anni nonaginta duo, ideoque in-  
 credibile fit, hunc Nehemiam, senem tunc, &  
 supra centenarium, tam grave munus guber-  
 nandi Populum suscepisse; & consequenter di-  
 cendum, Nehemiam, qui floruit sub Cyro, di-  
 versum fuille a Nehemia Duce, sub Artaxerxe  
 Longimano anno ipsius vigesimo.

5 Alium legimus Nehemiam lib. 2. *Esdre*,  
 cap. 3. v. 16. qui fuit Princeps dimidiæ partis  
 vici Bethsur, qui partem muri Jerusalem adi-  
 ficavit: porro autem hunc Nehemiam esse di-  
 versum à Nehemia Duce, probatur; quoniam  
 ille dicitur filius Azboc *dicto lib. 2. Esdræ, cap. 3.*  
 v. 16. Nehemias vero Dux Hebræorum fuit fi-  
 lius Helchiae, ut constat ex 2. *Esdre*, seu *Nehemias cap. 1.* v. 1. hic porro Nehemias filius Hel-  
 chiae fuit Populi Hebræorum Dux, ut constat  
 ex dicto lib. *Esdre 2. capit. 5. v. 14. Et capit. 12.*  
 v. 26. idemque toto lib. 2. *Esdre*, celebratur.

6 Qui etiam videtur esse Nehemias, qui  
 cap. 10. *eisdem libri*, numeratur in Sacerdoti-  
 bus, ut qui in subscriptibendo foedere recensetur,  
 Nehemiam autem Duxem fuisse Sacerdotem,  
 & vivente adhuc Eliab, Pontifice, Rempubli-  
 cam administrasse *ex cap. 1. v. 21. secundi lib. Macabæorum*, probatur; quia ille idem, qui  
 missus dicitur à Rege Persidis, vocatur sacer-  
 dos;

*Aliud excinditur Hebreorum, &c. Sec. 6.* 85  
dos; nullum verò legimus Nehemiam mis-  
sum à Rege Persidis præter Nehemiam Du-  
cem, qui id de se aperte testatur, *Nehemiæ*  
*cap. 5. v. 14.*

7 Ex prænotatis igitur lique<sup>t</sup>, ruere funda-  
mentum Hebræorum, ad afferendum, tres tan-  
tum, sive paucos admodum extitisse Persidis  
Imperatores à Cyro usque ad Alexandrum  
Magnum; quoniam Nehemias, qui tempore  
Cyri floruit, attigit quoque tempora Alexan-  
dri; id inquam fundamenti labascit; non enim  
fuit idem Nehemias, qui floruit tempore Cyri,  
& qui attigisse dicitur tempora Alexandri, nec  
etiam Nehemias, dux Hebræorum, attingere  
potuit tempora Jaddi Pontificis, & Alexandri  
Magni ut iam ostendo.

8 Igitur Claudio Frasen, pereruditus re-  
centior ex Sacra D. Francisci familia, in suis  
*Disquisitionibus Biblicis*, super *Esdram*, num. 5.  
inquit, Nehemiam diutissimè vixisse, quippe qui  
ad tempora Darij Codomani, regum Periarum  
prostremi, superstes fuerit; cuius argumentum  
est, quod *cap. 12. v. 26. lib. 2. Edfre*, id est. *Ne-  
hemiae*, sit mentio Summi Sacerdotis Jeddo<sup>r</sup>,  
quem Alexandro Magno Darij expugnatori,  
Jerosolymam eunti viam præiisse, narrat Jose-  
phus *lib. 11. Antiquit. cap. 8.* & proinde conce-  
dendi sunt Nehemiae anni, ut minimum, centum

86 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
triginta, sic Frasenius, id quod confirmat ex  
Scaligero, *de Emend. temp. lib. 6.*

9 Nihilominus dicendum, Nehemiam Du-  
cem tempora Alexandri Magni non potuisse at-  
tingere, quia aliter opus esset, ut ei concedere-  
mus ferè 150 aut etiam plures vitæ annos; nam  
si ei demus triginta annos, cum factus est Dux  
provinciæ, nimirum anno decimo nono, aut vi-  
gesimo Artaxerxis Longimani, ut deducitur ex  
*ex lib. Nehemias, cap. 1. & 2.* profectò anno qua-  
dragesimo, & ultimo Artaxerxis Longimani,  
ageret Nehemias annos quinquaginta; ab eo  
autem anno usque ad Alexandrum ferè centum  
anni supersunt; quoniam annus quadragesi-  
mus Artaxerxis Longimani concurrit cum an-  
no Monarchiæ Persarum 113. Persarum verò  
regnum, seu Monarchia persistit usque ad an-  
nos 208. ut optimè ostendit P. Salianus *Anno*  
*3324. num. 11.* adeoque Nehemias egisset an-  
nos ferè centum quinquaginta,

10 Porrò autem tempore Nehemias, vita  
tam longæva non erat, imò nec multo ante, ut  
probatur ex illo *Psal. 89. v. 10. & 11. dies anno-*  
*rum nostrorum in ipsis septuaginta anni*, si au-  
tem in Potentatibus octoginta, & amplius eorum  
labor, & dolor: igitur nulla ratione possumus  
concedere Nehemias vitæ annos centum quin-  
quaginta, vel centum triginta.

Quam-

11 Quamobrem potius dicendum videtur, in diversis Scripturę locis, posteriores Pōtifices, vel Scribas supplevisse, quę deerant circa huiusmodi genealogias, seu verūculum 11. *capit. 12.* *lib. 2. Esdræ*, vbi fit mentio Pontificis Jeddoꝝ, seu Jaddi, qui praeerat tempore Alexandri Magni, ab aliquo alio Scriptore Sacro insertum esse huic libro Nehemiac, ut posteris constaret de successione Pontificum Synagogæ per omne tempus Monarchiæ Persicæ, quæ stetit usque ad Alexandrum Magnum; ita docet P. Salianus, *Ann. Mundi 3621. n. 11. & 3629. num. 8. Tirinus in lib. 2. Esdræ, cap. 12. ¶ 12.*

12 Sic Esdras supplevisse dicitur, quæ de esse videbantur, assistente ipsi Spiritu Sancto, quæ de morte Moysis habentur *in fine Deuteronomij*; de Josue morte, ac sepultura *in fine libri eius*, quæ rursus *in fine Prophetiæ Jeremiah* habentur de regno Evilmerodachi, & de exaltatione Joachim, quæ constat mortuo Jeremiah contigisse.

13 Eadem est ratio extremi *libri Tobia, & Judithæ*, cuius Authorem dicitur esse Joachimum Pontificem, qui longè ante Juditham mortuus est; illa quoque ab eodem Esdra adiecta non immerito existimantur, vbiunque dicitur, usque ad presentem diem, quæ longinqui temporis seriem denotant.

14. Sic etiam post Esdram aliqua adiecta fuisse sacris libris, multis ex locis colligi potest, ut *cap. 30. lib. 1. Paralip.* ubi longa Davidis genealogia describitur, & multo ultra Esdræ aetatem, in duodecim videlicet generationes descendit. Initium *cap. 11. Esther*, ad Mardochæum, & ad Esdram pertinere non potest; quod enim ibi refertur de interpretatione Lysimachi, regnibus Ptolemaeo, & Cleopatra, dia post Alexandrum Magnum contigit: consimiliter ergo afferimus, quod *cap. 12. Nehemia*, sit mentio Jeddœ, sive Jaddi Summi Pontificis, & Levitarum, qui fuerunt in Pontificatu eius, non quia Esdras, aut Nehemias, id conscripsit, cum ad illud tempus nullus eorum pervenerit; sed ex adiectione posterioris alicuius Pontificis.

15. Et quoniam Frasenius afferens Nehemiam attigisse tempora Jeddœ Pontificis, designat illi annos vitae 130. atque Nehemiam cum esset annorum sedecim electum fuisse Hebrei Populi Ducem, anno videlicet vigesimo Artaxerxis Longimari, & Julianæ Periodi 4269. Hinc profectò refellendum venit denū Frasenij placitum; quia nemo nisi difficulter in suadam suam inducere poterit, puerum, seu adolescentem sedecim annorum, prudenter electum fuisse Ducem Populi Iudeorum, praesertim,

tim, ut curam impenderet instaurandi Urbem Jerosolymam, eiusque muros reædificandi, ob-sistentibus valde Judæorum hostibus, Esd. lib. 2. cap. 4. v. 17.

16 Deinde ex eadem Julianæ periodi com-pputatione videtur, non adamussim calculos subduci à Frasenio; annus quippè vigesimus Artaxerxis Longimani non incidit in annum Julianum 4269. vt prædictus Author scribit, sed potius in annum 4259. vt observat huiusc Julianæ periodi illustrator dissertissimus P. Pe-tavius, tom. 2. de Doctrina temporum, lib. 13. ad prædictum annum; porrò ab hoc tempore us-que ad annum 4384. in quo Darius Codoma-nus vicitur ab Alexandro Magno, iuxta eun-dem Petavium, fluxere anni 125. quibus si ad-das, vel ipsos præcisè sedecim annos, quos Ne-hemiæ concedit, Frasenius quando in Ducem Hebræorum electus fuit, anno vigesimo Art-a-xerxis, non solum fient 130. anni, sed etiam 141. vitæ Nehemiæ, id quod nec Frasenius admittet.

17 Haud me latet hunc excessum anno-rum provenire posse ex diversitate epochæ, & hypothesis præsupositæ ad Julianam periodum connectendam, seu applicandam, vt ostendi tom. 2. Differt. 10. Sect. 28. num. 25. quoniam in præsentia supponit Frasen, annum vigesimum Artaxerxis Longimani concurrere cum anno

4269. Julianæ periodi ; at Petavius existimat incidere in annum 4259. Julianum. Cæterum hinc colligitur , temporis rationem ex Julianæ periodo diductam laborare ea incertitudine, quæ reperitur in hypothesi, seu epocha, quam illa supponit, ut dicta *Dissert. 10. Sect. 28.* prælibavi; & Frasenij opinionem non satis eo argumento fulciri, etiam diducitur.

## SECTIO SEPTIMA.

*REFELLITUR SENTENTIA ASSERENS  
Xerxem primum fuisse Assuerum Estheris  
maritum.*

1 **S**ENTENTIA est Josephi Scaligeri, Assuerum, de quo disserimus, esse Xerxem, qui adeò confidenter scribit lib. 6. de *Emendatione temporum*, vt affirmet, neque de eo dubitate posse, nisi, qui nullo ingenio sit, neque negare, nisi malignum ; in *Animadversionibus*, autem *Eusebianis*, plumbenos, asinos, cerritos esse vociferatur eos, qui sub voce Assuerus, sive Achasueros, Oxiareim, aut Xerxem non ariolantur.

2 Argumenta , quibus innititur , hæc ferè sunt, primum appellatio ipsa, nam Assuerus, sive Achasueros Hæbraicè , idem est , ac Græcè Oxia-

Oxiates, qui est Xerxes. Secundum : Xerxis uxor ab Herodoto vocatur Amistris, sive Ameltris, quæ idem Hebraicè est, ac Esther: Xerxes itaque (inquit Saliger pag. 559.) anno tertio Imperij sui omnes Persidis, & Medie Proceres convivio exceptit, huius convivij causam liber Esther non reddit; sed ex septimo Herodoti non difficile est, eam colligere. Expeditionem enim in Graeciam moliebatur, de qua, & omni eius apparatu bellico, cum ad Proceres Imperij retulisset, mox eos, illo splendidissimo epulo dierum 180. prosecutus est. Statim (pergit Scaliger) igitur reverso ex Græcia Xerxi adducitur Esther, mense decimo sub finem septimi anni Xerxis; duodecimo autem anno, decimotertio mensis Adar, supplicium de Aman sumitur. Huic Scaligerianæ sententiæ fayet Genebrardus, qui ait, Xerxem ex Esthere genuisse Darium, seu potius Artaxerxem Longimanum: subscriptibunt Calvisius, & alij sectarij. Capillus autem è sectarijs iisdem refutat Scaligerum Anno Mundi 3522.

3 Scaliger tamen pro suo acuminè non videt quod nos plumbi agnoscimus: non satis esse consentire nomina, si res ipsa aut tota, aut magna ex parte dissentiat. Refellitur ergo sententia ista veluti sibi ipsi contraria; Estherem quippe volunt, illam esse, quam Herodotus, & Ctesias Amistrim vocant, & simul afferunt, re-

verso ex Græcia Xerxi adductam fuisse Estherē, quæ tamen inter se pugnant; nam longè ante expeditionem in Græciā, Amīstris Xerxi nupserat, ut ex Herodoto, & Ctesia constat. Ctesias enim refert, Xerxem Amīstris Onophæ filiam duxisse, ex qua filium suscepit Dariæum; & post biennium Hyrcanum, tum Artaxerxem; Dariæus, ante expeditionem præfatam, natus est annis aliquibus; siquidem Author est Herodotus lib. 9. pag. 630. Xerxem post cladem acceptam in Græcia, Mālistæ filiam Dario filio suo despondisse, cum Sardibus adhuc esset, quò se vixtus receperat, ante quam rediret in Persiā.

4 Olim igitur Amīstrim vxorem duxerat Xerxes, idque & Herodoti narratio omnis in lib. 9. certissimè demonstrat, sed & lib. 7. vbi apparatus belli describitur, & copiarum duces singuli percensentur, Persis præfuisse dicit Otanem patrem Amīstris, quæ Xerxis erat vxor: falluntur ergo Scaliger, & Scaligeriani, qui Estherem reverso è Græcia Xerxi adductam esse putant, & eandem Amīstrim Herodoti, atque Ctesiae faciunt. Nam & illius pater Otanes ab Herodoto, à Ctesia Onophas dicitur, qui & ante expeditionem honoratissimus fuit, ut propter quem Persarum agminis ducem Xerxes constituit.

Atqui

5 Atqui pater Estheris non solum Judæus, fuit, sed etiam diu ante mortuus; quapropter Mardochæum, ut adoptivum patrem Esther colebat, in quem nullatenus quadrant, quæ de Amestrī patre Otane narrat Herodotus, scilicet Persidis copijs ducem fuisse constitutum in expeditione adversus Græcos: neque ullibi id de Mardochæo legitur: igitur Amestrī non fuit Esther Assueri vxor.

6 Secundò Estherem sanctissimam, & modestissimam foeminam fuisse, eius historia testatur; Amestrī verò crudelis fuit, cuius immane facinus enarrat Herodotus, in Masistis coniugem editum, quam cum à Xerxe deditam in potestatem accepisset Amestrī, mamillas ei abscedit, & eas canibus abiecit; tum naso, autibus, labijs, & lingua mutilatam domini remisit; quæ, ut aiebam, ad pijsimam Estherem pertinere non possunt.

7 Tertiò vel ipsa nominum similitudo, quæ est Scaligeri fundamentum, parum, aut nihil ei opitulatur; nam Assuerus hæbraicè ita concipiatur, ut Oxiates græcè sit, at Xerxes, & Oxiates magis differunt, quam assimilentur, vel quid proderit ista similitudo si res non cogruant? Deinde Persicè non Xerxes, sed Xertes nuncupandus est iste Persarum Imperator, si Scaligero, credimus: porrò autem inter Oxiates, & Xertes alia dif-

94 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
discrepantia ostenditur: infirmum ergo ex nuncupationum similitudine instituitur argumentum.

8 Quartò, Scaliger, suam stabiliri sententiam, putat ex voce ipsa Assuerus; at inde nullum duci potest argumentum; quoniam vox Assuerus est nomen appellativum, non proprium, ut Cæsar, Pharao, Ptolemæus, Arsaces, id quod notant P. Gaspar Sanctius in cap. 9. Daniel Salianus tom. 4. *Anno Mundi* 3454. num. 8.

9 Tandem adnotare oportet in hac *Sectio-*  
*ne* sermonem esse institutum de Xerxe primo  
Persarum Imperatore, secus de Xerxe secundo,  
qui fuit filius Artaxerxis Longimani, & paucis  
tantum imperavit diebus, ut ex communi Chrono-  
logorum placito tradit P. Salianus *An. Mun- di* 3630. num. 2.

## SECTIO OCTAVA.

*DE ARTAXERXE OCHO INQUIRIT,*  
fuerit ne Assuerus Estheris maritus?

I **Q**uod Artaxerxis Ochus fuerit Assuerus Estheris maritus, docent Sapientissimi Scriptores P. Serarius in cap. 1. *Estheris, quæst. 3.* P. Gordonus in sua *Chronologia. Et capit. 14. num. 26.* Adrico-  
mius

mius in *Ann. Mundi*, An. 3544. P. Gretserus in *deffensione Cardinalis Bellarmini*, tom. I. lib. 1. cap. 7. afferunturque pro hac sententia duæ rationes: prima, quod vicinus sit Ochus Macedonum Imperio, ideoque hic Assuerus accusabat Aman, quod vellet Persarum imperium in Macedones transferre.

2 Assumptum probatur; quia Artaxerxes Ochus regnare coepit imperij Persarum anno 174. & Mundi 3690. imperavitque annos viginti tres iuxta Diodorum lib. 5. & 16. Severum Sulpicium, Sigonium, Gordonum, Samerium cum communi sententia, cui subscribit P. Salianus *Ann. Mundi* 3711. Unde obijt Ochus anno 196. imperij Persarum, cum id imperium steterit tantum annis 208. ut ex alijs Chronologis probat P. Salianus *Anno Mundi* 3724. num. 11. translatumque fuit imperium in Macedones, scilicet in Alexandrum Magnum, ac proinde Artaxerxes Ochus vicinus fuit Macedonum imperio; ideoque ipse accusabat Aman, quod vellet Persarum imperium in Macedones transferre.

3 Secunda ratio huius sententiae in eo consistit, quod cum Assuerus, seu Estheris maritus fuerit Artaxerxes, vt plurimi gravesque Scriptores, & Interpretes docent; & aliunde non fuerit Artaxerxes Longimanus, nec Mnemon, quia

96 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima;*  
quia quilibet ex his imperavit multo ante Ma-  
cedonum imperium, Artaxerxes Ochus erit Af-  
suerus. Verum huic placito aduersatur D Au-  
gustin. lib. 18. de Civit. Dei, c. 36. dicens, rem ges-  
tam ab Esther in laudem Dei non longè distare à  
temporibus Aggæi, Zachariæ, Malachiæ, Esdræ.  
Atqui, ut facile constat, à primo, anno Artaxerxis  
Longimani, sub quo Esdras floruit, ex communi  
sententia, usque ad primum annum Ochi, an-  
ni 100. ab Eusebio numerantur, ut notat, &  
approbat P. Salianus *Anno Mundi 3590. num. 7.*  
igitur Artaxerxes Ochus non fuit Affuerus Es-  
theris maritus, quippe qui ultra centum annos  
post Esther imperavit.

4 Et quidem Aggæus prophetavit anno se-  
cundo Darij Hystaspidis, ut probatur ex cap. 1.  
*Aggæi, v. 1. ibi: In anno secundo Darij regis, in*  
*mense sexto, in die una mensis factum est verbum*  
*Domini in manu Aggæi Prophetæ.* Porro Da-  
rium, de quo hic, finit Hystaspidem, communis  
est sententia, cui subscribunt Salianus, *Anno*  
*Mundi 3533. num. 30.* Tirinus in *Chronico*, ca-  
pit. 30. Eodem quoque anno prophetavit Za-  
charias, ut constat ex illius *capit. 1. v. 1.* aientis:  
*In mense octavo, in anno secundo Darij regis, fac-*  
*tum est verbum Domini ad Zachariam.* Et de  
regno eiusdem Darij Hystaspidis esse intelli-  
gendum constat, quia & Aggæus, & Zacharias  
lo-

loquuntur de Dario, qui imperavit post Cy-  
rūm, & Cambysēm; observantque prælauda-  
ti Salianus, & Tirinus, qui idem constabilit *in*  
*Aggeum, cap. 1.* De Malachia autem plures cum  
D. Hieronymo, P. Ribera, & Torniello edo-  
cent, eundem fuisse cum Esdra; & consequen-  
tē magno temporis intervallo ab Artaxerxe  
Ocho dissitus fuit.

5 Alij verò, complutesque Scriptores, &  
interpretes, diversos fuisse Malachiam, & Es-  
drām existimant, ut P. Salianus, *Anno Mundi*  
*3595. num. 10.* Gaspat Sanctius *in Malachiam,*  
*Tirinus ibidem,* duci authoritate D. Augustini,  
& aliorum, omnes tamen conveniunt sub Da-  
riūm Histaspidem prophetasse, cum ergo Es-  
ther non longè ab his prophetis distet, sub-  
ducitur, Assuerum non fuisse Artaxerxem  
Ochum.

## SECTIO NONA.

*PROPONITUR, AC OPPUGNATUR SEN-  
tentia afferens, Assuerum Estheris maritum  
fuisse Artaxerxem Mnemonem.*

1 **D**E Artaxerxe Mnemone inquit Euse-  
bius *in Chronico sub Olympiade 94.*  
fuisse Assuerum, de quo *in lib. Es-  
theris, faventque Beda in lib. de Sex etatibus, Da-*  
G Hie.

Hieronymus in *Ezechiel cap. 4.* D. Isidorus , & ex Recentioribus P. Pererius lib. 13. in *Danielēm*, sub initio cap. 11. & lib. 10. ubi de septuaginta Hebdomadibus , Sigonius in *Severum Sulpitium*, Torniellus anno 204. sextæ atatis.

2 Oppugnatur tamen hæc sententia primò, quoniā Artaxerxis Mnemonis vitam diligentè scripsit Plutarchus, qui tamen, ut observat Cardin. Bellarminus lib. 1. de *Verbo Dei*, capit. 7. ne innuit quidem aliquid eorum, quæ habentur in lib. *Esther*; quin potius contrarium inde colligitur; narrat enim Plutarchus, Artaxerxē Mnemonem duas coniuges habuisse nempè Statiram, & Atossa: neutra autem potest esse Vashti, aut Esther, quæ vxores Assuero fuerunt; nam Vashti repudiata fuit ab Assuero, *Esther cap. 1. v. 21.* Statira autem beneficio imperfecta, dum adhuc Regina esset, & cum ingenti Regis dolore..

3 Atossa verò repudiata nunquam fuit, sed vixit cum Artaxerxe Mnemone usque ad eius mortem. Iam verò Esther Hebræa erat gene-  
re, & in matrimonium accepta ab Artaxerxe, seu Assuero anno septimo regni eius, *Esther cap. 2. v. 21.* Atossa autem non Hebræa, sed Persica & ipsius Artaxerxis filia; Statira verò nō anno septimo regni assumpta, sed ante quam regnare coepisset Artaxerxes Mnemō ab eo duc-  
ta

*Proponitur, ac oppugnatur, &c. Sec. 9.* 99

ta fuerat, cum ergo tot eluceant discrepantę inter vxores Assueri, quem inquirimus, & Artaxerxis Mnemonis, fieri non potuit, vt vnuſ idēque rex fuerit Assuerus, & Artaxerxes Mnemon.

4 Secunda ratio valdè efficax ex eo depromitur, quòd vt scribit Josephus *in lib. I. contra Appionem*, non habentur apud Hebræos in Canone Sacrorum librorum, hi libri, qui post tempora Artaxerxis Longimati scripti sunt; siquidem librorum Sactorum Canonem Esdras composuit. Josephus enim inquit, à Moysé usque ad Artaxerxem filium Xerxis, duos & viginti numeratos esse Sacros libros primarię authoritatis, inde autem scripta fuisse alia, quę non paris essent fidei: Porro in illis viginti duobus D. Hieronymus *in Prologo galato*, ponit Estheris librum.

5 Id ipsum præstítit Genebrardus *lib. 2. Chronologe sub initium*. Ubi ex Hebræis refert, editum fuisse Canonem Hebræorum de Sacris Scripturis in magna Synodo, cuius Scriba fuit Esdras; qui eius authoritate in ordinem hodiernum Veteris testamenti libros deduxerit, & tres in partes diviserit, legem (libris quinque Moysis), Prophetas (octo, nempè quatuor priores Iotue, Judices, Samuelem, & Rēges) & totidem posteriores, Esaiam, Jeremiam, Ezechielem, & librum Minorum Prophetarum, &

100 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
agiographa novem: Psalmos, Proverbia, Cantico, Ecclesiastem, Job, Danielem, Eldram, Paralipomenon, Esther; nam Ruth adiiciunt libro Judicum, quasi appendicem, & lamentationes libro Jeremias.

6 Unde sic stabilitur argumentum Cardinalis Bellarmini, quoniam liber Esther unus est ex predictis viginti duobus Canonicis libris, probatis in magna illa Hebreorum Synodo, cuius Scriba fuit Esdras, qui profecto floruit sub Artaxerxe Longimano, ut ex receptissima sententia optimè confulcit P. Salianus *Anno Mundi 3595. num. 2. imo*, & sub eodem Artaxerxe anno eius Imperij vigesimo floruit Nehemias, mortuo iam Esdra; eo enim anno vigesimo Nehemias accepta facultate ab Artaxerxe perrexit in Jerusalem, ut Civitatem, & muros illius redificaret, ut constat *ex lib. 2. Esdræ, capit. 2.* & fusè Deo propitio, explicabimus in *Dissertatione de Septuaginta Hebdomadarum Danielis exordio, & fine*: igitur Estheris historia referti non potest a i Artaxerxem Mnemonem filium Datij Nothi, Persarum quoque Imperatoris, cuius imperium fuit annorum novemdecim, post quadraginta annos Imperij Artaxerxis Longimani, & post Xerxem secundum & Sogodianum; horum autem duorum imperium vnius tantum anni fuit; successitque Darius Nothus, qui vnde virgin-

Proponitur, ac oppugnatur, &c. Sec. 9. 101  
ginti annos imperavit, iuxta Eusebium in Chronico, communiter receptum. Unde colligitur, quod cum Esther historia evenerit, antequam Esdras Sacerdotum Librorum Canonem in Magna Synodo constitueret, cum in illo Esther liber recensetur, Esdras autem floruerit imperante Artaxerxe Longimano, ut recepta fuit sententia, ex lib. 1. Esdræ, capit. 7. ¶. 1. & 18. profectò Estheris maritus esse non potuit Artaxeres Mnemon, qui fuit filius Darij Nothi, vide P. Salianum tom. 5. Anno Mundi 3590. & 3650.

## SECTIO DECIMA.

**DARIUM HYSTASPIDEM NON FUISSE**  
*Affuerum Estheris maritum, ostendit.*

1 **P**lurium, sapientumque Scriptorum est opinio, Estheris maritum fuisse Darium Hystaspis filium, sic docet Megastenes, Ammianus, Rabbi Salomon, Nicolaus de Lira, Ioannes Benedictus, P. Cornelius Alapide, P. Tirinus in cap. 1. Esther, Claudius Frasen in Disquisitionibus Biblicis, de lib. Canoniciis, in lib. Esther, num. 8. ex haereticis etiam Catiron, Lucas Osiander, & alij.

2 Cuius sententiæ fundamenta sunt, primū quod de Afftero Estheris marito refertur, so-

102 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
lempne fecisse convivium , & 127. Provincijs  
præfuisse: idem autem de Dario Hystaspis filio  
legitur, lib. 3. *Esdræ*, cap. 3. hiscè verbis: *Rex*  
*Darius fecit cœnam magnam omnibus vernacu-*  
*lis suis, & alijs Magistratibus Mediæ, & Perse-*  
*dis, omnibus purpuratis, & Prætoribus, & Præ-*  
*fectis sub illo ab India usque ad Etyopiam, cen-*  
*tum viginti septem Provincijs.*

3 Secundum: Susan fuit exordium Regni  
Assueri, ut habetur *Esther* cap. 1. ¶ 2. narrat au-  
tem Plinius lib. 6. cap. 27. Susan Persarum re-  
giam à Dario Hystaspis filio conditam; tametsi  
Elianus ab eo duntaxat auctam, & illustratam  
velit.

4 Tertium; Assuerus Estheris maritus ag-  
noscit sibi, iusque maioribus traditum, con-  
servatumque regnum beneficio Dei Cæli, ut  
constat ex cap. 16. *Esther*, idem verò de Dario  
Hystapis filio recensentur lib. 3. *Esdræ*, capit. 4.  
¶ 43. vbi Zorobabel Darium alloquens ait:  
*memor esto voti tui, quod vovisti, ædificare Feru-*  
*salem in die, qua regnum accepisti, &c.*

5 Quartum: Herodotus Darij Hystaspidis  
vxorem vocat Atosam , quæ eadem videtur  
cum Edisa, quo nomine appellabatur Esther , ut  
videre est cap. 2. ¶ 7. Nec officit, quod Atos-  
sam dixerit Herodotus filiam Cyri; facile nam-  
que labi potuit Herodotus , qui cum audisset,

*Es.*

Estherem, seu Edisam oriundam esse ex nobilissimo, & Regio sanguine Cis; pro Cis scripsit Cyri; propreteaque terum Judaicatum ignarus arbitratus fuerit, Estherem fuisse e regio Persarum sanguine prognatam; illa enim iusu Mardochai primò suum genus, patriamque prudenter disimulaverat *Ester cap. 2. v. 9.* O 10. Atque adeò dicendum videtur, Assurum Estheris maritum fuisse Darium Hyſtaspidem, si-  
vè Hyſtaspis filium. Nihilominus hæc senten-  
tia oppugnanda venit.

6 Utque inclarescat magis sectionis huius scopus, nonnulla de Dario Hyſtaspide præmit-  
tenda duxi; ordiorque à visione quadam, quam refert Herodotus sub *fine libri primi*: Cyro igitur apud Massagetas pugnaturo, transmilio Araxe, ubi nox advenit, obiecta fuit visio ista; vi-  
dit nempe per quietem Cyrus Darium Hyſtaspis filium, natu maximum, habentem in hu-  
meris alas, quarum altera Asiam, altera Euro-  
pam inumbraret: is tum vigesimum fermè an-  
num ætatis agens, in Perside relictus fuerat,  
tanquam non dum maturus militiae: qui si tunc  
affuisset, Cyri fortasse, vel Imperio, vel manu  
periturus erat: tanta nimirum, & usque adeo  
suspicax est impotens, ac crudeilis ambitio. Ex-  
petrectus enim invocato Hyſtaspi, remotis ar-  
bitrijs, tuus, inquit, filius mibi ac regno meo insi-

104 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
*dias molitur.* Cuius rei divinum videlicet argumentum profert oblatum somnum. *Quapropter,* inquit, *tu quam citissime in Persidem revertere,* facitoque, *ut cum ego sublatis Massagis illuc rediero, filium tuum mihi sisas, ad causam dicendam.* Sic Herodotus,

7 Occasio autem, vt Darius Imperium occupasset, illa fuit, nimirum, cum Cambyses octavum Imperij annum ageret, Magi duo germani fratres Susis contra eum coniurarunt, quorum vni nomen Paticites, alteri Smerdes: illum Cambyses in Ægyptum proficiscens rei domesticæ relinqueraat procuratorem; is & corporis habitu quam simillimus erat Cyri filio, & fratri Cambysis, quem videlicet Cambyses interficiendum curaverat, & eum eodem planè nomine referebat: Cambyses verò in equum insiliens Susam versus iter arripuit: insilienti autem vagina gladij excidit, vnde nudatus gladius in eius femur infixus est, celeriterque contabuit, & Cambysi vita erepta est.

8 Cambyse mortuo, imperium per fraudem occupat Smerdes, Magus, quem Oropastrem appellat Justinus; quoniam vt prædixi, & nomine, & corporis habitudine similis valde erat Cambysis fratri, qui licet ipsius Cambysis iussu occisus fuisset à Præxaspe, id tamen occulte perpetratum fuit, & Præxaspes, mortuo Cam-

byſe, pernegabat à ſe immane facinus operi mandatum; propterea Smerdes, tyranicè imperium ſibi arrogat; fraude tamen cognita poſt ſeptem menses, a ſeptem Proceribus präſertim à Dario, Hyſtaspis filio, vulneratus mortem ope- petiſt Oropastes, ſeu Smerdes.

9 Post quintum diem, vbi reſedit tumul- tus, Principes de conſtituendo Reipublicæ ſta- tu deliberant: in qua deliberatione, Darij ſen- tentia, quæ erat pro vnius Principatu, vicit: electionem vero ſorti, ſive caſui commiſſerunt; & quia Persæ Solem adorabant, eique equos maſtabant, convenit inter eos, ut ſub occu- Solis conſcenſis equis, dum in ſuburbanis vec- tarentur, cuius equus in hitum primus edidifſet, is regnum Cambylis obtineret, id cum Dario, famuli ſui induſtria, obtigiffet, Darium voti compotem fecerunt, ſtatimque cæteri ex equis deſilientes eum adoraverunt, & Regem decla- raverunt, omnesque Cyri, atque Cambylis ſub- diti pro Rege mox eum agnoverunt. Ita nar- rat Herodotus, & conſentiant Ctesias, Justinus, & cæteri posteriores: fulgur etiam, inquit He- rodotus, tonitruque ſereno Cælo contigit.

10 De hoc ergo Dario Hyſtaspine, ſive Hyſtaspis filio, loquitur präcedens ſententia, & afferit, fuſſe Aſſuerum Eſtheris maritum. Ve- rum tamen id ſtare non poſſe, probatur primò;

quo-

quoniam Herodotus lib. 3. scribit, Darium quatuor habuisse uxores, quarum duas erant filiae Cyri, nimirum Atossa, & Artystona, tertia eiusdem Cyri neptis, & Smerdis filia, cui nomen Parmis: quarta Phædhyma, filia Othanis Persæ, qui fuit unus de septem Proceribus, qui Smerdem Magum Persico regno exturbaverunt: addit, & quintam Herodotus lib. 7. sub fine, Phratagunam, Atarnis fratri sui filiam: quare, quæ Vashti esse potuerit, non appareat; nulla quippe eorum repudiata est.

11 Et multo minus assignari quibit, quæ Esther fuerit, quod enim dicitur à Claudio Frasen, Atossam censendam eandem cum Edissa, quod fuit nomen Esther, ut constat ex lib. eius cap. 2. ¶ 7. nullo sufficienti stabilitur argumento, falsumque appareret; tum quia nuncupationes ipsæ Atossæ, & Edissæ sunt valde diversæ; tum quia Atossa fuit Cyri filia, adeoque ex Persarum regno, regioque sanguine oriunda, Esther autem ex Hebræorum progenie nata.

12 Nec verisimile appetet, quod Herodotus, ut Frasenius inquit, ex ignorantia scripsit, Atossam fuisse Cyri filiam, cum potius Cis dicere deberet; sic et enim rerum Judaicarum exacta notitia non fuerit praeditus, at rerum Persarum cognitione non caruit; immo cum Darius Hystaspis mortuus fuerit anno 486. ante ortum

tum Christi, ut ex communi sententia stabilit P. Salianus, *Anno Mundi 3567. num. 1.* Herodotus autem floruerit anno Urbis conditæ 310. vt tradit Plinius lib. 10. *Naturalis Hist.* id est, ante ortum Christi, anno 442. profectò omnem superat fidem, quod in tanta temporis propinquitate, Herodotum latuerit, quorumnam filiaz fuerint vxores Darij Hyſtaspidis, cuius historiam fusè scribit.

13 Secundò, Herodotus, qui res Darij Hyſtaspidis copiosè enarrat, silentium facit de rebus Aman, eiusque memorando interitu, qui tam s̄epe in multa minuta, & parerga studiosè digreditur: id quod valde probabile reddit, alium esse Darium Hyſtaspis ab Assuero Esteris marito.

14 Tertiò, non solùm Darius Hyſtaspis, sed & Artaxerxes Longimanus Deum verum agnoscit, & coluit, ut deducitur ex lib. 1. *Eſdræ, cap. 7. v. 23.* vbi inter alia, quæ Artaxerxes in Eſdræ gratiam, & in Dei Optimi Maximi cultum ad Jerosolymitani Templi ornatum, & obsequium rescripsit, in hunc modum edixit: *Omne quod ad ritum Dei Cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei Cœli: ne forte irascatur contra regnum Regis, & filiorum eius.* Igitur ex eo quod Darius Deum verum agnoverit, non potest confici efficax argumentum afferendi, illum potius quam

108 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
quām Artaxerxem Longimanum fuisse Assuerum Estheris maritum.

15 Quartò: incoluisse Susan, non est proprium Darij Hystaspidis, sed commune regibus Persarum, ut ex Strabone lib. 15. supra notavimus, adeòque ante Darium Hystaspidem, Cyrus Susis sedem suam constituit, quod cum ea civitas sita esset in finibus Assyriae, Persidis, & Mediæ, commodissimè poterat inde uniuersum Imperium deffendi, & regi.

16 Quintò: à Dario Hystaspide exhibitum fuisse solemne convivium, haud multum promovet prædictam sententiam, quoniam in primis liber Esdræ tertius, ex quo id desumitur, non est Canonicus: Secundo, Josephus, hac in re non exiguae authoritatis, de Artaxerxe Longimano, solemne quoque convivium egisse, & apparasse Persarum Principibus refert.

17 Sextò: *in cap. 1. Esther*, de Assuero dicitur, quòd anno tertio Imperij sui, cœpit regnare in Susan; id quod Dario Hystaspidi convenire haud valet, ut ex oppugnatione solutionis cuiusdam inclarescat. Assumptio deducitur ex citato loco, ubi sic habetur. *Quando sedit in solio regni sui, Susan Civitas regni eius exordium fuit. Tertio igitur anno Imperij sui fecit grande convivium.* Quæ verba sic veniunt intelligenda iuxta communera sensum: prius quidem

dem Assuerus regnare cœperat, tertius enim iam regni annus agebatur, ut mox dicitur, sed ultimum quasi complementum acceptæ possessionis fuit, sedere Susis, urbe Metropoli.

18 Sed respondebis ex P. Tirino qui Darium Hystaspidem existimat, fuisse Assuerum Estheris maritum, & verba prædicta exponens, inquit: sicut Imperator Romanus primò Francofurti, secundò Aquisgrani, tertio in Italia Coronari solet, & tunc demum dicitur incipere perfectè suum Imperium. Sic Darius anno regni sui tertio relictis alijs aliorum regnum se-  
dibus regijs, in Susan voluit publicè inaugura-  
ri, & coronari, exhibito per integrum semestre nobili epulo, quod hoc capite describitur. Ita P. Titinus ad cap. I. *Ester.*

19 Cæterum hæc licet ingeniosè, & eruditè excogitata sint, in Darium quadrate non pos-  
sunt; quoniam ille ab ipso Imperij sui exordio,  
& anno primo Susis, vel in Susan ut Rex, & Im-  
perator inauguratus fuit: probatur; quia ut ex  
Herodoto diximus, cum Cambyses in Ægyp-  
tum proficeretur, Magi contra eum Sulis  
coniurarunt, & unus ex eis Pathicites rei do-  
mesticæ ab ipso Cambyse relictus fuerat Pro-  
curator, nec à fratre Smerde leiu-  
ngebatur, ut mutuo consilio in tyrannide protegerentur; in  
eadem autem urbe regia tam consistentè Smer-  
des

110 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
des habitabat, ut nec ex Arce progrederetur vi-  
quam, proptereaque in eadem regia Arce à Da-  
rio, & alijs Principibus Magi interficti sunt:  
porro Darius in eadem vrbe regia post quin-  
tum diem Rex, & Imperator Persarum adora-  
tus, & agnitus fuit, ut ex communi sententia  
cum P. Saliano, diximus *hac Sect. numero 9.*  
*O* 8. verum ergo non est, quod Darius, relic-  
tis alijs aliorum regnum sedibus regijs anno  
Imperij sui tertio in Susam fuerit Imperator in-  
auguratus, ut P. Tirinus aiebat, sitque tandem  
Darium Hyrcaspidem non fuisse Estheris mar-  
itum, & quod id nulla speciali nota ostenditur,  
& quia nulla ex iplius uxoribus, Esther Judaea  
dici, aut existimari possit. Alia P. Tirini argu-  
menta infra elevabuntur.

## SECTIO UNDECIMA.

*NOSTRA SENTENTIA PROPONITUR,*  
*O probatur.*

**I**gitur aliotum reiectis placitis, proba-  
bilius videtur, quod Estheris Reginæ  
maritus fuerit Artaxerxes Macrochir,  
sive Longimanus, ita nuncupatus, quod ma-  
num, sive brachium dextrum altero longius ha-  
beret, ut est apud Plutarchum in *Artaxerxe*, si-  
vè quod utrumque brachium cæteris homini-  
bus

bus longius haberet, adeò ut stans, sua genua  
contingeret extremis digitis : Darium eum  
etiam vocat Genebrardus, nescio quo duce, Jo-  
sephus lib. 11. cap. 6. Cyrum, quem, inquit, Græ-  
ci Artaxerxem nominant.

2 Favent huic sententiæ Josephus dicto lib.  
11. cap 6. quem alij sequuntur ante Eusebium,  
quos tamen ipse non sequitur, Severus Sulpitius  
lib. 2. *Historia Sacra*, vbi ait, duos fuisse Artaxerxes, & priorem quidem prohibuisse ædifica-  
tionem Templi, vt patet lib. 1. *Esdræ, capit. 41.*  
posteriorem autem potestatem dedisse ædifi-  
candi Jerusalem : & addit, mihi tamen visum  
est, huic Artaxerxi, sub quo Jerosolyma est res-  
tituta, Esther historiam connectere, quæ ante  
non fuit verisimilis, vel ut recte corrigit Sigo-  
nius, quia haud sit verisimile, si sub priore Ar-  
taxerxe fuisset ; qui ea tempora complexus est  
( Esdras scilicet ) nullam tam illustris foeminae  
mentionem retulisse: neque Esther passura fuis-  
set tum, si in illius matrimonio tum fuisset.  
Hæc Sulpitius.

3 Unde colligitur non iure P. Serarium  
quæst. 3. in cap. 1. *Esther*, dixisse quod Cardin.  
Bellarminus non recte Sulpitiū retulit pro hac  
sententia, cum verè sit pro illa, vt adnotat P. Sa-  
lianus, *Anno Mundi 3590. num. 10.* quem prop-  
tereà, illius tamen nomine suppressio, carpere

112 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
videtur P. Petavius, *de Doctrina temporum lib. 12.*  
*cap. 28.* immexit tamen, cum Cambyses nun-  
cupatione Artaxerxis signetur *lib. 1. Esdræ, cap. 4.*  
v. 7. vnde Artaxerxes Longimanus, qui post  
Cambysem regnavit, procul dubio est posterior  
Artaxerxes, cuius temporibus Severus Sulpitius  
historiam Estheris annexit. Deinde Sulpitius lo-  
qui non potest eo loci de Artaxerxe Mnemone,  
qui posterioribus temporibus Imperium tenuit.

4 Favent eidem sententiæ Nicephorus  
Constantinopolitanus Patriarcha in *Chronic.*  
Suidas, Zonaras, Sabellius, *Enneade 3. lib. 3.*  
Reineccius, *tom. 2. fol. 32.* Rupertus, *lib. 8. de*  
*Victoria Verbi, cap. 5.* Ludovicus Vives, pluri-  
mæ eruditionis, & magni iudicij laude cons-  
picuus, *in cap. 16. lib. 18. de Civitat. Dei, Cardi-*  
*nales Caietanus in lib. Esther, & Bellarminus,*  
*tom. 1. Controv. lib. 1. cap. 7.* P. Salianus, *Anno*  
*Mundi 3590. num. 10. & seqq.* P. Gaspar San-  
chez, *in Esther.* P. Petavius, *tom. 2. de Doctrina*  
*temporum, lib. 12. cap. 28.*

5 Probatur: quia Artaxerxi Longimano  
convenit patronicum, seu gentilium Assue-  
ri nomen, proprium regum Persarum, & bene-  
volentia in Iudeos, & veri Dei cognitio, prout  
deducitur ex *lib. 2. Esdræ, cap. 2.* & regni am-  
plitudo, & commoratio in Perside, regni diu-  
turnitas, & similitudo morum, qui de Asuero  
Este-

Estheris marito referuntur; eis qua sunt aliae,  
quæ ut singula reliquis ferè conveniunt, huic  
conveniunt omnia, vt ex historiæ totius serie,  
& obiectionum solutione inclaret. Adhæc,  
exceptis Persidis Imperatoribus, Varioque Me-  
do, eiusque Parente, de quibus supra disserui-  
mus, de nullo alio dubitatur, fuerit ne Estheris  
maritus: cum igitur supra ostensum sit, Estheris  
historiam aliorum Imperatorum temporibus  
annecti non posse, conficitur, illam esse referen-  
dam ad tempus Artaxerxis Longimanus præser-  
tim, cum nihil in commodi ex eo colligi valeat,  
vt ex solutione argumentorum dilucidius ap-  
parebit: ac præter supra laudatos Authores  
huic nostræ adstipulantur sententiæ P. Ricciolus  
*Chronologiæ tom. I. lib. 6. capit. II. num. 10.* E.  
Menochius in cap. I. *Estheris.*

## SECTIO DUODECIMA.

### ARGUMENTIS IT OBVIAM.

I **O**pponat quispiam primò ex P. Peres-  
rio lib. II. in *Danielem*, quæst. 4.  
Si Artaxerxes Longimarus fuisset  
Estheris maritus, incredibile apparet, finitimos  
illos Populos, hostesque Judeorum, qui Peris  
parebant, aulures fuisse, in pedire aedificatio-

nem urbis Jerolymæ, & tantopere vexare Judæos, cum scirent, reginam esse Judæam, & qui Princeps omnium erat apud Regem, esse Judæum, videlicet Mardochæum; præteritum vero cum recens adhuc esset cædes innumerabilium hominum, qui quod Judæis inimici essent, procurante Esthere, & iubente Rege, occisi fuerant.

2 Porro autem, quod Judæi affliti fuissent in Judæa, & Jerusalem, & impeditur ædificare murum ipsius urbis, probatur ex pluribus locis libri 2. Esdræ, nam cap. 1. v. 2. & 3. Hanani, & alij viri ex Judæa, qui venerant in Persidem dixerunt Nehemiæ: *Qui remanserunt, & relicti sunt de captivitate ibi in Provincia, in afflictione magna sunt, & in opprobrio: & murus Jerusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igne.* Et v. 4. Nehemias ipse inquit: *cumque audisssem verba huiuscmodi, sedi, & flevi, & luxi diebus multis: iejunabam, & orabam ante faciem Dei Cœli.* Et cap. 2. cum Artaxerxes Longimanus age-ret iam annum vigesimum Imperij, mætore conficiebatur Nehemias, quod Civitas Jerusalem deserta erat: imò obtenta facultate ab Artaxerxe, ut ædificaretur murus Jerusalem, & ex parte ædificatus esset, cum id perlatum esset ad Sanabalath. & Tobiam, & Arabes, & Ammanitas, & Azotios, quod obducta esset cicatrix mu-

ri Jerusalem, congregati sunt pariter, ut venient, & pugnarent contra Judæos, & molirentur insidias, ut habetur *Ezdræ 2. cap. 4. v. 7.* & 8. cum gitū hæc evenirent sub A: taxerxe Longimaro, incredibile fit, quod Estheris maritus fuisset ille, sicut & quod Mardochæus tunc temporis apud Artaxerxem gratia prævaluisset.

3 Respondetur: hostes Judæorum non ignorasse, Nehemiam à Rege, & Regina missum fuisse ad Civitatem ædificandam, ut probatur *ex lib. 2. Ezdræ, capit. 2. v. 6.* illis verbis: *Dixitque mihi* (sicilicèt Nehemiac) *Rex, & Regina, quæ se-debat iuxta eum: Usque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reverteris. Et v. 7. Si regi vide-tur bonum, epistolas det mibi ad duces regionis trans flumen, & v. 9. deditque eis epistolas Regis.* Contradiccio ergo, quam Judæi patiebantur à Sanabalath, alijtque gentibus, non ex dessestu gratię Regis, & Reginæ erga Nehemiam, & Judæos, sed ex inimicitia Sanabalath, Arabum, & reliqua- rum gentium ortum ducebat.

4 Præsertim, quia Judæorum hostes, ini-micitiā tegere cupientes, præferebant, non ex odio Judæorum, aut contemptu Regis, se resistere, sed ex studio conservandi Imperium regium in Judæa, qua ratione non rato Senatus regius edictis Principum résistit, sine vila eius offensione: Ideoque criminabantur Judæos

116 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
velle rebellare cum Nehemia, eumque Regem  
constituere, ut probatur ex lib. 2. Esdræ, capit. 6.  
v. 5. & 6. ubi Nehemias inquit: *Et misit ad me*  
*Sanabalath iuxta verbum prius quinta vice puerū*  
*suum, & epistolam habebat in manu sua scriptam*  
*hoc modo: IN GENTIBUS auditum est, & Gossen*  
*dixit quod tu & Judæi cogitatis rebellare, & prop-*  
*terea edifices murum, & levare te velis super eos Re-*  
*gem: propter quam causam, & Prophetas posueris,*  
*qui prædicent de te in Ierusalem dicentes: rex in*  
*Judæa est. Hæc Sanabalath. Quoniam tamen*  
*sciebant gentes, Judæos in aula plutimum pos-*  
*se, eis illi non perfracte, & armata maru resti-*  
*terunt, sed irrisionebus, minis, & terroribus, ci-*  
*rra cædem, & sanguinem. Nec Judæi, Duce*  
*Nehemia, propterea ab opere destiterunt, ut*  
*olim regnante Cambysè. Ex quo patet, & in*  
*Judæis plus fiducia, & in eorum hostibus mi-*  
*nus audaciæ nunc fuisse, idque optima coniec-*  
*tura fieri potuit, quod Esther Reginæ vxor erat*  
*Aritaxerxis Longimani.*

5. Oppones secundò: si vera est nostra sen-  
tentia, Nehemias equidem per Reginam Esther,  
vel per Mardochæum petiturus fuisset faculta-  
tem reparandæ vrbis, quos sciret apud Regem  
gratiosissimos; at Nehemias non ita segelsit,  
sed per semet ipsum id indulgentiæ postula-  
vit, ut constat ex lib. 2. Esdr. cap. 2. falsum igitur  
est,

est, quod Estheris maritus Assuerus fuerit Artaxerxes Longimanus.

6 Respondeatur, fortasse convenisse inter Estherem, & Nehemiam, ut ipse id à Rege peteret, & Regina petitionem adiuvaret, prout expedire, sibi videretur; non enim sine causa reginæ mentio est in Sacro textu, ubi Nehemias eam petijt à Rege facultatem reparandi urbem, & eundi Jerosolymam, lib. 2. Esd. cap. 2. v. 2. hiscè verbis: *Dixitque mihi Rex, & Reginæ;* que sedebat iuxta eum: usque ad quod tempus erit iter tuum? Quæ cum præsertim fuerint exarata ab ipso Nehemia, Authore scilicet huius libri, in id respicere videntur, ut intelligamus, Reginam Estherem ignaram non fuisse consilij Nehemiac, opemque illi contulisse, cum Imperatori rem gratam esse agnovit; cum enim dubium esset, quam in partem Rex postulationem hanc esset accepturus, non conveniebat Regina, repulsa periculum subire, maximè cum illa ex genere Judæorum, & non Persa fuisset. Favet huic solutioni P. Salianus, *Anno Mundi 3590.*

num. 13.

7 Oppones tertio: ex Eusebio in Chronico, in Artaxerxe Longimano, ubi sic ait: *Ea que de Esther, & Mardocheo scripta sunt, quidam affirmant sub hoc rege gesta, quod ego non puto. Nunquam enim Esdras de Esther filuisset, qui scri-*

bit hoc tempore Esdra, & Nehemiam reversos ex Babylone, &c. sic ipse: at elevari potest obiectio, si dixeris siluisse Esdram, quia sciebat, librum ex professo, ea de re scriptum fuisse. Id quod exemplis firmari valet, quia in *lib. Judicium*, nulla est mentio Ruthæ, quæ tamen ad id temporis pertinet, ut ex initio libri ipsius patet, ubi ita habetur: *In diebus vniuersi Judicis, quando Judices praeerant facta est famis in terra pergitque sacer textus Ruthæ describens historiam, videturque valde probabile, eas res gestas sub Abi nelecho Judice, eiusque anno primo initium habuisse, ut docet Salian. Anno Mundi 2801. num. 23.*

8 Deinde in *libris Regum*, non refertur historia Tobiz, nec Judithæ; Tobias autem vixit, duxitque vxorem sub Ezechia Rege Judæ, ut advertunt Torniellus, & Salianus, *Anno Mundi 3311. Et Ezebia Regis 3. num. 5.* Juditha vero pertinet ad tempus Manassis Regis Judæ, ut frequentior fert sententia cum P. Pererio *lib. 1. in Daniel. Cardin. Bellarmino lib. 1. de Verbo Dei, cap. 12. Saliano, Anno Mundi 3344. num. 4. & sequentibus.*

9 Quod si historia Judithæ referatur ad Cambysis tempos, iuxta Eusebium in *Chronico, Olympiate 62.* quem imitatur D. Augustinus *lib. 18. de Civitate Dei, cap. 26. V. Beda, lib. de Sex*

*Sex etatibus, & alij, vel etiam ad Xerxem, ut existimat P. Franciscus Ribera in cap. 2. Nabum, num. 32. cui astipulatut Torniellus, 6. etatis, anno 26. Profecto iuxta hanc temporum rationem, præclaræ istius Heroinæ res gestæ in libris Esdræ exarandæ fuerant, in quibus continetur tempus Imperij Cambysis, & Xerxis; sed nihilominus eo loci reticentur, quoniam alio in libro erat hæc historia collocanda: consimili igitur ratione, licet de Esthere in libris Esdræ non fiat mentio, tamen haud colligi valet, huiuscmodi res gestas ad id temporis, Nehemiæ vide-licet. & Artaxerxis Lōgimani non esse referendas.*

10 Oppones quartò ex Torniello, anno 6. etatis 144. num. 7. Assuerus initio regni dominabatur 127. Provincijs, ut constat ex Sacro textu Estheris cap. 1. v. 1. id verò tam amplæ dominationis in Artaxerxem Longimanum non quadrat; quia Xerxes plurimas amiserat Provincias, scilicet Mediam, & Assyriam ab Arphaxad, & Nabuchodonosore occupatas; Ægyptij quoque eius regni initio rebellarunt: dicendum ergo venit Artaxerxem Longimanum non fuisse Assuerum, de quo *Esther*, cap. 1. totoque hoc sacro libro.

11 Respondetur, in primis Arphaxad, & Nabuchodonosorem, de quibus in obiectione, ad longe anteriora tempora pertinere, ante

cœptam nempè Babylonicam captivitatem, imo ad annum Manassis Regis Judæ nonum, adeoque Arphaxad eundem videri, ac Deiocem apud Herodotum, & Eusebium; Arsæum sive Artæum apud Cresiam: primùm quia uterque Medorum Rex: secundò uterque Ecbatanę conditor, vel potius instaurator; nam Diodorus siculus etiam temporibus Semiramidis extitisse tradit Ecbatanam, in eaque magnifica palatia idam excitasse; sicut hoc tempore Arphaxad muros eius, ac turres, iuxta ea, quæ habentur *Judith. cap. 1. v. 2.* ibi: *Et ipse (scilicet Arphaxad) ædificavit Cœtitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis.* Ceterum in græco textu non legitur ibidem ædificasse Ecbatana, sed *in Ecbatanis.* Eodemque modo posterioribus seculis a Seleuco ædificata perhibetur ex Plinio, *l.b. 6. cap. 24.*

12 Tertiò tempora recte consentiunt. Nam Eusebius Ecbatana conditam à Deioce ponit Olympiadis decimæ octavæ anno primo, cum tamen Manassis annus octavus sit Olympiadis decimæ septimæ annus quartus, sive ultimus. Quapropter oportet anno octavo Manassis imperasti Deiocem. Deinde idem Eusebius ait, anno quinto Manassis, qui potiori inspecta Chronologia apud P. Salianum, fuit annus octavus eiusdem Regis Judæ, multas gentes ab Arpha-

phaxado victas, idque scriptura memorat *Ju-  
dith cap. i. v. 1.* ubi dicitur *Arphaxad itaque Rex  
Medorum subiugaverat multas gentes Imperio  
suo.* Quod de Deioce quoque scribit Herodo-  
tus.

13 Superbiā insuper Arphaxadi illa Scrip-  
turā verbī praeclarato *cap. v. 4.* produnt, ibi: *Glo-  
riabatur quasi potens in potentia exercitus sui,  
in gloria quadrigarum suarum: eidem vitio De-  
iocem, et si iustitiae amantem, obnoxium scribit  
Herodotus, qui multis artibus regnum ambi-  
verit apud Medos, & occupatum superbè te-  
nuerit, adeò ut neque se aditi coram aut cons-  
pici à quoquam permitteret, sed per internun-  
tios cuncta transigeret, quin ne videre quidem,  
nec excreare coram se quemquam pateretur.  
Quæ autem huic sententiæ opponi possunt, in  
sequenti *Dissertatione*, auspice Deo, elevabun-  
tur.*

14 Igitur cum Manasses regnare cœperit  
multò ante Babyloniam captivitatem, scilicet  
*Olympiadis decimæ sextæ anno primo*, id est,  
*Anno Mundi 3338.* adnotante P. Salian. ad pre-  
dictū annum: Artaxerxes verò Longimanus im-  
perium tenuerit multò post solutam captivitatē  
scilicet Olympiadis septuagesimæ nonæ anno  
primo, authore Eusebio in *Cronico*, Diodoro  
*lib. 11.* Saliano, & alijs, fit utique Mediae, &  
Sy-

Syrię occupationem ab Arphaxad adeptam, non posse referri ad tempus Artaxerxis Longimani; imo nec ad tempus Persarum Imperij, cui initium fecit Cyrus, Olympiadis sexagesimæ anno quarto; ac Medo, ad uniusque Cyri arbitriū, & dominationem omnia Orientis regna cesserunt: imperiumque Balthasaris, quod iuxta Danielis oraculum Medos inter, ac Persas, anno præcedente, divisum fuerat, totum in Cyrum translatum, ac transfulsum est; eodemque anno Babylonica Judæorum captivitas soluta fuit, ut ex lib. 1. *Esdre*, cap. 1. constat, fusèque ostendimus tom. 2. *Dissert.* 10. ex hoc ergo capite nihil aduersus nostram sententiam opponi valet.

15 Intuper licet Ægyptus initio Monarchiæ Xerxis, vel paulo ante ab Imperio Persarum deffecerit, ab eodem tamen Xerxe fuit recuperata; imo, cum rursus sub Artaxerxe Longimano Ægyptijs rebellassent, nec non Athenenses, ab eodem tamen Artaxerxe victi fuerunt, imo non omnes Ægyptios defecisse, neque Persas omnes Ægypto pulsos, testatur Thucydides lib. 1. Artaxerxes igitur nunciata Ægyptiorum defectione, ut refert Diodorus, confessim ex omnibus regni præfectoris militum delectus agit, classemque adornat, & nullius apparatus curam prætermittit, temporisque intervallo, post variam exercitationem militarem, ducibus

bus Artabazo , & Megabizo , tām Ægyptios,  
quām socios, adepta victoria, superarunt, vt ait.  
Thucydides loco citato , traditque P.Salianus,  
*Anno Mundi 3591. num. 10. & 3594. num. 3.*

16 Respondeatur tandem , nihil obstare  
quod aliquæ Provinciæ ab Imperio Assyriorum,  
& Persarum exciderint , vt Assuerus dicatur  
præfuisse 127. Provincijs ; nām Principes rārō  
deponunt gloriosum nomen , quod aliquando  
sibi vendicarunt , et si assumpti gloriosi tituli  
causa cessaverit: Reges Hispaniæ , Athenarum ,  
& Jerusalem nuncuparunt , idque in regijs res-  
criptis profitentur , Rex Angliæ etiam se Regem  
Franciæ appellat ; quia illorum maiores in illis  
regnis aliquando dominati sunt , & ad illa armis  
repetenda ius se habere putant : sic ergo Artaxerxes I ongimanus tot Provinciarum Impera-  
tor nuncupatur , licet non nullæ Provinciæ ab  
eius Imperio defecerint . Ita P.Gaspar Sanchez  
*ad cap. 1. Esther. Et P.Salian. ann. 1. Artaxerxes*  
*Longimani.*

### SECTIO DECIMATERTIA.

#### ALIA ARGUMENTA INFRINGIT.

I O ppone quintò ex P. Seratio *in Es-  
ther, capit. 1. quest. 3.* Artaxerxis  
Longimani ingenium mite , & clemens fuit:

Af-

Affueri autē Severum, & immite: igitur quae de Assuero in Sacro Estheris libro enuntiantur, in Artaxerxem Longimanum non quadrant. Antecedens stabiliri potest ex traditis ab Ammiano Marcellino lib. 30. vbi, Artaxerxes (inquit) Persarum ille Rex potentissimus, quem Machrochira membra vnus longitudo commemoravit, suppliciorum varietates, quas semper natio exercuit cruda, lenitate genuina, castigans tiaras ad vicem capitum, quibusdam noxijs amputabat: & ne faceret aures more regio pro delictis, ex galeris fila pendentia præcidebat, quæ temperantia morum, ita tolerabilem eum fecit, & verecundum, ut adnitentibus cunctis, multos, & mirabiles actus impleret græcis Scriptoribus celebratos.

2. De ipso eadem penè Plutarchus in *Apobegnacis*, Primas is ducibus, qui deliquisse haec poenas statuit, ut flagellandis corporibus detracta flagellarentur vestimenta, & pro elevendis capillis, deputandoque capite deposita tiara depilaretur. Ex his satis se prodit mitissimum Artaxerxis ingenium.

3. At dices: ex rebus ab Assuero patratis magis crudelitas, quam ingenij lenitas, & mansuetudo probatur, & ex eo colligi potest, videris quippe immanis in uxorem saevitia, cum Vasthi in convivio de regia dignitate deposita,

vt ex capit. 1. constat: deinde tradidit Amano,  
quem sibi habuit familiarem, trucidandum Ju-  
dæorum genus, vt ex capit. 3. habetur, tradidit  
quoque Estheri, & Mardochæo gladium in  
totam Amani familiam, vt deducitur ex cap. 9.  
igitur Assueri ingenium crudele fuit & abomi-  
nabile admodum ingenio Artaxerxis Longimani,  
qui propterea asserendus non est Estheris ma-  
ritus.

4 Respondetur, omnes Persarum Princi-  
pes ferè austriores fuisse natura vique ad mu-  
lieres ipsas, vt patet in Amestri Xerxis uxore,  
vnde ait Herodotus, *Persicum est, vivos defode-*  
*re, nam ♂ Amestrim Xerxes uxorem iam provec-*  
*tæ etatis audio, bis septem illustrium Persarum*  
*liberos defodisse, ad referendam pro se gratiam*  
*Deo, qui sub terra esse fertur. Sic ipse. Alia cru-*  
*delitatis exempla in Parysatide, Darij Nothi*  
*coniuge, & Matre Artaxerxis Mnemonis, lege-*  
*re est apud Plutarchum in eius vita.*

5 Cæterum non desunt in Artaxerxe Lon-  
ginano severitatis exempla, nec in Assuero man-  
suetudinis, vt ex sequentibus patebit. Ex Sacris  
literis certè constat, quod maximè ad rem fa-  
cit, de utriusque in Judæos clementia, atque  
benevolentia non vulgari, quod de Mnemone,  
aut Ocho, quem Estheris maritum existimat P.  
Serarius, dici nequit, quos neque ex Sacris, nec

**ex profanis literis iatis probari potest, quidquam cum Judæis habuisse negotij, nisi quod scribit Josephus lib. 11. capit. 7. Bagosem Artaxerxis Ochi Præfectum Judæos tributis vexasse, Templum poluisse, & per septennium cædis cuiusdam pœnas exegisse ab eis. Hæc tamen non tam de Rege, quam de eius Præfecto enuntiantur, nec de Assuero legitur, ea crimina in Templum Dei perpetrasse, sed potius ipsius benevolum valde Judæis extitisse, & non ex sua sione Bagosis, sed Amani iisdem Judæis infensum primò fuisse.**

6 Iam vero, Artaxerxis Longimani severitas ex eo elucet, quod cum Nehemias ut ædificandi Jerusalem muros, facultatem ab ipso obtineret, præter confessionem peccatorum, & divinorum promissorum obtulitionem, specialisque populi servitutis erga Dominum, ad quem veluti clientes, & liberti ad Patronum Judæi ipsi pertinebant, suum indicavit timorem, severum adeo Principem deprecandi, ut ex his dignoscitur verbis, *Dirige (aiebat) servum tuum bodie, O da ei misericordiam ante virum tuum,* scilicet Artaxerxem, terribilem utique. & formidolosum, ad quem ne Regina ipsa sine timore mortis audet accedere, ut legere est Esdræ lib. 2. cap. 1. v. 11. Et Esther capit. 4. v. 11. quo loci in huac modum Regina fatur: *Omnes ser-*

servi Regis, & cunctæ, quæ sub ditione eius sunt  
norunt Provinciæ, quod, sive vir, sive mulier  
non vocatus interius atrium Regis intraverit abs-  
que villa cunctatione statim interficiatur: nisi for-  
te Rex auream virgam ad eum tetenderit pro sig-  
no clementie, atque ita possit vivere. Ego igitur  
quomodo ad Regem intrare potero, quæ triginta  
jam diebus non sum vocata ad eum. Sic Esther  
alloquebatur, & timebat Artaxerxem, quapropter  
merito faciem Regis adire timebat Nehemias,  
qui tamen ad Regem aditum habebat,  
quia erat ei à poculis, quod officium apud Re-  
gem videntur ei conciliasse Esther, & Mardon-  
chæus, quos sibi fidissimos expertus erat Artaxerxes,  
sive Assuerus, & prædicabat, Esther,  
lib. 2. cap. 16. ¶ 13. perspicuum ergo est, Artaxerxem Longimanum non adeo mitem, & co-  
mem fuisse, ut severitatis plurimum non obler-  
vaverit: igitur ex severitatis defectu non rectè  
discernitur Artaxerxes ab Assuero Estheris ma-  
rito.

Nec tursus in Assuero clementie signa  
deffunt, cum in his etiam, in quibus crudelitatis  
acusatur, ingenij ipsius mansuetudo quodam-  
modo se prodat: existimat immanis in uxori em-  
fævitia, cum illam inconvivio de regia dignita-  
te depositus: tamen hic mite regis ingenium  
intueri possumus, qui cum gravis esset oblata

sæviendi causa, nihil tamen fecit, nisi consultis prius illis, quorum in rebus gravibus utabar consilio, neque tam furori paruit, licet non levitèt indignatus, quām illorum prudentiæ, quorum autoritatì repugnare non poterat, quod factum videtur improbare statim, ut ex cap. 2. in principio, probatur hisce verbis: *His ita gestis, postquam regis Assueri indignatio deferuerat, recordatus est Vashti, & quæ fecisset, vel quæ passa esset.* Ubi tatis indicatur pænituisse Assuerum eorum, quæ in Reginam iusserrat, & commissione motum, ob mite scilicet suum genium.

8 Si quod præterea postea videtur fecisse crudeliter, non tam fecit illorum odio, quos male mulctavit, aut mulctari permisit, quām ne amicis, quod postulabant, negasse videretur, & illos à suo conspectu tristes dimitteret. Tradidit Amano, quem sibi habuit familiarem, trucidandum Judæorum genus, sed fecit non Judæorū odio, sed Amani amore, erga quem molliter erat animatus: tradidit Estheri, & Mardonchæo gladium in totam Amani familiam, & in eos, qui hostiles in Judæorum genus armaverant manus, sed tradit rogatus ab his, quos de se non male meritos agnoverat. Quām verò, quod in subditos sibi populos permisit, fecerit invitus, ipse indicavit Rex, cum Reginæ dixit cap. 9. ¶ 12. *Quod ultra postulas, & quoniam vis, ut fieri iubam.*

beam. Non quidem tantam lenitatem, in Rege commendare, par erit; quia re vera magis obsecutus est aliorum voluntati, aut suæ in alias benevolentiae, quam oporteret: At factum ipsum ostendit Assueri ingenium non fuisse durum, aut ad vltionem prouum.

9 Oppones sexto: Mardochæus, vt habetur *Esther. cap. 2. ¶ 6.* translatus fuerat de Jerusalem, eo tempore, quo Jechoniam Regem Judæ Nabuchodonosor Rex transtulerat in Babylonem: igitur historia Esther referri non potest ad ad Artaxerxis Longimani tempus, nec ille potuit esse Assuerus Estheris matitus. Probatur consequentia; antecedens enim habetur in Sacro textu; quoniam post Jectionis transmigrationem regnavit in Judæa Sedecias annis vndeциim. ex lib. 2. *Paralip. cap. 36. ¶ 11.* subsecuta autem fuit septuagenaria Babylonica captivitas usque ad Cyrum Regem: deinde Persarum Monarchia à soluta captivitate Judæorum usque ad Artaxerxem Longimanum constiterat annis septuaginta tribus, quibus si addas annos aliquot adolescentiae, vel etiam pueritiae Mardochæi, quando ductus fuit in Babylonem, sicut anni 164. vite Mardochæi, quando Assuerus, sive Artaxerxes Longimanus imperare cœpisset, cūque ex tunc pluribus adhuc annis, Artaxerxe

130 *Sacra Chronologica dissert. duodecima.*  
regnante, Mardochæus supervixisse, colligitur,  
illus vitam prope 200. annorum fuisse.

10 Assentitur longævæ huic Mardochæi vi-  
tæ Scaliger: alij vero asserunt, vixisse annos 190.  
alij 195. Cæterum id incredibile esse, conficitur  
primo, quoniam diuturnam aetate conservationem ætas illa iam non ferebat: secundò,  
quoniam Esther erat Mardochæi neptis, fratri  
scilicet filia, ut dicitur *Esther*, cap. 2. ¶. 7. in eodemque textu ¶. 8. vocatur puella, id est iuven-  
cula; erat enim ipsa abs dubio in ætate floren-  
te, cum ob formam cæteris virginibus prælata,  
coniux data est Assuero: nec enim Rex anum deformatum admississet in uxorem: igitur Mardochæus Patruus Esther non potuit tunc tempori-  
ris esse centum annorum, multoque minus du-  
centorum, aut ferè, sicut nec frater eius, pater-  
que Esther.

11 Respondet P. Gaspar Sanchez, qui in longævam Mardochæi vitam propendet, fieri potuisse, quod Mardochæi pater Jair florente ætate cum Mardochæo parvulo translatus fuerit in Babylonem, & ibi iam ætate gravis, pu-  
ta septuagenarius, genuerit Abihail fratrem  
Mardochæi, & Estheris patrem, qui etiam æta-  
te grandæva suscepit Estherem, quæ sub Assue-  
ro ætatem habere potuit florentem, aut etiam  
puel-

puellarem; quæ solutio ex Sapientissimi huiuscè  
interpretis autoritate improbanda non est, ni-  
hilominus difficilis apparet.

12 Licet enim Jair florenti ætate, anno vi-  
delicet vitæ suæ trigesimo translatus esset in Ba-  
bylonem, si iam illi natus fuerat Mardochæus,  
difficulter evenire potuit, quod idem Jair sep-  
tuagenerius genuerit Abiahil fratrem Mardo-  
chæi, rato enim continget, quod frater superet  
fratrem annos 40. ut opus erat ad tuendam hy-  
potesim P. Sancij. Deinde concessio quod Abi-  
ahil natus fuisset prædicto anno, id est 30. cap-  
tivitatis Babylonicae, & 41. captivitatis Jecho-  
niae, profecto, initio Imperij Artaxerxis, ageret  
annos 114. quia ut supra diximus, à soluta capti-  
vitate Judæorum, hoc est, ab initio Persarum  
Monarchiæ ad annum primum Artaxerxis Lon-  
gimani fluxerunt 74. anni, quibus si addas qua-  
draginta captivitas annos, fient 114. anni vitæ  
Abiahil: igitur si ipse septuagenerius genuit Es-  
therem, hæc vtique initio regni Artaxerxis puel-  
la non esset, cum annos excederet 40. hypo-  
sis ergo P. Sancij haud parum difficultatis in-  
volvit.

13 Quamobrem aliter elevari potest ob-  
iectio, si dixerimus Mardochæum translatum  
Babylonem in avo suo, aut proavo, à quibus in  
captivitate genitus est; ita lib. I. *Ezdræ, capit. 2.*

132 *Sacra Chronologica dissert. duodecima.*  
dicuntur Zorobabel, & Josue, & Nehemias re-  
versi in Jerusalem, & Judam vnuisquisque in  
Civitatem suam de captivitate, quam tulerat  
Nabuchodonosor: qui tamen in ipsa captivita-  
te nati sunt. Deinde Gen. 46. ac *Deuteronomio*. 10.  
legimus intrasse in Ægyptum cum Jacob sep-  
tuaginta animas, in quo numero comprehen-  
duntur duo filii Joseph, qui tamen nati erant  
in Ægypto, nec alia ratione dicuntur Ægyp-  
tum ingressi, nisi, quia Joseph, in cuius lumbis  
ipsi erant, in Ægyptum intraverat. Hæc est fre-  
quens sententia, & expositio iuxta doctrinam  
D. Augustini lib. 16. *de Civit. Dei*, cap. 40. cui  
signanter subscribant P. Cornelius in *Genes. ca-*  
*pit. 46.* Salianus, *Anno Mundi 3059. num. 3.* Et  
Cardinalis Bellarminus, *lib. 1. de Verbo Dei, ca-*  
*pit. 7. fine.*

## SECTIO DECIMAQUARTA.

*ELEVATUR OBIECTIO EX EO PETITA,*  
*quod turbæ Aman de occidendis Iudeis haud*  
*evenire potuerunt sub Artaxerxe*  
*Longimano.*

<sup>1</sup> **O**pponitur ex P. Cornelio: bellum,  
& historia Judithæ contigit sub  
Xerxe: Juditha vero cum Olophernem occi-  
dit

dit, puella vocatur, diciturque vixisse ad annum etatis suae 105. nullumque toto tempore vita e us, ac post mortem multis annis, perturbasse Israelem, *Judit.*, cap. vii. ¶ 28. ubi sic habetur: *Mansit autem in domo viri sui annos centumquinque,* & ¶ 30. *in omni autem spatio vita eius, non fuit qui perturbaret Israel.* & post mortem eius annis multis: ergo turbaz Aman de occidendo Judais non contigere sub Artaxerxe Longimano, qui proxime Xerxi patri succelsit.

2 Hoc argumentum difficilem latissimique involvit disquisitionem; de tempore scilicet, quo contigit historia Judith, quam Dissertatione sequenti versabimus, nihilominus hic quod elevandæ obiectioni sufficiat, subiungere, non omittam. Argumentum igitur medium assumit non minus incertum, quam sit consequens stabiliendum; plures enim de Judith tempore circunferuntur Authorum sententiaz; alij quippe ad Cambysem eam referunt, alij ad Artaxerxem Ochum differunt: alij eam sub Xerxe floruisse putant, alij sub Artaxerxe Longimano, alij sub Dario Hyrcaspide, omnes autem haec opiniones in eo præcisè convenient, ut ad tempus post solutam à Cyro Judæorum captivitatem pertinere afferant huius heroinæ historiam.

3 Ante præfatam Judæorum, & liberatio-

134 *Sacra Chronologica dissert. duodecima.*  
nem, & cladem historiam illam consilitaunt,  
nempè alij ad tempus Regis Sedeciae, alij ad Jo-  
siae, alij et si ante captivitatem illam floruisse pu-  
tent, tempus tamen distinctum non exhibent. At  
qui quæstionem istam apprimè versant ad Ma-  
nassis regnum Judithæ, & Holofernis histo-  
riam reulerunt, præcipue P. Peterius. Card. Bel-  
larminus, & alij Dissertatione sequenti lau-  
dandi.

4 Eaque retenta sententia, obiectionis robur  
effringitur, quoniam nobilissimæ huiuscce he-  
roinæ obitus incidit in vigesimum quartū Josiae  
annū, scilicet Mudi 3418. adeoque nata fuit An-  
no Mundi 3314. Ezechiae 6. vnde impletum fuit  
quod in extrema eius historia scriptum reperi-  
tur, nempè: *mansit in domo viri sui annos cen-*  
*tumquinque. In omni autem spatio vitæ eius non*  
*fuit qui perturbaret Israel;* etenim ab anno Eze-  
chiæ sexto, vsque ad vigesimum quartum Josiae,  
id est, ab Anno Mundi 3314. vsque ad 3418. re-  
periētur anni 105. ac propterea ab occiso Ho-  
loferne Anno Mundi 3346. Manassis nono, pax  
magna Judæis fuit vsque ad annum vigesimum  
quartum Josiae Regis: quod autem dicitur, post  
mortem Judith multis annis pacem perseveras-  
se in Israel: septem totis annis, qui ad Josiae  
mortem reliqui sunt, cum Card. Bellarmino, &  
P. Saliano ad Annum Mundi 3418. definitus,

eo enim numero passim in Scriptura multitudo significatur.

5 At inquit mansisse dicitur Juditha in domo viri sui annos 105. ergo si ante quam numeret, & veniret in dominum viri sui, decimumquintum agebat annum, non 105. sed 120. annos vitae expleuisse dicenda erit; sicque tradita à nobis Chronologia perturbabitur.

6 Dicendum nihilominus, Juditham non superasse vivendo annos centumquinque, nec alia est vis eorum verborum, *mansit in domo viri sui annos centumquinque*, quām vixisse in domo viri sui usque dum pervenisset ad centumquinque vitae suae annos: unde & in Græco legitur, *& senuit in domo viri sui annos centumquinque*, ubi illud mansit D. Hieronymi per sequuntur explicatur; itaque versio Vatabli sic habet: *processit ad claritatem eximiam*, donec in domo viri sui ad centesimumquintum annum etatis pervenit: & ita sentit Card. Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei, cap. 12. Greillerus, necnon P. Salianus, *Anno Mundi 3418.* & pro eadem sententia laudat D. Athanasium in *Synopsi*, Sulpitium Severum, lib. 2. *Historię*, Rabanum, & Zonaram quibus Recentiores Chronologi passim assentiuntur.

7 Secundò respondetur permissa sententia, cui subscriptibit P. Cornelius circa tempus Judithae, quod ea presupposita, nempè, Juditham

tham sub Xerxe floruisse, stare non potest quod ipse Cornelius nobis opponit, nimirum Judæorum pacem non fuisse perturbatam reliquo vi-  
tae tempore Judithæ; etenim sub Artaxerxe,  
Xerxis successore, Judæorum pax turbata haud  
parum extitit propter contradictionem hosium  
Judæorum, ut liquidum fit ex lib. 2. *Esdre. ca. I.*  
in quo Nehemias adnotato anno vigesimo Artaxerxis, inquit, quod Hanani, & alij ex Judæis,  
qui venerant Susan, dixerunt illi: *Qui remar- se-  
runt, & relitti sunt de captivitate ibi in Provin-  
cia, in afflictione magna sunt, & in opprobrio: &  
murus Jerusalem dissipatus est, & portæ eius com-  
busta sunt igni. Cumque audissem verba huiuscem-  
odi (pergit Nehemias) sedi, & flevi, & luxi  
diebus multis; ieunabam, & orabam ante faciem  
Dei celi.*

8 En afflictionem, perturbatamque pacem  
Judæorum in diebus Artaxerxis, qui succelsit  
Xerxi, sub quo inquit Cornelius, floruisse Judi-  
tham. Ex quo duo conjectaria fieri possunt: pri-  
mum Juditham, sub Xerxe non floruisse; prop-  
tereaque ruit ex integro obiectio: Secundum,  
si turbæ, quas in sua Provincia sub Artaxerxe  
passi sunt Judæi, non obstant, ut verum habeat,  
quod in omni spatio vitæ Judith, non fuit, qui  
turbaret Israel, nec turbæ Aman impedimento  
esse poterunt, ut eadem assertio sacra omnino

consistat; præsertim cum Estheris pietate, & officijs omnia in Judæorum faustam sortem conversa fuerint. Hæc dicta sunt permissa opinione afferente Juditham floruisse post solutam captivitatem Babylonicam; cæterum ijs non indigemus, cum, iuxta potiorem sententiam, illius Heroinæ tempus referendum sit ad tempus Manassis Judææ Regis.

9 Præterea quod inquit P. Cornelius, Xerxem beneficum, ac piūm fuisse erga Judæos, ex Josepho desumpsit, qui lib. 11. capit. 5. ita scribit: *Dario successit Xerxes filius, sicut regni ita & pietatis paternæ hæres: nihil enim ex patris institutis circa divinum cultum mutavit, & Judeos summa benevolentia prosecutus est.* Sic ille; verumtamen, ut notat P. Salianus ad Annum Mundi 3568. Et Torniellus anno 122. sextæ etatis, vehementer allucinatus fuit Josephus in eo, quod eundem Xerxem cum Artaxerxe fecerit patrem scilicet, & filium, toto regno Xerxis, quod vigenti vnius minimum annorum fuit, per imprudentiam, aut ignorationem prætermisso: vnde etiam idem Josephus cogitur inferius anni vigesimiquinti, & vigesimoctavi eius regni meminisse, quæ filio eius Artaxerxi Longimanῳ convenire luce clarus est. Conficitur ergo nullo efficaci argumento oppugnari nostram sententiam.

10 Infringuntur quoque ex dictis funda-  
menta, quibus innititur P. Tirinus, ad asserendū,  
Darium Hystaspidem fuisse Estheris Assuerum;  
primum nempè quod de amplitudine imperij  
Assueri desumitur, elevatur *Sect. 10. num. 16.*  
*Et Sect. 12. num. 12.* & sequentibus. Secundum  
ex astate Mardochæi, elevatur *bac. dec. 14. num. 7.*  
Tertium de Indorum subiectione *Sect. 12. nu-*  
*mber. 15.* Quartum ex cognitione & cultu Dei  
Cœli, ex *Sect. 10. num. 14.*

## SECTIO DECIMAQUINTA.

*UTRUM IUSTA FUERIT QUERELA , ET  
vindicta Estheris de hostibus suis?*

I **D**UBITABIS forsan, iusta ne fuerit  
querela, & vindicta Estheris de  
hostibus suis? Ratio dubitandi ex  
eo desumi potest, quod huiusmodi vindicta  
nullo interveniente iudicio publico, videatur  
operi mandata sum quia Esther, & Mardochæus  
obtinuerunt, aut Rex permisit Judæis, ut non so-  
luni Amanum, & eius criminis socios, interfici-  
erent, sed coniuges quoque eorum, ac libe-  
tos, domosque universas delerent: quo in nu-  
mero non dubium videtur, multos innocentes  
fuisse, ac propterea iniuste occisos.

Ref,

2 Respondetur, primò videri iudicium intervenisse, cum Rex scribat ad Magistratus, vt sint Judæis adminiculo, vt possint interficere eos, qui se ad necem eorum paraverant, vt patet ex illis verbis lib. *Esther*, cap. 16. num. 20. *Quibus debetis esse adminiculo, ut eos, qui se ad necem eorum paraverant, possint interficere tertiadecima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar.* Innocenti autem præparasse mortem, capitale est; & venenum præparatum, & sica deprehensa, etiam effectu non secuto, legibus morte vindicatur: ea autem die tertiadecima mensis duodecimi cunctis Judæis mors parabatur ab Amano, & socijs, ut dicitur, *Esth. cap. 9. v. 1.*

3 Secundò respondeo, Dei in hoc iudicium videri intervenisse, qui voluerit, impios homines, & de populo suo malè meritos, vna, eademquè die castigari: vnde Rex ipse in suis literis, *Esther* cap. 16. num. 21. *banc enim diem (inquit) Deus Omnipotens mœroris, & luctus eis vertit in gaudium.* Sic olim in Ægypto, cladi bus multis castigati sunt, qui Judæos affixerant, in quibus haud dubiè multi innocentes perierunt in corporibus suis, varijs malis, ac morte mulctati propter peccata parentum; tum quia durissimæ captivitatis, & servitutis Babylonicae Hebræorum cum alijs viris, tum duo innocentissimi Prophetæ, Daniel, & Ezechiel participes

140 *Sacra Chronologica dissert. duodecima.*  
pes fuere; idque facturum se, Deus minatus est  
Civitati Jerusalem dicens, *Ezechielis cap. 21. occi-*  
*dam in te iustum, & impium.*

4. Sed dicat aliquis: *Ezechielis cap. 18. v. 20.*  
perspicuis verbis testatus est Deus: *Anima quæ*  
*peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit ini-*  
*quitatem patris.* Et per legem Mosis vetuit; pa-  
tres occidi pro peccatis filiorum, aut è contra,  
sed unumquemque pro peccato suo puniri,  
iussit, *Deuter. 24. capit. v. 16.* Et *Sapient. cap. 12.*  
*v. 15.* scriptum est de Deo, *Cum ergo sis ius-*  
*tus, iuste omnia disponis: ipsum quoque, qui non*  
*debet puniri, condemnare, exterum iudicas à tua*  
*virtute.* Cæterum contra est, quia *Exod. cap. 20.*  
*v. 5.* dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis*  
*zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in ter-*  
*tiam, & quartam generationem eorum, qui ode-*  
*runt me.*

5 Respondeo, quām optimè præfata scrip-  
turæ loca in concentum redigi, si rectè expo-  
natur: assero igitur primò, pœna spirituali ne-  
minem puniri pro alieno peccato, quia pœna  
spiritualis est pœna propriè dicta, quæ respon-  
det peccato propriè, id autem non est nisi vo-  
luntarium: ergo proprium; tum etiam, quia pœ-  
na spiritualis propriè attingit animam rationa-  
lem, secundumquam unus homo non est ali-  
quid alterius, nec ex alio homine pendet, & ad  
hoc

Utrum iusta fuerit querela, &c. Sec. 15. 141  
hoc præcipue spectat, quod supra memoravimus, ex illa Domini sententia per Ezechielē edita, filius non portabit iniquitatem patris, neque pater filij; sed anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: ecce omnes animæ meæ sunt, ut anima patris ita & anima filij mea est. Et addit: si impius genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, que fecerit, timuerit Deum, nec fecerit simile patris eius, hic non morietur iniquitate patris sui, sed vita vivet.

6 At enim poena corporali puniri aliquem propter aliorum peccata, ex Sacris literis manifestum est: sed hoc sit duplicitè, vel cum is, qui punitur expers est peccati, propter quod punitur, vel cum est particeps; si expers est, aliquando ea punitio sit tam bono eius, qui punitur, quam bono eorum propter quorum peccata punitur: exempli causa Ezechiel, & Daniel participes fuerunt captivitatis, & calamitatum Hebraei Populi, quibus ille propter impietatem, magna que scelerata punitus à Deo est, à quibus sceleribus Prophetæ illi longissime absfuerunt; sed illa poena illis profuit ad bonum spirituale & corporale, ut in Daniele patet, qui à Regibus Babyloniæ, & Persidis magnis honoribus cumulatus fuit, redundavitque in bonum illius populi; ducti enim illi cum popularibus suis in captivitatem magno illis bono fuere ad tolle-

ran-

rāndam captivitatis acerbitatē, magno etiam adiumento ad veri Dei religionē inter idololatras conservandam. Nonnunquam verò accidit, ut quis corporali poena puniatur propter aliorum peccata, quorum ipse non est participes, sed ea castigatio cedit in malum, & poenam eius, cuius causa punitur, ipsi autem, qui punitur bono. & emolumento esse potest. Hac ratione propter parentum peccata etiam innocentes filij puniuntur, & propter dominorum sceleris servi, & subditi insolentes. Talis autem animadversio, quia filij aliquid sunt patrum, & servi dominorum illis est tormento doloris: filij autem, & subditi eiusmodi poenis detentur à parentum, & dominorum imitandis, & consequendis sceleribus.

7 Frequentèr etiam evenit, quod dixit Job cap. 34. v. 30. de Deo: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Et propter peccatum David lib. 2. Reg. cap. ult. numerandi scilicet populum, etiam populus Israel gravissime punitus est, verum id supplicij multis illi, magnisque criminibus proineruerant. Vel denique sèpè boni divinæ iustitiae flagello vna cum malis feriuntur, quod eorum peccata, cum possent, ac deberent redarguere non curarunt.

8 Qua de re præclara est D. Augustini senten-

tentia, lib. 1. de Civitate Dei, cap. 9. plerumque  
 (inquit) à malis hominibus docendis, admonendis  
 etiam obiurgandis male dissimulatur, vel quia la-  
 boris piget, vel os eorum verecundamur of-  
 fendere, vel quia eorum inimicitias devitamus, ne  
 nobis noceant, ut hostes in his rebus, quas adipisci  
 appetit nostra cupiditas, vel quas amittere formi-  
 dat infirmitas. Quo fit, ut licet bonis vita malo-  
 rum displiceat, & ideo cum eis non incident in  
 damnationem æternam, tamen quia peccatis eorum  
 parcunt, iure cum eis temporaliter flagellantur:  
 iure hanc vitam amaram sentiunt, cuius nimium  
 amando dulcedinem, peccantibus amari esse nolue-  
 runt. Nam si propterea quisquam obiurgandi,  
 & corripiendi male agentibus parcit, quod opor-  
 tunius tempus expectet, vel metuat ne obiurgati  
 deteriores evadant, & infirmis erudiendis impe-  
 dimento sit, aliosque premant, atque avertant à  
 fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed con-  
 filium charitatis. Sic Augustinus.

9 Castigat præterea Deus alios pro pecca-  
 tis aliorum duas ob causas, tum ad commen-  
 dandum humanæ societatis unitatem, omnes  
 enim velut membra sumus unius corporis, ut  
 mirum non sit, unius membra dolorem, dolori  
 esse, & alijs membris. Deus igitur ea re signifi-  
 cat, alios pro alijs debere esse sollicitos, ne pec-  
 cent

144 *Sacra Chronologica, dissert. duodecima.*  
cent, cum propter societis nexum aliorum ma-  
la, alijs quoque malo, & damno sint.

10 Tum etiam ad ipsius peccati detestatio-  
nem, cuius tantum est virus, ut non modò pec-  
cantibus exitiale sit, sed alijs quoque pernicio-  
sum. Hæc, & alia ad rem attinentia illustrat  
*P. Peterius in capit. 9. ¶. 21. Geneseos, lib. 14.*  
*disp. 4.* solita equidem sua eruditione differens  
de benedictione, & maledictione filiorum Noe;  
nec silentio prætereundum, cur Deus puniat  
patrum peccata in filijs usque ad tertiam, &  
quartam generationem, & primò id intelligi  
potest, quia filij peccatis parentum intutti  
procliviores, & audentiores sunt ad peccan-  
dum. Tum propter consuetudinem peccandi,  
tum propter exemplum; quamobrem divina  
Scriptura quasi magnum quoddam miraculum  
narrat *Numer. cap. 26. ¶. 11.* filios Corè pecca-  
ti eius non fuisse participes, nec vna cum illo  
perire: factum est (inquit) grande miraculum,  
et Corè pereunte, filij eius non perirent. Addi-  
tur autem, punire Deus usque in tertiam, &  
quartam generationem, quia usque ad id tem-  
poris possunt patres vivere, & sic invicem vi-  
dere possunt, & posteri peccatum maiorum ad  
immitandum, & maiores posteriorum suorum  
pœnas ad dolendum.

Vel

11 Vel fortè in tertiam, & quartam generationem dictum pro eo, quod est in multas generationes: gaudet enim Hebraica lingua usurpatione ternarij numeri ad significandam multitudinem: addens autem tribus quartum, excessum multitudinis designat: sic exemplo, quod in lib. Ecclastici, cap. 16. v. 5. in Codicibus pluribus legitur: *Ab uno sensato inhabitabitur patria, & a tribus impijs deseretur:* in Vulgata verò antè legitur, sensus tamen idem est, ut ibidem exponunt Palacios, & Cornelius, nimirum: *proptèr trium impietatem deseritur.* Nec apud externos Scriptores ea phrasis non est frequens: unde sunt illa ter sapiens, ter inclitus; cecinitque lib. I. Aeneid. Virgilius: *O terque, quaerque beati.* Ergo in tertiam, & quartam generationem, id est, in multas admodum generationes. Extremis porro illis verbis, Exodi ca. 20. v. 5. *eorum qui oderunt me,* satis apertè declaratur, ita Deum animadvertere in filios proptèr parentum scelera, vt etiam ipsi filij proptèr suam improbitatem, & impietatem, similem paternæ, ea dignissimi sint animadversione.


12 Sed dicat aliquis, cur dicuntur filij puniri proptèr scelera parentum, si eam vindictam ipsi sceleribus suis commeruerunt? respondeatur, sic meritò dici, quòd parentes suo exemplo, authoritate, ac suasione Authores fuere

filijs prolabendi in ea scelera, sic enim ferè homines iudicare, & dicere solent, ut maiorum peccata, quæ in ipsis punita non sunt, cernuntque à posteris eorum repetita, puniri à Deo in ipsis, & clamitant venisse tandem divinam vindictam eorum, quæ maiores eorum patraverant, quæ Deus, quasi oblitus in ipsis punire, in posteris eorum, velut recordatus, tandem vindicaverit.

13 Dices iterum: si Deus visitat parentum peccata in filijs usque ad tertiam, & quartam generationem, quomodo ipse lege lata per Moysen vetuit, filios occidi pro peccatis parentum? Nonnè quod iusto iudicio facit Deus per se ipsum, æquum quoque erit fieri ab hominibus, Dei vicem ferentibus; siquidem Judices, ac Reges virtute Dei regnant, & iusta decernunt? Respondetur, aliam esse rationem, longè diuersam hominis, ac Dei ratio est; Deus enim cum sit Author, conservator, largitor, & supremus Dominus hominum vitæ, ac mortis, omniumque bonorum, potest ea suo iure, suoque arbitratu citra cuiusquam iniuriam cuiuscumque, ut libuerit, vel dare, vel auferre, adeoque, & innocentes filios propter scelera parentum affligere, quippe qui mala temporalia posse homini spiritualiter prodest, agnotcit; cui autem, & quando expediat, istiusmodi malis affici, solus ipse novit: satis igitur, & abunde

*Utrum iusta fuerit querela, &c. Sec. 15.* 147  
Estheris reginæ innocentia in facto, quod obij-  
citur, ex prædictis innoscet.

14 Imo Estherem summis laudibus hor-  
nant sacri Expositores ob eximiam eius fortitu-  
dinem, pietatem, & charitatem, quibus doti-  
bus digna fuit, ut mysticè designet Ecclesiam,  
necnon beatissimam Virginem MARIAM, in  
cuius qualequale obsequium, & hæc dicta sun-  
to.



K 2

SA.

SACRA CHONOLOGICA  
DISSERTATIO TERTIADECIMA.

*DE TEMPORE QUO JUDITÆ EVENIT  
historia.*

SECTIO PRIMA.

*LIBRI JUDITH CANONICAM PRÆ-  
mittit authoritatem, & sententias refert  
circa tempus, quo Juditha floruit.*

I **J**UDITH librum esse Canonicum, &  
Authenticum, fide certum est, ex  
Decreto Nicenæ Synodi primæ Ge-  
neralis, vt testatur D. Hieronymus *in Prafa-  
tione in hunc libr.* postmodumque ex Sacra San-  
ctione Concilij Tridentini, *de Canonicis Scrip-  
tur.* *Seff. 4.* idem constabilitum est. Est tamen  
adversus hunc librum quædam enodanda  
difficilis obiectio, quæ in hunc instituitur mo-  
dum: *in Judith. c. 5. v. 22.* dicitur, contigisse histo-  
riam istam post reversionem populi à Babylo-  
nica captivitate, vt colligitur ex hisce verbis  
quæ Holoferni principi militiae Assyriorum di-  
xit Achior, nempè: *Nam & ante hos annos, cum  
recessissent à via, quam dederat illis Deus, vt am-*  
*bii-*

bularent in ea , exterminati sunt prælijs à multis nationibus , & plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam . Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum , ex dispersione , qua dispersi fuerant , adunati sunt , & ascenderunt montana hæc omnia , & iterum possident Jerusalēm , ubi sunt Sancta Sanctorum . Sic ibi ; unde subdicitur , hanc Holofernis expeditionem contra Judæos factam fuisse post Babylonicam captivitatem , eversionemque Jerusalem ; imo & post liberationem à servitute , & post sedi- tum in Jerolymam .

2 Aliunde autem Holofernes erat Dux militiæ regis Assyriorum , nempè Nabuchodonosoris , vt constat ex eodem cap. 5. ¶ 1. Et cap. I. ¶ 5. vbi Nabuchodonosor asseritur rex Assyriorum in Ninive regnans : id vero cum supra excerptis non cohæret ; quoniam tempore , quo Judæorum Gens rediit à captivitate Babylonica , eversa erat Assyriorum Monarchia , & non Nabuchodonosor , sed Cyrus , vel Darius Assyrijs , & Persis , ac Medis imperabat : historia igitur hæc confusa est ; id quod asserere impium , & hæreticum est .

3 Summam hanc difficultatem dicit Cardinalis Bellarminus , tom. I. lib. I. de Verbo Dei , capit. 12. & profectò illa miro modo exercuit eruditorum ingenia : nos , pro captus tenuitate

150 *Sacra Chronologica* dissert. tertiadecima.  
nostri ex Sapientissimis Interpretibus, & Chronologis difficultatem elevare aggredimur. Duæ itaque sunt principales, & generales sententiæ, vna eorum, qui historiam Judith ad tempus referunt Babyloniam præcedens captivitatem. Altera eorum est, qui post eandem captivitatem contigisse, edocent: sed utræque generalis opinio in diversas particulares scinditur.

4 Prima sententia inquit, sub Magno Nabuchodonosore Juditham floruisse; ita Zonaras in *Chron.* Secunda sententia ad Cambysesem eam revocat, sic Eusebius in *Chronico*, qui rem potius obiter attingit, aut recitat, quam eam affirmare, asseveret; nam in Olympiade 62. sic ait: *Cambysesem istum, aiunt ab Hebreis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Judith historia subscriptitur.* Quæ totidem fere verbis recitat D. Augustinus, lib. 18. de Civit. Dei, cap. 26. Et Venerabilis Beda, lib. de Sex etatib. Hermannus Contractus, in *Chronico*. Rabanus ad cap. I. Judith. sed dubitanter. Glycas, part. 2. Anna- lium. Otto Frisingensis, lib. 2. capit. 15. Suidas, verbo *Holofernes*, Historia Scholastica, Nicolaus de Lyra, *Tobiæ fine*. Hugo Cardinalis, in cap. I. Judith. itemque Carthusianus, Joannes Driedo, lib. 1. de *Scripturis*, cap. 2. part. 2. lib. 3. cap. 5. part. 3. & secundum quosdam verbi causa, Ca- num,

*Libri Judith Canonicam, &c. Sec. I.* 151  
num, lib. 11. de Locis, cap. 6. Philo ille Pseudo-  
philus.

5 Tertia sententia ad Xerxis avum eandem  
historiam traducit, sic opinantur Suidas, verbo  
*Judith*. Julius Africanus apud eundem Suidam.  
P. Ribera in cap. 2. *Nahum*, num. 32. Torniel-  
lus. Quarta sententia mavult, ad Darij Hystas-  
pis tempus Juditham referre, idque placuit  
Gerardo Mercatori in sua *Chronologia*, alijs-  
que nonnullis, præsertim Philoni, prout alij,  
ipsum explicant. Quinta sententia existimat sub  
Artaxerxe historiam istam collocandam, & qui-  
dem ante reædificatum Templum Jerotolymi-  
tanum; ita Christianus Adricomius in *Chroni-  
co*, & P. Samerius, in sua *Chronologia*. Sexta in  
Artaxerxis Ochi differt imperium, prout arri-  
sit Severo Sulpitio, lib. 2. *Histor.*

6 Aliam classem constituant, qui aiunt, Ju-  
dithæ præclara facinora pertinere ad tempus  
præcedens Babyloniam captivitatēm; sed hi  
etiam Authores in diversas abeunt sententias;  
nam primò Mag. Cano lib. 11. de Locis Theolo-  
gicis, cap. 6. Et Carion in *Monarchia secunda*,  
tempus nullum distinctius definiunt.

7 Secundò alij ad Sedeciæ tempora hanc  
historiam coniiciunt, sic Genebrardus lib. 2.  
*Chronologiae*, in idque inducuntur proptèr Na-

152 *Sacra Chronologica, dissert. tertia decima.*  
buchodonosoris expeditionem, cuius mentio  
precipua est in lib. *Judith.* Tertiò, ad Josiam  
referunt Joannes Benedictus, Sebastianus Ver-  
ronius, Codommanus, & Ziglerus.

8 Quartò tandem Manassis tempore flo-  
ruisse Juditham edocent, qui hanc historiam  
accuratius expenderunt, ut in sequenti Sectio-  
ne constabit,

## SECTIO SECUNDA.

### *NOSTRA SENTENTIA DE JUDITH* *tempore proponitur, & fulcitur.*

I **A** SSERO igitur, Juditham ad Ma-  
nassis tempora pertinere: quam  
sententiam tenent, & illustrant  
plurimi, & gravissimi Authores, præcipue  
Cardinalis Bellarminus, lib. 1. de Verbo Dei, ca-  
pit. 12. P. Alfonius Salmeron, tom. 19. in epist.  
ultima, Benedictus Peterius, lib. 1. in Daniel.ca-  
pit. 1. ad illa verba: *Venit Nabuchodonosor Rex*  
*in Ierusalem, & obsedit eam.* Gordonus in Chron.  
cap. 10, num. 36. Tursellinus in sua Chronolog.  
quest. ultima. Serarius in *Judith.* capit. 1. quæs-  
tiunc. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Gretserus in defensione  
Bellarmini, dic. cap. 12. Salianus tom. 4. Anno  
Mundi 3344. num. 8. & seqq. Petavius, de Doc-  
tri-

trinatemp. lib. 12. cap. 26. Ricciolus in Chrono-  
log. lib. 6. cap. 11. conclus. 11. num. 9. Titinus  
in Chronico, & in Judith. Idem tenent e Secta-  
rijs Junius, & Tremellius in notis in lib. Judith.  
Uvittakerus contra Bellarminum, hanc senten-  
tiam cæteris probabiliorem putat.

2 Falcitur hæc sententia primum ab exordio  
lib. Judith. cap. 1. vbi describitur potentia, &  
gloriatio Arphaxad Regis Medorum, quæ fuit  
occasio ruinæ, & casus ipsius: & ex victoria  
quam ab illo reportavit Nabuchodonosor Af-  
syriorum Rex, maiori ipse elatus superbia,  
compluribus expugnatis gentibus, tandem  
contra regnum Judæa expeditionem suscepit, &  
direxit, in qua Holofernes, Princeps exercitus,  
occisus fuit virtute, ac gloriose Judithæ facino-  
re: sic autem habetur in præcitato cap. 1. ¶ 1.  
*Arphaxad itaque Rex Medorum subiugaverat  
multas gentes imperio suo, & ipse edificavit Ci-  
vitatem potentissimam, quam appellavit Ecba-  
tanis.*

3 Unde hoc conficitur argumentum: Ec-  
batanis Civitas ædificata fuit à quinto Medo-  
rum Rege Deioce, teste Herodoto, lib. 1. Et  
Eusebio in Chronico, quibus subscribunt iden-  
titem Chronologi; præfatus autem Deioces, alio  
nomine nuncupatus fuit Arphaxad, ut eruditè  
ostendit P. Serarius, Comment. in c. 1. Judith, q. 5.  
vbi

154 *Sacra Chronologica, dissert. tertia decima.*  
vbi ad finem observat, quod à primo, & celebratissimo Sardanapali triumphatore, primo que Ninives expugnatore, libenter alij ex Medis omnes, qui Assyriorum vires vel imminuerunt, vel immunere certe conati sunt, *Arbae*, seu *Arpacadi*, vel pinguiore fono *Arphaxadi* vocabantur, quemadmodum à Sylvio illo primo, Latinorum Reges omnes Sylyij, ait in 6. *Æneidos* Servius. Sicque apud alios Ptolemæi, Arsacæ, Pharaones, Agagi, Cæsares. Et quidem eundem esse Arphaxadum in lib. *Judith*, & Deiocem apud Herodotum. & Eusebium, subducitur quoque ex dictis *Dissert.* 12. *Sect.* 12. *num.* 11. 12. & 13.

4 Tum sic : Arphaxad, seu Deioces longissimo temporis intervallo distat à Cambysè, & Dario Hystaspide, & Ocho, imo regnum initit ac tenuit ante Babyloniam captivitatem, & in Judæa regnante Manasse; igitur Juditha ad hoc Manassis tempus referenda venit. Assumptio probatur, quoniam tam ab Herodoto, quam ab eusebio post Deiocem numerantur tres Medorum Reges usque ad Astyagem, quod devicto à Cyro, Medorum imperium subversum fuit, ut tradit Eusebius initio Olympiadis quinquagesimæ quintæ, consentiuntque reliqui chronologi, ut certernere est apud P. Salianum, *Anno Mund. 3494. num. 2. & seqq.* qui *num. 10. ait*, Cy-

Cyro permittente, in Media regnare coepisse  
Darium. Igitur Arphaxad non potuit esse Cam-  
byses, nec Darius Hystaspis, neque Ochus.

5 Illustratut; nam Arphaxad, seu Deio-  
ces, ex traditis ab Eusebio in Chronico, Medo-  
rum regnum obtinuit annos quinquaginta  
quatuor: Phraortes annos viginti quatuor:  
Cyaxares triginta duos: Astyages triginta oc-  
to: his insuper addendi sunt anni viginti tres  
Darij Medi, ex potiori sententia P. Saliani *Anno  
Mund. 3494. C. 35 16.* tum anni septem Imperij  
Cyri: vnde ab initio regni Deiocis seu Arpha-  
xadi usque ad Cambyssem elapsi fuere anni 178.  
plures autem reperientur usque ad Darium  
Hystaspis, qui post Cambyssem, & Magos impe-  
riavit; multoque plures anni invenientur us-  
que ad Darium Ochum, ut perspicuum restet:  
er-  
go liquidum fit, quod Arphaxad longissimo  
temporis intervallo distat a Cambysse, & reli-  
quis eius successoribus; & subinde Juditha,  
qua ad Arphaxad tempus pertinet, nullatenus  
referri potest ad Cambysis, successorumve eius  
ætatem.

6 Secundò probatur nostra sententia: Na-  
buchodonosor, de quo in lib. Judith. capit. I.  
v. 5. regnabat in Ninive: vt dicitur ibi dicitur,  
anno igitur duodecimo regni sui: Nabuchodonosor  
Rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive Civitate  
mag-

magna, pugnavit contra Arphaxad, & obtinuit eum, &c. At tempore Cambylsis, Darij, & Ochi, Ninive non extabat; funditus quippe eversa fuit à Nabuchodonosore anno regni ipsius vigesimoquarto; quam eversionem prædixit Sophonias cap. 2. v. 15. ibi: *Hæc est Civitas gloria, habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestie? omnis qui transit per eam sibilabit, & movebit manum suam.* Ubi gloria vocatur quæ in tex-  
tu Hebræo, Græco, & Chaldæo dicitur *Ninive.* Eandem devastationem prophetavit *Nahum,* cap. 2. & 3. ubi expreſſè etiam in Vulgata lec-  
tione *Ninive* eversionem vaticinatur, scilicet cap. 2. v. 8. Et cap. 3. v. 3. nam postquam eius scelera deploravit, impetum Chaldæorum, con-  
tra eam irruentium describit, & hanc cladem ad prædictum tempus pertinere ostendit, dum num. 8. Propheta subdit: *Numquid melior es Alexandria populorum,* &c. & num. 10. Sed & ipsa in transmigrationem ducta est in captivita-  
tem, &c. & num. 11. *Et tu ergo inebriaberis, & eris despecta:* Dicit igitur argumentum ex rui-  
na Alexandriæ, recens facta, ad ruinam *Nini-  
ve,* proximè secuturam.

7 Nabuchodonosoris autem anno vigesimo-  
tertio capta fuit Ægyptus, ut ait Josephus,

lib. i o. cap 11. & cum ea Alexandria: congruē er-  
go in annum sequentē, nempē Magni Nabuchodo-  
nosoris vigesimum quartum Ninive casum  
referimus; quæ sententia eorum quoqne vide-  
tur, qui primo anno Nabuchodonosoris Nini-  
vem captam, & eversam dicunt, si primum an-  
num non regni, sed imperij interpretemur.  
Ita sentit *Chronicon Hebreorum*, cap. 24. fine. P.  
Serarius in cap. ultim. *Tobiæ quest.* 4. ac fusè Ri-  
bera in cap. 2. *Nabum*, num. 21. & 22. Salianus,  
*Anno Mund. 3452. num. 4.*

8 Optima igitur complexione conficitur,  
quod Arphaxad, contra quem pugnavit Nabu-  
chodonosor, vt dicitur in *capit. 1. Judith.* non  
potuit esse Cambyses, qui pluribus annis post  
Nabuchodonosorem Magnam, Persarum Mō-  
narchiam tenuit; & multo minus potuit esse  
Datius Hystaspis, neque Ochus. Consimiliter  
que infertur, quod Nabuchodosor Ninives ex-  
pugnator, vastatorque, non fuit idem cum Na-  
buchodonosore, qui pugnavit cum Arphaxad,  
& in Ninive regnabat, vt habetur *capit. 1. Ju-*  
*dith.* Id quod infra, magis inclarescat.

9 Tertiō: Reges Persarum non in Ninive  
regnabāt, sed in Susis; vt prælibavi, identidēque  
*Cosmographi*, & *Historici* Susianam Provinciā  
Persarū regno aſsignant, postquā illud, subactis  
Chaldæis, multisque alijs gentibus, in amplif-  
fi-

158 *Satira Chronologica dissert. tertia decima.*  
sum am evasit Monarchiam; scribitque Strabo  
*lib. 15.* Susa factam esse Regiam Persarum à pri-  
mo Cyro, duas ob causas: tūm quod Persis ab  
alijs regionibus longissimè remota, incommo-  
dissima tanti imperij administrationi, visa est:  
Susa verò, quod inter Persidem, & Babylo-  
nem medio esset loco, & commodissimè ex  
ex alijs imperio Persarum subiectis provincijs,  
illuc conveniri posset, opportunissima ad se-  
dem Regum inibi collocandam, iudicata sunt.

10 Tūm etiam hunc honorē reges Persarū  
tribuere voluerunt, constantissimæ fidei, atque  
obedientiæ Susianorum adversus Persas: quip-  
pè qui soli externarum gentium, quæ Persa-  
rum parebant imperio, nunquam à Persis de-  
fectionem aliquam tentaverint. Plura de Susis  
Persarum Regia eruditissimè congerunt P. Pe-  
terius in *Danielem* *capit. 8. lib. 9.* ad illa verba,  
*cum essem in Susan.* Serarius, *comment. ad cap. I.*  
*Estheris, quest. 11.* per tot. Et profectò Persa-  
rum Regiam fuisse Susa, seu Susan, liquidum  
fit ex lib. *Esther. cap. 1. v. 2.* & ferè per totum  
librum. Igitur Nabuchodonosor, qui *ex lib.*  
*Judith, cap. 1.* regnabat in Ninive, fuit multo  
anterior Imperatoribus Persarum, quorum  
primus fuit Cyrus: & consequenter etiam Ar-  
phaxad, de quo in eodem lib. *Judith,* longis-  
simo terporis intervallo distavit a Persarum Im-  
pera-

Noſtra ſententia de Judith. &c. Sec. 2. 159  
peratoribus Cambyſe , Dario Hyſtaspis , &  
Ocho.

11. Quartò. Nasquam legimus, Reges Perſarum appellatos Nabachodonofor, nec in ſa-  
cra, nec in prophana historia , vt optimè notat  
Cardinalis Bellarminus, de Verbo Dei, lib. 1. ca-  
pit. 12. Et P. Salianus, Anno Mundi 3525. num. 1.  
Cominune quippè Perſarum Regum nomen  
fuit Artaxerxes, aut Aſſuerus, vt obſervat idem  
Salianus , Anno Mundi 3524. num. 1. & 4. &  
conſtat de Cambyſe , Artaxerxem nuncupatum  
ex lib. 1. Esdræ, cap. 4. v. 6. vbi enim in Vulga-  
ta de eo legitur: *In regno autem Aſſueri:* in qui-  
busdam Codicibus, ita habetur : *In regno autem*  
*Aſſueri, ipſe eſt Artaxerxes,* & capit. 4. Esdræ,  
v. 7. & 8. idem Cambyſes vocatur Artaxer-  
xes ; & omnibus notum eſt in Artaxerxe Lon-  
gimano, Mnemone , & Ocho , qui omnes Per-  
ſarum Imperatores, & Artaxerxes appellati ſunt.

12. Nomen quoque Aſſueri Patronimicum,  
& Gentilitium fuſſe Regum Perſarum , inquit  
P. Salianus dicto Anno Mundi 3524. num. 1. At  
P. Peterius in cap. 9. Danielis, lib. 10. quæſt. 1. ve-  
rius iudicat, vocabulum Aſſueri, apud Hebræos  
ſignificare magnum caput , ſeu magnum prin-  
cipem, idque deducit ex Pagnino, lib. de Inter-  
pretatione nominum Hebraicorum ., vbi docet  
quod Aſſuerus ſcribi , & pronuntiari debet

Acha-

160 *Sacra Chronologica dissert. tertiadecima.*  
*Achasuerus*, ab *Achas*, quod est magnum, & *res*,  
quod est caput: adeoque *Assuerus* non est no-  
men *vnius* alicuius regis, vt putavit Mag. Ca-  
nus lib. 11. de *Lociis Theolog.* capit. 3. in *solutione*  
*noni argumenti*: sed est nomen, quo solebant  
*Hebræi* externos, & magnos principes, præser-  
tim vero præpotentes *Medorum*, & *Persarum*  
reges, non enim alijs hoc nomen *Scriptura* tri-  
buit, appellare.

13 Cæterum *Nabuchodonosor* haud Per-  
sicum est nomen, vt id convenire possit *Cam-  
byssi*, aut alijs ex *Persarum Imperatoribus*, sed  
potius *Babyloniae regibus* congruit, vt præter  
supra laudatos *Bellarminum*, & *Salianum* edo-  
cet P. Serarius *in Judith*, cap. 1. quæst. 4. nec id  
diffitetur *Uvittakerus*, et si *Canonicam libri Ju-  
dith veritatem perfide oppugnare* sit ausus; ita  
quippè, se concedere: omnes *Babyloniorum Reges dictos esse*, *Nabuchodonosoros* post  
illum *Magnum Nabuchodonosorem*, cuius  
magnitudo fecit, vt nomen hoc *Regibus Baby-  
lonis hæreditarium esset*, sed antea vocatos esse  
omnes *Nabuchodonosoros*, non constat. Ve-  
rumenti verò, in *præsentiarum*, vt optimè an-  
notat P. Serarius, loco nuper citato, non inten-  
dimus, quod ante, vel post *magnum Nabucho-  
donosorem* omnes ita nuncupati fuerint *Persarum Reges*, sed quosdam tantum, & quidem

an-

ante, etiam Assyrios sic appellatos dicimus; Albategnius Nabonassarē Magni Nabuchodonosoris antecessorē, semp̄ Nabuchodonosorē appellat, & Albategnio vetustior Arabs Ptolemæi Paraphrastes, à quo Nabonassar semp̄ vertitur Bechatnezar, id est, Nabuchodonosor, & ita sese Josephus Scaliger lib. 5. de *Emmend. tempor.* in quibusdam Tabulis scriptum invenisse, testatur, itemque in Almagesto Latino vetustissimo. D. Epiphanius quoquelib. 1. Assyriorū Regem, qui lib. 4. *Reg. cap. 17. v. 24.* in Samariam Cuthæos transtulit, Nabuchodonosorem appellat, fuit vero is vel Salmanasar, vel Sennacherib, qui lib. 1. *Esdræ, cap. 4. v. 10.* dicitur *Asenaphar magnus, & gloriōsus.* Compertum ergo fit, quod Nabuchodonosor, de quo in lib. *Judith*, non fuit Cambyses, nec Darius Hystaspis, aut Ochus, quibus, veluti Persarum Imperatoribus, non competit Nabuchodonosoris nuncupatio.

14. Quintò, *Judith, cap. 4. v. 1.* assertur, timuisse Hebræos, ne Nabuchodonosoris exercitus Templum, & Jerosolymam everteret, ibi: *Tunc audientes hæc filij Israel, qui habitabant in terra Iudæa, timuerunt valde à facie eius. Tremor, & horror invasit sensus eorum, ne hoc ficeret Jerusalem, & Templo Domini, quod fecerat cæteris Civitatibus, & Templis earum.* At tempore

Cambysis, nec Jerusalem, nec Templum extabat: quoniam Nabuzardan, Dux militiae Magni Nabuchodonosoris, Domum Dei, & Civitatem Jerusalem concremaverat, omnesque Iudeos in captivitatem abduxerat Babyloniam, ut habetur lib. 4. Reg. cap. 25. v. 8. *Jerem.* cap. 39. v. 9. &c. 11. Et cap. 52. v. 12. de quo fuisse differimus, *tom. 2. Dissert. 10.* igitur Nabuchodonosor, de quo in lib. *Judith*, ad tempus pertinet Babylonica captivitate anterius, nec potuit esse Cambyses, & multo minus alius ex illius successoribus Persarum Imperatoribus, qui post finitam septuagenariam Babyloniam captivitatem, Persarum Imperium obtinuerunt.

15 Confirmatur, nam licet, soluta Babylonica captivitate, Judæi reversi in terram suam, Cyri beneficentia, cœperint reædificare Templum; tamen per multos annos ædificatio ne intermissa, Darij Hystaspis decreto instaurata est ædificatio, & Templum perfectum anno sexto regni ipsius Darij, ut constat ex lib. *I. Esdræ*, cap. 6. v. 15. prælibavimusque *Differ. 10. Sec. 5.* Extra omnem ergo suasionem sit, quod ipse Darius, vel illius exercitus Templum idem evertere conaretur, intenderetve. Deinde Civitas Jerusalem adhuc reædificata non fuerat, imperantibus Cambyte, & Dario Hystaspide; id quippe obtentum fuit anno vigesimo Arta-

xerxis Longimani, Judæorumque Duce Nehemia, ut subducitur ex lib. 2. Esdræ, cap. 2. v. 1. & seqq. ac Dissertatione sequenti ostendemus: tempore igitur Nabuchodonosoris in lib. Judith, nominati, Urbs Jerosolyma, & Templum extabant; secus autem Imperante Cambyse, & Dario Hystaspide, cuius indulgentia, & iussu, anno ipsius sexto, Templum fuit instauratum, nec ab ipso destruendum timeri poterat.

16 Sextò, vt filij Israel defenderent se à clade imminente ab Holofernisi exercitu, dicitur, Judith, cap. 4. v. 3. quod, Misserunt in omnem Samariam per circuitum usque Feriebo, & præoccupaverunt omnes vertices montium, & muris circumdederunt vicos suos. Unde fit, quod Samaria tunc erat sub ditione filiorum Israel; at imperantibus Cambyse, & Dario, Judæi non præterant Samariæ, sed potius Civitas ista constituta erat sub imperio Persarum: igitur Holofernisi expeditio relata lib. Judith, non evenit sub Cambyse, aut Dario Hystaspis. Assumptio secunda evincitur ex lib. 1. Esdræ, capit. 4. v. 17. ubi resertur Regis Persarum decretum ad Samariæ habitatores rescriptum, ut non sinerent Judæos à Babylonica captivitate in Judæam reversos extruere Templum, & Jerosolymam, Verbum (inquit sacer textus) misit rex ad Reum Beateleem, & Samsai scribam, & ad reliquos, qui

164 *Sacra Chronologica dissert. tertia decima.*  
erant in consilio eorum, habitatores Samariae, &  
ceteris trans fluviam. Et ver. 21. Nunc ergo au-  
dite sententiam: prohibeatis viros illos, ut urbs il-  
la non edificetur, donec si forte a me iussum fuerit.  
*Viaete ne negligenter hoc impleatis, & pa-*  
*latim crescat malum contra reges.* Ex hoc autem  
regio decreto, quod Cambysie imperante  
emanavit, ut observat P. Salianus, *Anno Mun-  
di 3517. num. 23.* conspicuum fit, quod Sama-  
ria imperio Persarum subiacebat: subindeque  
Hebreis fas non erat, munitiones aliquas ad Ur-  
bis illius defensionem extruere; praesertim cum  
nec ipsam Ierosolymam reaedificare, nec mu-  
ros illius instaurare, permisum esset, ut aper-  
te constat ex initio, & serie totius *capit. 4. lib. 1.*  
*Ezdræ.* Et quidem licet, soluta Babylonica cap-  
tivitate, libertas concessa fuerit Hebreis redeun-  
di ad Civitates suas, nunquam tamen deinceps  
sui iuris fuerunt, sed primum Persis, tum Græ-  
cis, postremo Romanis serviebant. Ergo cum  
Judææ tempore, sui iuris fuissent Judæi,  
nullique extra hec Regi obtemperarent, dicen-  
dum venit, Juditham ad Cyri, Cambysis, vel  
Darij imperium, seu tempus referri non posse.

17 Septimo. Temporibus Judith, sum-  
mus Hebraeorum Sacerdos erat Eliachim, ut  
constat ex lib. *Judith, cap. 4. ¶ 7.* ibi: *Et fece-  
runt, filij Israël secundumquod constituerat eis*  
Sa-

Nostra sententia de Judith. &c. Sec. 2. 165  
Sacerdos Domini Eliachim. Qui cap. 15. v. 9. nuncupatur Joacim, ibi: Joacim autem Summus Pontifex, de Ierusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith. At imperante Cyro, & Cambyses, Summus Pontifex erat Josue filius Josedec, ut deducitur ex lib. 1. Esdræ, cap. 2. v. 2. Et capit. 3. v. 2. ibi: Et surrexit Josue, filius Josedec, & fratres eius sacerdotes: Et lib. 2. Esdræ, capit. 12. v. 10. qui appellatur Jesvs cap. 1. Aggai, v. 1. ibi: In anno secundo Darij regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est Verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ ad Zorobabel, filium Sataathiel, Ducem Iuda, & ad Iesum, filium Josedec, Sacerdotem magnum, &c. Però autem Darius rex, cuius tempore Pontificis munus agebat Josue, aut Jesus, fuit Darius Hystaspis, ut cum D. Hieronymo, Josepho, Eusebio, Clemente Alexandrino, Theodoreto, Alberto, & alijs observat P. Tirinus in Chronico, cap. 73. & in capit. 1. Aggæi. Constat igitur quod Juditha, quæ sub Pontifice Eliachim, seu Joacim floruit, non potest pertinere ad tempus Cambysis, & Darij Hystaspis.

18 Octavò: Nabuchodonosor, nuncupatus in lib. Judith, cap. 1. anno duodecimo regni sui pugnavit contra Arphaxad: deinde ut habeatur cap. 2. v. 1. 4. & 5. anno tertiodecimo Na-

166 · *Sacra Chronologica, dissert. tertia decima,*  
buchodonosor vocavit Holofernem principem  
militię suę, & dixit ei : Egressere adversus omne  
regnum occidentis, & contra eos præcipue, qui con-  
tempserunt imperium meum: unde factum est,  
ut pluribus expugnatis provincijs, contra filios  
Israel expeditionem institueret Holofernes : At  
**Cambyses** non regnavit ultra octo annos , imo  
nec octo ipsos integros , ut ex Herodoto  
lib. 3. tenent identidem ferè omnes, præsertim  
Freculphus lib. 3. cap. 19. Pererius, Ribera, Tor-  
niellus, Gordonus, Samerius, Mercator , ac Sa-  
lianus , Anno Mundi 3524. num. 2. ut præliba-  
vimus *Dissert. 10. Sec. 17.* Igitur Nabuchodo-  
nosor, de quo in lib. *Judith*, non potuit esse  
Cambyses.

### SECTIO TERTIA.

*ALIAS SENTENTIAM NOSTRAM*  
stabilit argumentis.

I **O**pugnavimus hucusque opiniones,  
quaæ ad tempus vel captivitatis Ba-  
bylonicæ , vel post illam  
finitam, Juditham referunt ; nunc autem refel-  
lendæ veniunt quaæ ad Sedeciac , vel Josiæ tem-  
pora candem pertinere existimant ; & sic nonò  
differo : in lib. *Judith*, cap. 16. v. 30. de hac He-  
roi-

roina dicitur, in omni autem spacio vite eius non fuit qui perturbaret Israel, & post mortem eius annis multis. Vixit autem Judith annos centum quinque, ut eodem capit. v. 28. habetur, hiscè verbis: *Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque.* Et quidem quando Holofernem interfecit, non vetula, sed puella potius erat, sic enim appellatur eod. lib. cap. 12. v. 12.

2 Sed de Judithæ annis, quando hoc mirum patravit facinus, diversimodè opinantur Scriptores: Cardinalis Bellarminus concedit illi annos quadraginta, cui adstipulatur Tirinus in cap. 16. *Judith sine;* ea enim ætate adhuc potuit esse pulcherrima; & iudicari ab Assyrijs puella, propter incredibilem pulchritudinem, præterquam quia, ut habetur, *Judith cap. 10. v. 4.* Dominus ei contulerat splendorem, non sine novo miraculo, ut inquit Bellarminus. At P. Serarius in cap. 16. *Judith,* existimat, dici posse, Juditham infra quadragesimum quintum annum fuisse, cum ad Holofernem ivit. Gretserus dat quinquaginta. Torniellus *Anno 5. Ætatis 331. vult,* etiam fuisse annorum quinquaginta trium.

3 Rectè tamen dici potest, illam tertio & trigesimo ætatis suæ anno adiisse Holofernem; quam temporis rationem stabilit P. Salianus *Anno Mundi 3346. num. 57.* Tum sic: ab occisso Holoferne usque ad finem vite Judithæ, & mul-

168 *Sacra Chronologica* dissert. tertia decima.  
tis postea annis, non fuit qui perturbaret Israel:  
hæc autem temporis periodus ex dictis cum Sa-  
liano fuit vitæ Judith annorum septuaginta  
duorum, additisque saltem annis septem post  
illius obitum, erit annorum nonaginta novem,  
pacis videlicet Israelitarum: igitur Judithæ his-  
toria non potest pertinere ad Sedeciam, nec Jo-  
sia tempora; quoniam cum Sedecias vndecim  
tantum annis regnasset, ex lib. 4. Reg. capit. 24.  
¶. 18. anno nono regni eius, mense decimo, decima  
dia mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis,  
ipse & omnis exercitus eius in Jerusalem, & cir-  
cumdederunt eam: & extruxerunt in circuitu eius  
munitiones. Et clausa est civitas, atque vallata, us-  
que ad vndecimum annum regis Sedeciae. Reliqua  
autem huius capitinis verba continent subversio-  
nem Jerusalem, & Templi, Regis Sedeciae, &  
totius populi captivitatem, ac desolationem,  
qua ad annos septuaginta perstigit. Atque adeò  
verum esse non posset, quod omnibus diebus  
vitæ Judith, non fuit qui perturbaret Israel; si  
Juditha ad Sedeciam tempus referatur.

4 Idem conficitur, cosignata Judithæ his-  
toria ad tempus Josiae; quia Josias regnavit an-  
nos unum & triginta, ut liquidum est ex lib. 4.  
Reg. cap. 22. ¶. 1. ipsumque in regno subsequen-  
tus fuit filius eius Joachaz, qui cum tribus men-  
sibus tantum regnasset, vixit, & in vincula  
con-

conjectus fuit a Rege Ægypti Pharaone Necho, ut afferitur lib. 4, Reg. cap. 23. v. 33. adducensque in Ægyptum, ibi mortuus est, ut habetur eod. cap. v. 34. At ingens hæc fuit Israelis perturbatio; igitur vivente Juditha non contigit; quandoquidem in omni spatio vitæ eius ab exciso, & oceiso Holoferne non fuit qui perturbaret Israel, ex citato cap. 16 v. 30. *Judith.* Proindeque ad Josiæ tempus pertinere nequit Juditha, quæ post Josiæ mortem ad plures annos, ipsosque pacificos, in vivis esse deberet, si de Holoferne victoria, regnante Josia contigisset. Idemque evincitur, etiam si Judith quadraginta, vel quinquaginta annos ageret, quando caput Holoferni præcidit; sique dein à primo regni Josiæ anno usque ad viñctum Joachaz anni tantum triginta duo numerari queunt ex prælibatis.

5 Decimò. Tempore quo Holofernes Bethuliam expugnare aggressus fuit, Judæorum Sacerdos Magnus erat Eliachim, *Judith*, cap. 4. v. 5. 7. & 11. qui Joacim nuncupatur cap. 15. v. 9. ut prælibavimus: sed Josia regnante, Summus Pontifex erat Helcias, ut constat ex lib. 4. Reg. cap. 22. v. 8. ibi: *Dixit autem Helcias Pontifex.* Et cap. 23. v. 4. & 24. Deinde autem Sedeciae tempore erat Summus Pontifex Saraias, lib. 4. Reg. cap. 25. v. 18. ibi: *Tulitque*  
quæ

170 *Sacra Chronologica dissert. tertia decima.*  
que princeps militiae Saraiam Sacerdotem pri-  
mum. Idemque habetur *Jeremiæ*, cap. 52. v. 24.  
Judithæ igitur de Holoferne triumphus attine-  
re nequit ad Josiæ, aut Sedeciae tempus.

6 Undecimò concinuit sententia nostra cum  
Regum Judææ Chronologia, & cum sacro elo-  
gio Judithæ impertito, in eius lib. cap. 16. v. 30.  
videlicet: *In omni autem spatio vitæ eius non*  
*fuit qui perturbaret Israel, & post mortem eius*  
*annis multis.* Quoniam à nono regni Manassis  
anno, in quo censemus Juditham de Holofer-  
ne & exercitu eius victoriam reportasse, usque  
ad mortem Josiæ, anni intercedunt novem &  
septuaginta, pacifici omnes, & tranquilli: nem-  
pè Josiæ unus & triginta, lib. 4. Reg. capit. 22.  
v. 1. Amonis duo, lib. 4. Reg. cap. 21. v. 19. Ma-  
nassis sex & quadraginta, etiam secluso hoc an-  
no, in quo haec res gesta est, ex quinquaginta  
quinque, quibus regnavit, lib. 4. Reg. capit. 21.  
v. 1.

7 His autem si adiungas tæs & triginta  
annos, quos Juditham egisse dicimus, quando  
Holofernem occidit, fient centum duodecim;  
cum verò ipsa centum, & quinque annos vixe-  
rit, supererunt post eius mortem septem anni  
pacis, usque ad Josiæ obitum; hoc quippè piissi-  
mo defuncto Rege, coepit Israel valde pertur-  
bari; quoniam filius, & successor illius Joachaz  
cum

cum tribus mensibus regnasset, à Pharaone Necho, Ægypti Rege, captivus ductus est in Ægyptum, lib. 4. Reg. capit. 23. v. 34. Joakim quoque successor, & Rex Iudæ, servus factus est Nabuchodonosoris, lib. 4. Reg. cap. 24. similitèr Joachin, & Sedecias, ut ex dic. capit. 24. & 25. lib. 4. Reg. constat.

#### SECTIO. QUARTA.

#### EX BABYLONIORUM REGUM CHRONOLOGIA sententia nostra confutatur.

I **D**Uodecimo denique accinit Babyloniorum Regum Chronologia; diximus quippè Regem Assyriorum, cuius exercitus ducem Holofernem trucidavit Nobilissima Juditha, fuisse Babyloniorum Regem, nuncupatum Nabuchodonosorem: nunc autem addimus cum P. Salliano, *Anno Mundi 3344. num. 9.* & alijs, prædictum Nabuchodonosorem fuisse eundem cum Merodach Baladan, Rege Babylonis, cui Genebrardus, Gordonus Torniellus, Samerius, Mercator, item Functius, Buntingus, aliquique ad quinquaginta duos Regni annos tribuunt: cœpit autem regnare Merodach Baladan anno Ezechiae Regis Judæ sexto decimo, devicto

nem-

172. *Sacra Chronologica dissert. tertia decima.*  
nempè, & mortuo Sennacherib; cum enim ante pro Rege Assyriorum Babylone Prorex, aut potius vestigalis Rex fuisset, liberum deinceps regnum sibi stabilivit, ut dixi *tom. 2. Dissert. 10.* *Sec. 22. num. 2. 3. ¶ 4.* Et *Sec. 24. num. 7. ¶ 8.* quæ videsis.

2. Animadvertisendum quoque, duplex regnandi initium tribuendum esse huic Merodach; primum anno sexto decimo Ezechiæ, quando gratulationis ergo ei munera, & legatos missit, ut dicitur *lib. 4. Reg. c. 20. ¶ 12. ibi: In tempore illo missit Berodach Baladan, filius Baladan, Rex Babyloniorum literas, ¶ munera ad Ezechiæ: audierat enim quod egrotasset Ezechias.* Hæc autem evenisse anno sexto decimo Ezechiæ *ex capit. 37. ¶ 30.* cum D. Hieronymo, Nicolao de Lira, Sanctio, & alijs confulcit P. Salianus, *Anno Mundi 3324. num. 2. 23. 24. 25. ¶ 26.* ad stipulaturque Cornelius in *lib. 4. Regum, capit. 20. ¶ 12. prope finem.*

3. Aliud verò regni Merodach initium collocandum sub finem anni decimi regnantis ipsius Merodach; cum enim Assyriorum imperium totis quatuordecim seculis, id est annis 1401. stetisset, & occidente Sardanapalo natusset, ac penè collapsum esset, sub quinque deinde regibus, quos Sacra Historia suggerit, resumpsit vires, adeò ut Medos iterum, Babyl-

Ioniosque ditioni suæ subiiceret, & populos  
inde pro arbitrio trasferret in Chananitidem, &  
hinc novos colonos in Medium, Babyloniam-  
que trascriberet; donec Sennacheribi exercitu,  
divinitus internecione deleto, ipsoque mox,  
nefaria filiorum coniuratione, extincto, ita ac-  
cisæ sunt Assyriorum vires, ut filius eius Asar-  
haddon ægrè Assyriorum nomen, & potentiae  
præteritæ umbram vix sustentaret.

4. Imo & precario rex fieret Assyrius ipse,  
& tributa suo dudum subdito pendere cogere-  
tur; iuxta illud Isaïe, cap. 31. v. 8. Et cadet Af-  
sur in gladio non viri, & gladius non hominis vo-  
rabit eum, & fugiet non à facie gladij: & iuve-  
nies ejus veetigales erunt. Quæ verba P. Gaspar  
Sanctius ita interpretatur capit. 10. & 31. filij  
Affur, aut servi illius, universi Principes, imo  
& Reges: nam sibi reges servos esse superbè glo-  
riabatur Sennacherib, veetigal ex eo fermè tempo-  
re solverunt primum Chaldeis, à quibus non longè  
post hanc cladem superati sunt, deinde Persis,  
& Medis. Tempore scilicet Cyri, & Darii Me-  
di. Interlinealis Glossa ait, factos primum ob-  
noxios tributis Nabuchodonosori; is nimis est  
Merodachus, qui toto libro Judith, dicitur  
Nabuchodonosor.

5. Igitur Sennacheribi filius Asarhaddon  
cum decem annos regnasset, tædio, ac pudore  
tri-

174 *Sacra Chronologica dissert. tertia decima.*  
tributariæ servitutis fatigatus, acie contra Merodachum decertavit, vicitusque regno, ac vita caruit; statimque Ninive, & penè totum eius imperium in viatoris Babylonij potestatem, ac iura cessit, sed ita tamen ut non Assyriorum, sed Babyloniorum Rex dici vellet; fieretque deinceps non Assyriorum, sed Babyloniorum imperium, quod maximum postea sub Magnò Nabuchodonosore incrementum accepit; quia tamen penes Babylonios Reges erat Assyriorum imperium, etiam Reges Assyriorum dicuntur. Ita plerique omnes geminum Merodachi regni initium ponunt, Genebrardus, Gordonus, Samerius, Mercator, Salianus, *Anno Mundi 3333. num. 4. 5. & 6.* Functius Codomanus, Buntingus, & alij.

6 Merodach igitur primò regnare cœpit anno Ezechiae sexto decimo, quando Sennacheribi clades & mors contigit; licet enim ut habetur lib. 4. Reg. cap. 18. v. 13. anni quarto decimo regis Ezechie ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad universas Civitates Iuda munitas: & Isaie cap. 36. ver. 1. Et factum est in quarto decimo anno regis Ezechie, ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes Civitates Iuda munitas, & cepit eas. Nihilominus vrbe Jerosolyma non fuit potitus, iuxta illud Isaie capit. 37. ver. 33. vbi de Sennacherib yaticinans ait: Non

*Ex Babylōniorum regum. &c. Sec. 4.* 175  
*intrabit Civitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, &c. quia ab Angelo fuit exercitus extinc-*  
*tus.*

7 Cæterum ab adventu Sennacheribi usque ad exercitus cladem tres anni numerandi veniunt ex Isaia, qui Ezechiae Assyriorum interencionem prænuntias cap. 37. ver. 30. dixit: *Tibi autem hoc erit signum: comedet hoc anno quæ sponte nascuntur, & in anno secundo pomis ves-*  
*cere: in anno autem tertio seminate, & metite, &*  
*plantate vineas, & comedite fructum earum. Unde*  
*primus ille annus, de quo Isaías in quartum*  
*decimum Ezechiae cadit, secundus in quintum*  
*decimum, tertius in sextum decimum; & ita*  
*hunc locum interpretatus est D. Hieronymus*  
*in cap. 37. Isaiae adsentienturque Liranus, San-*  
*ctius, & P. Salianus, Anno Mundi 3324. num. 2.*

8 Magisque mihi arridet hæc sententia quam tradita à Leone Castrio, aiente, tres illos annos à clade Assyriorum esse numerandos; subducitur enim ex ipso Sacro textu, & Regum lib. 4. & Isaiae, ipsum prophetas eo quartodecimo Ezechiae anno, & de illo dixisse, *comede hoc anno quæ repereris; subdidisseque, in secun-*  
*do autem anno, quæ sponte nascuntur; quia nimi-*  
*rū proptèr perpetuas Assyriorum excursio-*  
*nes, neque ferere licet, neque metere. Itaque*  
*D. Hieronymus ibidem inquit, in anno autem*

ter.

176 *Sacra Chronologica dissert. tertiadecimæ:*  
*tertio, fugato iam Assyrio, & obsidione laxata, se-*  
*minate, metite Quapropter haud adstipulor*  
*Torriello, qui Assyriorum cladem in sequen-*  
*tem septiūnum decimum annum differt; quippè*  
*non satis id Isaiæ vaticinio consentanem vide-*  
*tur. Proinde colligitur Merodach in sexto de-*  
*cimo Ezechiæ anno regnare primum cœpisse.*

9 Deinde autem anno vigesimo quinto  
Ezechiæ, & Merodach Regis Babyloniorum  
decimo, devictus fuit Asarhaddon, & pe-  
nè toto Assyriorum imperio potitus fuit Me-  
rodachus, constructo deinceps Babylonico  
imperio prout docent Josephus lib. 10. Anti-  
quit. cap. 3. Torniellus, *Anno Mundi 3325. nu-*  
*mer. 2. P. Salianus, Anno Mundi 3333. num. 5.*  
¶ 6. Annotandum tamen, quod cuīn hoc an-  
no Asarhaddon imperaverit, & habita Olym-  
piadis ratione, magna ex parte hic annus ad  
sequentem Julianum pertineat; ideo initium is-  
tud Babylonici imperij collocandam est anno  
Mundi 3334. Ezechiæ Regis Judæ vigesimo-  
sesto, Olympiadis quintædecimæ anno primo.

10 Ex prælibato igitur imperij Babyloniorū  
exordio usque ad nonum Manassis annum, ad  
quem referendam censemus victoriam à Judi-  
tha de Holoferne reportatam, computandi ve-  
niunt anni tredecim: nempè Ezechiæ quatuor,  
id est à vigesimo sexto, usque ad vigesimum no-

num, & vltimum regni ipsius ex lib. 4. Regum, capit. 18. V. i. tum etiam novem priores Regni Manassis, quando nempè evenit Judithæ victoria: totidemque tredecim anni tribuuntur Nabuchodonosori, id est Merodacho Babylonio, quando acie decertare contra Judæos, aggresus est, ut legitur *Judith*, cap. 2. ver. 1. ibi: *Anno tertiodecimo Nabuchodonosor Regis, vigesima, & secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor Regis Assyriorum. Et ver. 4. vocavit Nabuchodonosor Holofernem, &c.* Ubi animadverto, quod cum in sacro textu Rex Assyriorum Nabuchodonosor nuncupetur, ideo illius regni anni computantur non à primo eius regni Babylonici exordio, a quo elapsi iam fuerant anni tres & viginti, sed ab initio Imperij, seu Assyriorum regni, ex quo tempore usque ad expeditionem eo cap. 2. *Judith*, enarratam tredecim tantum numerandi sunt anni ex dictis num. 9.

11 Regnavit autem Merodach usque ad annos duos & quinquaginta, ut sentiunt Genebrardus in *Chronologia*, Torniellus in *Tabulis suis*, & Anno quinque Etatis 361. P. Gordonus in *Quinta Periodo*, Anno Mundi 3285. Samerius in *Sacra Chronologia*, Salianus Anno Mund. 3375. Mercator, Funccius in suis *Chronologis*. Porro autem concurrit hic ultimus Merodachi annus

178 *Sacra Chronologica dissert. tertia decima.*  
cum trigesimo octavo Manassis Regis Judæ;  
cum enim anno Manassis nono ageret iam Merodach annos tres & viginti à primo regni sui  
exordio, additis novē & viginti annis, fiunt duo  
& quinquaginta quibus regnavit, & eorum ultimus cadit in octavum trigesimum Manassis.

12 Successor in Regno Merodachi fuit filius eius nuncupatus Ben-Merodach, id est filius Merodach, cum enim idem haberet cum rege patre nomen, ad differentiam dictus est Ben-Merodach, quem Babyloniorum Regem prioris successorē agnoscit Eusebius in *Chronico*, ipsique adsentiantur Torniellus, ubi proximè laudatus, & P. Salianus, *Anno Mundi 3376. numer. 1. & 2.* Qui Authores ap̄ primē eruditū existimant, & confulciunt, regnasse Ben-Merodach annos duos & triginta; adeoque illius ultimus annus erit Josiæ Regis Judæ tertius decimus, cœpit quippè Ben-Merodach imperare anno trigesimo nono Manassis; à quo tempore vique ad quintum, & quinquagesimum ultimum regni Manassis. (totidē quippè annis, regnavit, ex lib. 4. Reg. cap. 21. v. 17. Et lib. 2. Paralip. cap. 23. v. 18.) inveniuntur septendecim anni; additisque duobus Amonis, lib. 4. Reg. cap. 21. v. 23. & tredecim Josiæ, fiunt anni duo & triginta Imperij Ben-Merodach.

13 Illius filius & Imperij hæres fuit Nabon-

as-

lassar, sic vocatus apud Josephum lib. 1. contra Apionem, ex Beroſo Chaldaeo, & ibi viginti novē Imperij anni tribuūtur illi; at idem Josephus lib. 10. Antiq. cap. 11. ex eodem Beroſo lib. 3. Chaldaicorum, nuncupat illum Nabuchodonosorem Seniorem, & ei annos vnum & viginti assignat: utrumque locum conciliant Torniellus, *Anno Mundi 3408. num. 3.* Et P. Salianus, *Anno Mundi 3376. num. 1.* sic, vt octo annis cum patre, vnum & viginti sine patre regnarit.

14 Illustrissimæ ergo Heroinæ Judithæ obitus incidit in Nabolassaris, post patrem imperantis, vndecimum annum, & decimum nonum ex quo cum patre regnare cœpit; idemque annus fuit Josiæ Regis Judæ quartus supra vigesimum; proinde, est hic annus tertius & septuagesimus ab obtenta victoria, quando scilicet Juditha egerat annum trigesimum secundum; cum illisque complentur, anni centum quinque vitæ eius; id est Judithæ triginta duo exacti, quādō victoriam obtinuit, insuper Merodachi seu Nabuchodonosoris triginta, Ben-Merodachi triginta duo, & Nabolassaris vndeçim.

15 Reliqui semptem anni Josiæ, usque ad trigesimum primum regni ipsius, & postremum, complentur in Nabolassaris decimo octavo, elapsisque erunt, excluso anno à Judithæ victoria, anni septuaginta novem, in quibus pax

180 *Sacra Chronologica dissert. decimatercia.*  
magna Judæis fuit, impletumque fuit, quod in  
extrema Judithæ historia scriptum est cap. 16.  
¶. 3. *In omni autem spacio vitæ eius, nempè ab*  
*occiso Holoferne, non fuit qui perturbaret Israel,*  
*& post mortem eius multis annis, septem videli-*  
*cet a morte Josiz.*

### SECTIO QUINTA.

#### EX OBJECTIONUM SOLUTIONE CON- fucitur magis nostra sententia.

I **O**ppones primò: Arphaxad, ut ha-  
betur *Judith*, cap. 1. v. 1. ædifica-  
vit Civitatem potentissimam, quam  
appellavit Ecbatanis. Sed Deioces Medorum  
Rex Ecbatanam non ædificavit: igitur Arphaxad,  
de quo in lib. *Judith*, non fuit Deioces, ut à no-  
bis dictum est, *Sect. 2. num. 3.* Secunda assump-  
tio probatur, quoniam Ecbatanis ædificata fue-  
rat à Seleuco, ut tradit Plinius lib. 6. capit. 14.  
& ex illo alijs referunt; porrò autem Seleu-  
cus pluribus post seculis imperare cœpit, scili-  
cet anno ab Urbe condita 442. & Olympiadis  
117. anno primo, ut tradunt Josephus lib. 12.  
*Antiquit. capit. 7.* Et lib. 1. *contra Apion.* Ptole-  
maeus lib. 11. *Almagesti, cap. 7.* Et lib. 9. cap. 7.  
Eusebius in *Chronico.* Et lib. 4. *de Demonstrat.*  
D. Hieronymus in *cap. 9. Danielis*, & alijs plu-  
res;

res; cum tamen Deioces Medorum Rex regnaverit Olympiadis XVIII. anno 1. iuxta Eusebium, sed iuxta P. Salianum Olympiadis XVII. anno quarto, & Vrbis conditæ 44.

2 Ex adverso Diodorus lib. 2. iam ante Semiramidem extitisse Ecbatanam, edocet, cum ait, post ædificatam Babylonem hac Semiramidem venisse, magnifica ibi palatia excitasse, & cum aquarum inopia laboraret Urbs, in eam Oronte monte, qui duodecim stadijs abest, per fosso, aquæ abundantiam derivasse: Semiramidem autem certum est, non solum ante Olympiadum exordium, Urbemque conditam, sed permultis ante seculis regnasse, scilicet anno Mundi 1626. iuxta P. Petavium de *Doctrina temp. tom. 2. lib. 13. in Annis expansis*, vel Anno Mundi 2049. iuxta P. Salianum *dicho anno, numer. 1.* Colligitur ergo quod Deioces non fuit, qui Civitatem Ecbatanam ædificavit.

3 Respondet primò: obiectionem istam ex æquo oppugnare aientes, Judithæ historiam ad Sedeciae, vel Josiae tempus, vel ad posterius Cambylis, & Datij Hystaspis esse referendam: quoniam Darius, & Cambyses, ac potiori ratione Sedecias, & Josias multo ante Seleucum regnarunt; Josias videlicet Olympiadis trigesimali anno primo, & Mundi 3395. Darius verò Hystaspis anno Mundi 3532. & Olympiadis sexagesimæ quartæ anno tertio. Se-

4 Secundò elevatur obiectio, quia non ratiō fit, vt Urbem dicatur quispiam ædificasse, quam non omnino primus inchoarit, sed vel restaurarit, vel multis, magnisque quibusdam ædificijs exornarit, aut amplificarit, quemadmodum de Babylone constat ex *Genesios capit. 10. v. 10.* Ubi principium Regni Nemrod dicitur Babylon, quam tamen permultis deinceps seculis ædificatam à se dixit Nabuchodonosor, *Danielis cap. 4. v. 27.* & de Sasis ex Plinio, *lib. 6. cap. 27.* qui tradit Susan conditam fuisse à Dario Hyrcaspis, id est, vt Ælianuſ explicat, valde amplificatam, lautius ædificatam, novisque palatijs, & regia sede ornatam; nam teste eodem Æliano *de Anim. lib. 13. cap. 18. & 59.* Herodoto, *lib. 5* Strabone, *lib. 15.* Casiōdoro, *lib. 7. Epist. 15.* Memnon Titoni filius, primus eius conditor fuit, quem dicunt, illigatis hinc inde auro lapidibus, eam exædificasse, & ab eius nomine Memnoneam dictam fuisse: sic notat P. Tirinus *Ester cap. 1. v. 2.* Et sane ita Judith textus *cap. 1. v. 1.* intelligendus, Arphaxad ædificavit Civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbataniſ. Ideo enim non ait textus Græcus ædificavit Ecbatana, sed ædificavit in Ecbataniſ. Sicque exponunt P. Serarius ibidem quæſt. 7. Sallianus, *Anno Mundi 3345. num. 4.* Tirinus in *Judith, cap. 1. v. 1.*

Sed

5 Sed insistet quispiam. Quæ ab Herodo-  
to dicuntur facta in Ecbatanis à Deioce, admo-  
dùm diversa reperiuntur ab ijs, quæ Scriptura  
dicit facta ab Arphaxad: igitur Arphaxad alias  
fuit à Deioce. Antecedens probatur, quoniam,  
*Judith cap. 1. v. 2. & 3.* de Arphaxad asseritur,  
quod in Ecbatanis fecit muros eius in latitudinem  
cubitorum septuaginta, & in altitudinem cubito-  
rum triginta, turres vero eius posuit in altitudi-  
nem cubitorum centum. Per quadrum vero ea-  
rum latus utrumque vicinorum pedum spatio ten-  
debatur. Ubi animadvertisendum viius tantum  
mutorum ambitus mentionem fieri; apud He-  
rodotum autem semptem ambitus mutorum  
describuntur: Deinde ab eodem Authore pul-  
la turriū sit mentio, hic vero maximè. Haud  
difficiliter tamen respondetur, Herodotum  
quandoque à vero aberrare, eiusque ingenium  
aliquando ludere, ut ex Ctesia inquit P. Salia-  
nus, *Anno Mundi 3345. num. 5.* Unde Herodo-  
ti authoritas in hac parte nullius momenti est.

6 Imo licet in textu Græco adificationis  
modus ab eo, quem Latinus noster assert, ali-  
quantulum discrepet, non verborum copia tan-  
tum, sed & numeris, sic enim in eo habetur, *in*  
*Ecbatanorum urbe muros in circuitu extruxit ex*  
*cæsis seu politis lapidibus, qui ternis cubitis lati,*  
*senos longi erant. Murus vero altitudinem habe-*

bat septuaginta cubitorum, quinquaginta latitudinem. Turres præterea portis imposuit, quarum altitudo ad centum cubitos erecta erat: Et latitudo in sexaginta fundata patebat. Portas autem eius excitarat semptuaginta cubitos altas, quadraginta latus, ad potentium eius exercituum egressiones, Et ad pedestrium copiarum suarum instructiones. Nihilominus Vulgata Latina lectio, ut omnino vera, retinenda est, omnibusque alijs præferenda, ut non semel prælibavi, nempe tom. I. *Dissert. 1. Sect. 5. num. 7. Sect. 31. numer. 4. præcipue 8. Et sequentibus. Dissert. 3. Sect. 4. num. 6. usque ad finem.* Et sèpè deinceps. Tum quia ex proportionis defectu deformis, & inelegans structura videtur, quæ in Græco textu describitur, ut observat P. Serarius in *Judith cap. 1. quæst. 8.*

7 Pro ulteriori autem elucidatione eorum, quæ de Arphaxad, seu Deioce Medorum Rege tradidimus, & ut alias circa id, proclive sit, elevare difficultates, annotandum cum P. Serario in *Judith cap. 1. quæst. 5.* Saliano, *Anno Mundi 3345. in Scholio ad num. 3.* De Medorum Principatu, quando, & per quos cœperit, imo & in nominibus Principum & numero, & annis regnum, magnam inter Gentiles Scriptores, qui summo loco habentur, esse dissensionem, ita ut quidquid illi dicant, nos Divinorum

Librorum Auctoritati, adhaerescere oporteat; ex ijs illos corrigeret, & quod in ijs adhuc veritatis elucet, id, quemadmodum & alia profana omnia, in sacrarum istarum literarum obsequiū cogere.

8 Huiusce specimen incertitudinis esse potest, quod apud Eusebium leguntur Medorum Reges, Arbaces, qui regnat annis 28. Sosarmus annis 30. Medidus 40. Cardiceas 13. Diocles 54. Phraortes 24. Cyaxares 32. Astyages 38. Annorum summa 259.

9 Apud Diodorum ex Ctesia: Arbaces annis 28. Mandanes 50. Sesormenes 30. Artocarmen 50. Arbianes 22. Artæus 40. Artynes 22. Artabanus 40. qui & Astybaras. Astyages, qui & Apanda 35. summa 317.

10 Apud Herodotum, hi tantum reperiuntur: Deioces, filius Phraortis 53. Phraortes filius Deiocis 22. Cyaxares 40. Astyages 35. summa 150. Vide quantum & nominibus Principum, & numero, & annis regnum tres hi Autores, sanè per celebres, dissentiant.

11 Præterea ex Græcis excerptis Gregorij Monachi alium horum regum, aliter nuncupatorum, annorum tamen summa cum annis ab Eusebio consignatis congruente, laterculum exhibet P. Petavius tom. 2. de Doct. temp. lib. 9. cap. 34.

12 Observandum insuper, Arphaxadum, quem dicimus esse Deiocem, apud Herodotum, nuncupari Dioclem, non quidem per erratum, ut existimavit P. Serarius dicta quæst. 5. quandoquidem sic nominatum fuisse ab Eusebio, edocent P. Salianus, & Petavius locis *prætitatis*; idemque Deiokes apud Ctesiam nominatur Arsæus, sive Artaeus. Ac denique collige, quod cum nostra de Arphaxado sententia congruat cum sacra doctrina, & cum prophana, ex peteruditis Authoribus excerpta, nihil offiscere queit, quod penes quidpiam discrepet à profanis historiographis nonnullis.

## SECTIO SEXTA.

*OBJECTIO EX EO DESUMPTA, QUOD  
Babylonij Reges non in Ninive regnabant: ac de  
Ninives destruictione plura, quæ conferunt,  
expediuntur.*

<sup>1</sup> **O**ppones tertio. Nabuchodonosor, de quo in lib. Judith, capit. 1. ¶. 5. fuit Rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive Civitate magna, ut eo loci habetur, tum cap. 2. ¶. 1. At Merodach sive Berodach Baladan erat Rex Babyloniorum, ut asseritur lib. 4. Reg. cap. 20. ¶. 12. ibi: *In tempore illo misit*

fit Berodach Baladan, filius Baladan, Rex Babyloniorum, litteras, & munera ad Ezechiam: audi-  
erat enim quod ægrotasset Ezechias: imo & ag-  
noverat portentum illud Solis, 2. Paralip. c. 32.  
v. 31. hisce verbis: *In legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, nempe Ezechiam,*  
*ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram,* &c.

2 Quem locum sic explanat D. Hieronymus in cap. 39. *Isaiæ*, in quo refertur eadem legatio ad Ezechiam missa à Merodach Baladan, qui etiam Babylonis Rex nuncupatur, inquitque S. Doctor: *Et quia apud eos, Chaldæos scilicet, & Babylonios, astrorum obseruantia est, stellarumque cursus longo usu, & exercitatione cognitus, quod etiam in Domini nativitate monstratur, intellexerunt Solem reversum, dieique spatia duplicata, servire ei, quem solum Deum putabant, cumque causas huius miraculi, rationemque perquirerent, fama per omnes gentes volante dicerant, propter ægrotationem Regis Iudeæ, etiam cursam signi clarissimi commutatum.* Procopius quoque inter alia sic habet: *Ad hunc porro Ezechiam, cum ægrotasse Babyloniorum Rex audisset, non vana motus occasione legatos misit, sed quod diem illum, quo cursum suum Sol retro egisset, duplo maiorem extitisse deprehendisset. Conficitur ergo Merodachum non fuisse Regem*

188 *Sacra Chronologica dissert. tertia decima.*  
gem Assyriorum, sed Babyloniorum, & subinde non fuisse illum Nabuchodonosorem, qui Arphaxadum devicit, & de quo in lib. *Judith*, mentio sit.

3 Augetur difficultas, quoniam in eodem cap. 1. v. 5. dicitur, quod Nabuchodonosor regnabat in Ninive; at magna haec Civitas imperio Babyloniorum advenit potentia & armis Magni Nabuchodonosoris, ut in capit. 2. v. 1. *Nabum*, edocent D. Hieronymus, P. Ribera, Sa, & identidem alij: igitur Merodach, qui multo ante regnavit, quam Magnus Nabuchodonosor, non potuit regnare in Ninive; ideoque nec potuit esse Rex Assyriorum, de quo in lib. *Judith*.

4 Respondetur ex prælibatis *bar. Differt.* Sect. 4. num. 2. cum sequentibus. Merodachum initio primo regni Babylonici, haud dominatum fuisse Ninives, quæ Assyriorum Regia erat; quoniam etsi, devicto & mortuo Sennacherib, ipsiusque exercitu divinitus extincto, Babylonium regnum sibi Merodach asciverit, ut dixi præcitato loco; tamen Assyriorum Imperij successor extitit Assarhaddon, Sennacheribi filius, quem Septuaginta Interpretes in Sixtiana editione, *Tobiae* cap. 1. Sacherdonum, sive Sarchedonum vocant: Complutensis editio Acrhidonum: Septuaginta Sixti & Regia in lib. 4. Reg cap. 19. fine, Asordan; Josephus autem lib. 10.

cap. i. Assarachoddam; quem Genebrardus cundem vult esse Sardanapalum, ultimum Assyriorum Regem.

5 At de ultimo facile illi assentiemur; de Sardanapalo non item: siquidem, Sardanapalus fuit Rex, qui Jona prædicante, regnabat in Nineve, & indutus Sacco, sedit in cinere, & pœnitentiam egit, iussitque illam à cunctis in magna illa Civitate fieri, ut edocent Christophorus à Castro in sua Chronologia Sacra, Anno Mundi 3215. Et in Jonam cap. i. Torniellus laudatus à P. Saliano, Anno Mundi 3216. num. 24. Et præcipue desumitur ex D. Hieronymo in cap. i. Offæ, & Amos; nam priore loco ait, Osseam, Elaiam, Jophel, Amos, Abdiam, Jonam, & Michæam synchronos fuisse, quod repetit etiam in præfatione in Jonam; in posteriore autem ait, Amos prophetasse, cum apud Assyrios regnasset Sardanapalus. Neque absurdum est, hominem luxuperditum, qualem illum omnes antiqui prædicant, pœnitentiam egisse, præsertim cum illa pertineat ad principium regni eius. Nemo enim repente fit pessimus. Tum sic: Amos, ut in eius cap. i. v. 1. dicitur prophetavit in diebus Ozia Regis Judæ, adeoque Sardanapalus, cum cœpisset Assyrijs imperare, anno vigesimo Amasis Regis Judæ, qui ad viginti novem annos Regnum obtinuit, lib. 4. Reg. cap. 14. v. 2. Et ip-

190 *Sacra Chronologica dissert. tertiadecima.*  
ipse Sardanapalus annos viginti imperasset, profecto etiam decem illius imperij posteriores anni concurrent cum decem prioribus. Ozia Regis Judæ, qui ad usque quinquaginta duos annos regnavit, post parentem suum Amassiam, lib. 4. Reg. cap. 15. v. 2.

6 Cæterum, licet devicto Sardanapalo ab Arbace Medo & Beleso Babylonico, alisque coniuratis, ut narrat Diodorus, lib. 2. Bibliotheca, pag. 78. Assyriorum imperium magna ex parte contritum fuerit, tamen non omnino extinctum, nec finem accepit; & Niniye, etsi ruina & incendio deformata, non solo æquata, aut excisa, in qua plerique adhuc Assyriorum Reges, Scriptura teste, regnauit, nominatimque Sennacherib, ut liquidum est ex lib. 4. Reg. c. 19. v. 36. Et Isaiæ cap. 37. v. 37. ibi: *Et egressus est, & abiit, & reversus est Sennacherib Rex Assyriorum, & habitavit in Nintive.* Tum quia in eadem habitavit Tobias cum familia sua, atque adeò cum omni tribu sua, eò translata, post annos setme octoginta à fine imperij Sardanapali.

7 Memorantut itaque deinceps Assyriorum Reges à Scriptura primùm Phul, qui Ozia, seu Azaria in Judæ regnante, apud Assyrios imperabat, & quidem post annum trigelimum nonum Azariae, vi deducitur ex lib. 4. Reg. cap. 15. v. 15. & 19. Secundò Theglatophalasar, lib. 4.

Re-

*Reg. cap. 15. v. 29.* qui tempore Joathan filij Oziæ, seu Azariæ regnavit, ut ex dicto loco subducitur; prædictusque Theglath plurimos Israælitas transtulit in Allyrios, & ad Regnum quoque Achaz filij Joathan propagavit imperium, *lib. 4. Reg. cap. 16. v. 7.* ibi: *Misit autem Achaz nuncios ad Theglatphalasar Regem Assyriorum, dicens: servus tuus, & filius tuus ego sum,* &c. Regnavit deinde Salmanasar apud Assyrios tempore Ezechiæ, filij Achaz, *lib. 4. Reg. capit. 17. v. 6.* Et *cap. 18. v. 9.* ibi: *Anno quarto Regis Ezechiæ, qui erat annus septimus septimus Osseæ, filij Elæ, Regis Israel, ascendit Salmanasar Rex Assyriorum in Samariam, & oppugnavit eam,* & ceperit. Sequitur Salmanasarem Bennacherib, *lib. 4. Reg. cap. 18. v. 13.* qui post cladem ei ab Angelio illatam, Ninivem reversus est, ubi cum à filijs suis interfectus esset, in imperio filius illius Assarhaddon successit; ut ex *dic. cap. 19. fine,* liquidum est; & à nobis prælibatum.

6 Devicto autem Assarhaddone à Merodach Baladan, Ninive & pene totum Assyrium Imperium in victoris Babylonij potestatem translatum fuit; ac propterea tam Merodach, quam eius posteri, passim in sacris literis, Reges Babyloniorum, sive Chaldaeorum appellantur; quia tamen penes ipsos erat Assyriorum Imperium, eisque belli iure successerat, etiam

Assy.

Affyriorum Reges dicuntur; nam hic ipse Merodach, novus Babylonici fundator, ac denominator Imperij, *Jeremiæ cap. 50. v. 2.* ubi Merodach nuncupatur Imperium Babylonicum, hic inquam, Rex Affyriorum dicitur *lib. 2. Paralip. cap. 33. v. 11.* cum eius principes dicuntur cœpisse regem Manassem, & vincitum compedibus, atque catenis, duxisse Babylonem; unde satis aperte subducitur Babyloniorum Regem, fuisse Regem Affyriorum, siquidem dicto loco *Paralipom.* Rex Affyriorum nuncupatur, qui Regnum Babylonicum in sua habebat potestate, & quia sedem Regni Babylone collocaverat, ductus est Manasses in Babylonem. Porro autem illum Regem fuisse Merodachum, optimè colligit P. Salianus, *Anno Mundi 3333. num. 4. Et Anno Mundi 3344. num. 9. & 10.*

7 Rursus extremo Josiæ Regno, Pharao Necho Rex Ægypti dicitur ascendisse contra Regem Affyriorum, *lib. 4. Reg. capit. 23. v. 29.* ibi: *In diebus eius, Josiæ, ascendit Pharao Necho Rex Ægypti contra Regem Affyriorum ad flumen Euphratem, & abiit Josias Rex in occurrencem eius: & occisus est in Mageddo, cum vidisset eum.* Ille autem Affyriorum Rex fuit Nabonassar, Magni Nabuchodonosoris pater, qui deinceps tres tantum annos regnavit, & in Regno Iuc-

Obiectio ex eo desumpta, &c. Sec. 6. 193  
successorem habuit Magnum Nabuchodonosorem, ut ex Josepho lib. 3. Rerum Chaldaicarum. Et lib. 10. Antiquit. cap. 11. versus finem, confulcit P. Salianus, Anno Mundi 3428. numer. 2. & seqq. idemque prosecuti sumus, tom. 2. *Dissert.* 10. *Sect.* 14. num. 4. & seqq. Et *Sect.* 23.

8 Denique Cyrus Rex Persarum, post devictos Babylonios, etiam Rex Babylonis dictus est lib. 1. *Esdræ*, cap. 5. v. 13. quapropter Jeremias, Ezechiel, & Zacharias, annotante P. Saliano, Anno Mundi 3333. num. 4. eosdem populos modò Assyrios, modò Chaldaeos, & Babylonios appellant, quia videlicet, vni Principi omnes parebant: id quod ex Herodoto lib. 1. prælibavi, *Dissert.* 10. *Sect.* 26. num 8.

9 Conficitur ergo, quam optimè stare posse, quod Merodach Baladan Babylonici Regni Rex, & Imperator fuerit, & quod simul Assyriorum Rex extiterit, & nuncupetur *Judith*, cap. 1. v. 5. Obseruareque hanc desinam, hunc Merodachum a Ptolemaeo lib. 4. capit. 6. vocari Mardokempadum, in quo convenient P. Petavius, Salianus, & Ricciolus.

10 Ex præiacta doctrina elevatur obiectio-  
nis confirmatio, præterum si memori mente te-  
neamus quæ tradita sunt tom. 2. *Dissert.* 10.  
*Sect.* 6. num. 3. & seq. ubi diximus, sapè cap-  
tam, cœversamque Niiven: quæ viterius eluci-

N da-

194 *Sacra Chronologica dissert. decimatercia:*  
dare, operæ pretium erit: Ninive igitur adeo  
antiquum habuit initium, quale subindicavit  
Moyses, *Genetos capit. 10. v. 12.* dicens: *De*  
*terra illa (Sennaar) egressus est Assur, & edificavit*  
*Niniven.* Sed controversia est an Ninus sit Assur  
de quo Moyses, & à quo ait Niniven con-  
ditam. *Josephus lib. 1. Antiquit. D. Augustin.*  
*lib. 16. de Civit. Dei, cap. 3.* D. Hieronymus *in*  
*Tradition. Hebraicis,* putarunt, hunc Niniveum  
Assur, esse filium Sem, quem Moyses Assur  
etiam nominat; tamen cum ijdem D. Augustin.  
*lib. 16. de Civit. cap. 3. 4. & 17.* & D. Hiero-  
nymus *in cap. 2. Oseea,* tum alij Authores do-  
ceant, Ninum fuisse filium Beli, & Belum esse  
Nemrod, nepotem Cham, consequens est, Ni-  
num non esse ex genealogia Sem. Itaque Ninus  
est Assur Niniveus, seu Ninives conditor, vt  
post alios plerosque non male colligit Scaliger  
*in Eusebitum:* eidemque positioni adstipulantur  
P. Gordonus *tom. 1. Chronolog. ad periodo 2. ca-*  
*pit. 4. num. 13.* Titiinus *in cap. 10. Genes.*

11 De amplitudine autem Civitatis Nini-  
ves, *Fonæ cap. 3.* dicitur quod erat *Civitas mag-*  
*na itinere dierum trium.* Diodorus Siculus *lib. 2.*  
inquit, ambitum matorum illius fuisse 480.  
stadiorum, hoc est, sexaginta milliariorum Itali-  
corum. Id vero intelligendum, iuxta Diodo-  
rum, de extensiōne, & amplitudine, qua con-  
di-

dita fuit à Nino, postmodum vero quanta incrementa, spatio ferè tredecim seculorum accessisse urbì illi, intelligitur ex *Jonæ capit. 3.*  
*¶. 3.* ibi: *Et Ninive erat Civitas magna itinere trium dierum, quæ verba D. Hieronymus, Haymo, & Remigius de Urbis ambitu exponunt, sed P. Gaspar Sanccius, Titinus & alij de sola Urbis diametro intelligenda, docent, & colligi videtur ex ¶. 4. ibi: Jonas ergo cœptus introire Civitatem itinere diei unius; si enim ambitus integreret itineris trium dierum tantum, prosector in die uno peragari posset diameter tota; proportio quippè diametri ad circuli circumferentiam est, ut septem ad aliquid minusquam viginti duo, & quid plus, quam ad viginti unum; ita ut proportio diametri 7. ad circumferentiam 22. sit maior vera: Diametri autem 71. ad circumferentiam 223. sit minor vera, ut ex Archimedē edocent Matheleos periti, præcipue P. Andreas Tacquet in suis Selectis ex Archimedē Theorematibus, prop. 6. & novissimè, ac dissentē perdoctus P. Thomas Vincentius Tosca, Comp. Mathem. tom. 1. trac. 3. lib. 7. prop. 2. Tum quia si unius diei itinere, solum cœpit Jonas introire Civitatem, ergo ut totam peragaret, diebus alijs itineris opus erat.*

12 Hæc magna inclyta Civitas ad Tygrim fluvium sita, ut Geographi, aliquæ uno ore profi-

tentat, præcipue Ptolemæus, Strabo, Plinius; adeò que hau i restè Diodorus illam iuxta Euphratem collocavit; hec, inquam, Asiae Metropolis ab Arbace Medo fuit capta, ruinaque, & incendio devastata, in ea imperante Sardanapalo, qui ne in hostium manus deveniret, rogum in regia ingentem extraxit, quo aurum, & argentum omne, & quidquid erat regiæ supellectilis congesit; tum concubinis, & eunuchis in dominiculam, quam in medio pyræ extruxerat, inclusis, se, regiamque cum illis omnibus absumpsit incendio. Sic Diodorus Siculus lib. 2. Bibliothecæ, Græcæ, pag. 78. Justinus, Strabo, et si apud Athenæum, lib. 12. pag. 530. Græc. Latin. Cleitharcus lib. 4. de Alexander, præfatum Sardanapalum scribit, vita senio decessisse, Syriæ tamen imperio spoliatum.

13 Ex hac autem Assyriorum imperij clade tres facti sunt principes, inter quos, cum plurimum viribus atque autoritate polleret Arbaces, dictus est imperium in Medos transfluisse; cæterum adhuc persistit idem imperium, licet magna ex parte diminutum, & discissum, quoniam Arbaces Medorum regnum sibi ascivit; Belesus, qui copijs suis Arbaci contra Sardanapalum auxilium exibuit, Babylonem citra pensitationem obtinuit: Phel verò Assyriorum Praefectus Ninivem, ac reliquum Assyriorum reg-

regnum retinuit; Arbaces enim, vt tradit Diodorus, miti erat ingenio, adeò ut per humani-  
tèr viciis sua prædia, possestionesque reliquerit,  
quæ solent esse præmia victorum; sive quia non  
minus prudentia, quam fortitudine valeret, ut  
pote magni eversor, ac fundator imperij, ma-  
luit à principio plurimum de occupato à se iu-  
re concedere, quam præfractius omnia ad vi-  
vum resecando, aleam de tota re periculose ia-  
cere.

14. Et quidem Phul tam prudentèr, atque  
industriè imperavit, vt Regnum Babyloniorum  
recuperasse, & imperio suo restituisse existime-  
tur; eoquod nulla sit deinceps Babyloniorum  
mentio, usque ad Baladam, qui tempore Eze-  
chiæ regnavit, septuaginta circiter, ab hinc an-  
nis. Contra quam quidam putant, qui volunt  
Regnum Assyriorum in Monarchiam Babylo-  
niorum transiisse; repugnante Scriptura, quæ  
Phulem istum, eiusque successores perpetuò  
Rēges Assyriorum, nunquam Rēges Babylo-  
niorum vocat, ut liquidum sit ex dictis hac Sec.  
num. 7. Porro autem Assyriorum Regnum, vt  
prælibavi. Phul, quem Belochum cognomi-  
nant aliqui, secuti Metasthenem Annij, obti-  
nuit annis quadraginta octo, vt perhibetur in  
eodem Metasthene; cui subscripterunt Gene-  
brardus, Torniellus, P. Gordonus, Samerius,

198 *Sacra Chronologica dissert. decimateria:*  
ac *Tirinus in Chronico, cap. 3.* vbi initium reg-  
nantis Phulis collocat Olympiadis primæ an-  
no secundo.

15 Nihilominus magis ad stipulorū P. Salia-  
no, *Anno Mund. 3278. num. 12.* vbi tres, &  
quadraginta annos Phuli regno consignat, &  
anno primo Olympiadis primæ vivendi finem  
fecisse, arbitratur; innititurque Authoritati D.  
Hieronymi in *Oseam*, sub finem lib. 1. aientis:  
*Legimus Regum, & Paralipomenon libros, & in-*  
*veniemus sub Rege Phaceas, qui regnabat decem*  
*Tribubus, venisse Theglath-Phalasar, Regem Af-*  
*syriorum, & magnam Populi Samariae partem in*  
*Affyrios transstulisse. Quo tempore apud Gra-*  
*cos secundus annus primæ Olympiadis fuit, &*  
*apud Latinos, (nec dum Roma condita fuit) Albæ*  
*vigesimo anno, Amulius imperabat, quem postea*  
*Romulus Regno pepulit. Sic Doct. Maximus,*  
idemque tradidit Eusebius in *Chronico*. Cum  
igitur secundo anno primæ Olympiadis regna-  
ret Theglat-Phalasar, & supra quadraginta an-  
nos regnasset Phul, fieri non potuit, quod Phul  
regnare cœpisset secundo anno primæ Olym-  
piadis, ut inquit P. Tirinus, sed dicendum po-  
tius quod Phal regnare cœperit apud Affyrios,  
anno undecimo Oziae Regis Judæ, qui annos  
duos, & quinquaginta regnavit, *lib. 4. Regum,*  
*capit. 15. v. 2.* obiitque Phul anno primo Joa-  
tha-

thami Regis Judæ, & Olympiadis primæ anno primo; subindeque non quadraginta octo annos, sed tantum quadraginta tribus, regnavit Phul, nimirum duobus, & quadraginta, regnante Ozia seu Azaria, & uno, Joathamo, ut optimè colligit P. Salianus, *Anno Mundi 3278. numer. 12.*

16 Idemque Salianus præcitat loco, annotat, ab hoc rege, rem Assyriorum, penè cum Sardanapali morte collapsam, erigi, firmatique cœpisse; atque ex eo valde probabile fit, quod, ut habet *Reg. lib. 4. cap. 15. v. 10. & 20.* Re gem Israëlis Manahem tributarium sibi Phul constituit. Phulis successor fuit Teglat Phalasar, imperavitque annis uno, & triginta, obijtque anno quarto Olympiadis VIII. finiente anno primo Ezechiæ Regis Iudeæ, ut edocet Torniellus, *Anno quinto Etat. 286.* & subinde initium Salmanasaris ponitur à P. Gordono, Salaliano, & alijs, secundo anno regni Ezechiæ, & Olympiadis IX. anno primo: finemque regandi fecit anno primo Olympiadis XI. cum imperasset annos novem, sed non integros; quoniam cum filius eius Sennacherib, ex communi multorum tentētia cum Eusebio in *Chronicō*, Olympiade VIII. & cernere est apud P. Gordonum, *Anno Mundi 32. 64. Salianum, & Tirinum in Chronic. cap. 33.* septem annos reg-

200 *Sacra Chronologica dissert. decimatercia.*  
naverit, mortuisque fuerit anno sextodecimo  
Ezechiæ, ut dictum est *Sect. 4. num. 2. 6. 7. & 8.*  
non potuit is septimum attigisse, nisi primus  
eius cum ultimo patris ipsius, nempè Salmana-  
saris, concurrat; qui annus fuit Olympiadis XI.  
primus. Sennacherib ergo cum annos septem  
imperasset, eius exercitus, præpotentis Dei ma-  
nu, & Angeli ministerio, neci penitus datus est;  
ipseque Sennacherib à filijs suis fuit occissus,  
Olympiadis XII. anno tertio, & Ezechiæ Regis  
Iudæ decimosexto; qui magna ex parte fuit  
etiam primus Asarhaddonis filij Sennacheribi,  
ut observat P. Salianus, *Anno Mundi 3324. nu-  
mer. 22.*

17 Imperavit autem Asarhaddon annis de-  
cem, ut ex eo colligitur, quod victoria, quam  
de ipso reportavit Merodach Rex Babylonio-  
rum, dum scilicet illum regno, & vita spolia-  
vit, ac Ninive, & penè totum Assyriorum im-  
perium in victoris Merodachi potestatem trans-  
latum fuit, contigit anno quarto Olympiadis  
XIV. & Urbis conditæ trigesimo secundo, ut ex  
Ptolemæo, Bunti go, & Metcatore observat  
P. Salianus, *Anno Mundi 3333. num. 6.* Et proin-  
de conficitur Asarhaddonem regnasse tantum  
ab anno tertio Olympiadis XII. usque ad quar-  
tum XIV. nempè annis decem, & subinde hic  
annus fuit extremus Assyriorum imperij, ini-  
tiuum-

tiumque Imperij Babyloniorum ; sed quoniam  
ut supra annotatum est , habita ratione anno-  
rum Julianorum , hic annus quartus Olympia-  
dis quartæ decimæ magna ex parte ad sequen-  
tem annum Julianum pertinet, ideo initium Ba-  
bylonici Imperij collocandum anno Mundi  
3334. Ezechiæ Regis Judæ vigesimo sexto,  
Olympiadisquæ XV. anno primo. Videsis quæ  
tradidimus torn. 2. *Dissert.* 10. *Sec.* 25. *num.* 14.  
vbi rationem computandi annos Olympiadum,  
& Julianos exhibuimus.

18 Ex supra traditis , compertum fit , Ni-  
niven persistisse sub Assyriorum Imperium us-  
que ad initium Imperij Babylonici, quod con-  
stituit Merodach , qui proinde in Ninive regna-  
vit, ut de illo cognominato Nabuchodonosore,  
asseritur *Judith cap. 1. v. 5.* & deinceps alij Chal-  
daeorum, seu Babyloniorum Reges sub sua po-  
testate Niniven retinuerunt.

19 Cæterum imp̄sa Ninive s̄ep̄ rebellans,  
ut pote iugi impatiens , quæ cæteris domina-  
ri assueta erat, tæpius capta & eversa est: in quo  
omnes fere conveniunt : Torniellus ad annum  
Mundi 3371. & 3384. quater eversam esse Ni-  
niven, existimat; primò quidem à Medis, & Ar-  
bace, quando Sardanapalus extinctus est: secun-  
dò a Merodach Rege Babylonis , anno postre-  
mo regni Assarhaddon , Ezechia in Judæa reg-  
nan-

nante: tertio à Benmerodach, quod & Nahum Prophetam, & Tobiam prædixisse, credit: quartò denique à Nabuchodonosore Rege Babylonis.

20 Et profecto ex dictis deducitur, ab Arbace primùm devictam Niniven, ruina, ac incendio deformatam, sed sub Assyriorum Imperatorum potestate relictam: deinde à Babylonio Merodach captam, suæ ditioni cum imperio translatam: tertio Assueri armis in ipsius Regnum transiisse; ac denique à Magno Nabuchodonosore expugnatam, solo æquatam ut statim dicemus ex Prophetis Tobia, & Nahum.

## SECTIO SEPTIMA.

*ENODANTUR ALIÆ DIFFICULTATES*

*circa Ninives eversionem præsertim ex Tob.*

*cap. 14. v. 5. & Nahum: cap. 2.*

I **N**IVITÆ ergo, cum Jonas Dei misericordiam enuntiasset, magnu[m]que ipsi[us] terrorem inieceret, pœnitentiam egerunt, & misericordiam consecuti sunt, ut habetur *Jonas cap. 3*. Verum postea in divinæ benignitatis oblivionem adducti, ad pristinam malitiam reciderunt, atque mille iniquitates inse ad miserunt: bellum populo Israelitico fecerunt,

ruit, & decem tribus, in servitutem redactas, Theglath Phalasar, & Salmanasar Assyriorum Reges captivas abduxerunt, ut constat ex lib. 4. Reg. cap. 15. v. 29. Et lib. 2. Paralip. cap. 5. v. 26. tum lib. 4. Reg. cap. 17. v. 18.

2 Propterea iratus Dominus, iterum Ninives interitum denunciavit per Tobiam senorem, qui cum captus esset in diebus Salmana-sar Regis Assyriorum, in captivitate tamen positus viam veritatis non deseruit, & cum per captivitatem devenisset cum uxore sua, & filio in Civitatem Niniven, cum omni tribu sua, scilicet Neptali, in hora mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, & septem iuvenes filios eius nepotes suos, dixitque eis: Prope erit interitus Ninive: non enim excidit verbum Domini. Tobiae cap. 14. v. 5. Præterea Nahum divinam vindictam, & plenum excidium Ninive intentat, & cum illa toti Assiriæ, & Assyriacæ Monarchiæ, cuius sedes regia, & metropolis erat Ninive; ut perspicuum est ex integra Nahum prophetia.

3 In libro autem Tobiae, videtur non agi de postrema Ninives eversione, qua & funditus deleta est, & de qua agitur in Prophetia Nahum. Id quod probatur primò, quoniam, ut habetur in Textu Græco cap. 14. Tobie, ad finem, ubi agitur de morte Juniotis Tobiae, ipse audit priusquam moreretur perditionem Ninive,

quam

quam captivavit Nabuchodonosor, & Affuerus, & gavisus est, antequam moreretur, super Ninive. At vita Junioris Tobie protendi non potest usque ad annum vigesimum quartum Magni Nabuchodonosoris, & ipsius imperij annum primum, quando ne ipse penitus excissa fuit Ninive, ut prelibavimus tom. 2. *Dissert. 10. Sect. 6. num. 6.* cui placito suffragium dedere V. P. Ribera in cap. 2. *Nahum num. 9.* & sequentibus. Serrarius in cap. 14. *Tobiae, quest. 4.* Salianus, *Anno Mundi 3452. num. 4.* & 5. Tornielius, *Anno Mundi 3452.* Cornelius à Lapide *Comment. in Nahum cap. 2.* Igitur in lib. *Tobiae*, non est sermo de postrema Ninives eversione.

4 Assumptio secunda fulcitur ex eo, quod quando senior Tobias abductus fuit in captivitatem, iam natus erat eius filius Tobias, ut liquidum est ex lib. 1. *Tobiae, cap. 1. ¶ 11.* ubi de seniore Tobia, asseritur, quod per captivitatem devenit cum uxore sua, & filio, in Civitatem Ninivem. Hæc autem Israelitarum captivitas & ingens clades, qua omne Israeliticum Regnum, ex decem tribubus coalescens, finitum est, evenit Anno Ezechiae Regis Judæ sexto, Osee Regis Israel nono, & ultimo, Salmanasaris Regis Assyriorum quinto, ut cernere est apud P. Salianum *Anno Mund. 3314.* idemque tradidit Josephus lib. 9. cap. 14.

5 Unde P. Serarius in cap. 14. *Tobiae*, quest. 8.  
Et Salianus *Anno Mundi* 3312. fine, existimavit,  
Tobiam Juniorem natum fuisse anno quarto  
**Ezechiae Regis Judæ**, Otee Regis Israel septi-  
mo, *Mundi* autem 3312. ac proinde Tobiam  
Juniorem in captivitatem devenisse anno ipsius  
ætatis tertio inchoato, vixitque ille usque ad an-  
num nonageimum nonum, ut disertè habetur  
*Tob.* cap. 14. ¶ 16. totidemque reperientur us-  
que ad sextum decimum *Josiae Regis Judæ*, vi-  
delicet Ezechiae viginti sex superstites usque ad  
vigesimum nonum, & ultimum Regni sui, lib. 4.  
*Reg. cap. 18.* ¶ 2. quinquaginta quinque Ma-  
natis, lib. 4. *Reg. cap. 21.* ¶ 1. duo anni Amo-  
nis, dict. cap. ¶ 19. & Josiae sexdecim; oportet  
igitur, quod Ninives vastitas à seniore Tobias  
prænuntiata, quamque audivit senior Tobias  
evenierit primis Josiae annis, aut taliter, quod  
ipsius sexto decimo contigerit: & consequen-  
tēr Junioris Tobias vita protendi non potest us-  
que ad annum vigesimum quartum Magni Na-  
buchodonosoris, primumque Imperij ipsius;  
cum à sexto decimo anno Josiae usque ad vige-  
simum quartum Nabuchodonosoris interce-  
dant anni duo, & quadraginta, videlicet Josiae  
quindecim usque ad trigesimum primum, ulti-  
mumque Regni ipsius: Joakimi undecim, Se-  
deciae undecim, quando Nabuchodonosor age-  
bat

206 *Sacra Chronologica dissert. tertia decima:*  
bat octavum decimum sui regni annum ; à quo  
tempore vsque ad vigesimum quartum Nabu-  
chodonosoris sex fluxere anni , & ultimo de-  
tracto, colliguntur anni duo, & quadraginta, vt  
dictum est.

6 Quapropter licet iuniori Tobiae adscri-  
bamus vitæ annos centum viginti septem, iuxta  
editionem Septuaginta , non potuit ante mor-  
tem audire perditionem Ninives , quæ contigit  
anno vigesimo quarto Nabuchodonosoris ; iam  
quippè vita cessisset Tobias anno decimo Na-  
buchodonosoris : fit igitur, Ninives desolatio-  
nem prænumtiatam à Seniore Tobia, non fuisse  
postremam,qua & funditus deleta est, & de qua  
agitur in prophetia Nahum.

7 Secundò stabilitur eadem temporis ratio,  
ex eo quod illa magis Tobiae vaticinio consona  
apparet, sic quippè iam morti proximus elocu-  
tus est: *Propè erit interitus Ninive, Tob. cap. 14.*  
cum igitur Tobias Junior parum ante mortem  
suam , Ninives interium audivisset , iuxta  
Græcum textum, oportet , haud temporis mul-  
tum adiacere, inter Senioris Tobiae mortem , &  
Ninives excidium, seu obitum Junioris Tobiae:  
hoc autem intervallum iuxta ea , quæ tradidi-  
mus, fuit annorum triginta duorum, quod tem-  
pus exiguum videtur, præsertim habita ratione  
antiquitatis, & diuturnitatis Urbis , & regiæ il-  
lius.

lius. Si autem Tobiae prophetiam quispiam referat ad id tempus, quo funditus a Magno Nabuchodonosore deleta fuit Ninives , invenientur anni septuaginta quinque, nempè, quindecim Manassis, duo Amonis, vnius & triginta Josiae, tres Joacim, viginti quatuor Nabuchodonosoris : igitur Tobiae prædictioni magis cohæret nostra sententia, quam alia docens, locutum fuisse Tobiam de postrema Ninives clade.

8 Frequenter verò receptum est, hanc Ninives eversionem factam à Nabuchodonosore, & Assueros iuxta editionem Septuaginta , Vulgata enim nihil circa id tradit: quod autem de Nabuchodonosore capiente Ninivem dicitur, intelligendum non de Magno Nabuchodonosore, sed de eius patre, ut mox ostendam. Quisnam tamen fuerit ille Assuerus, dubitatur: Pontacis in *notis in Chronicum Eusebij*, pag. 110. ait, pletisque viris doctis placere, ut Assuerus sit Cyaxares ; cui placito adstipulatur P. Serarius in cap. 14. *Tob. quest. 3.* quoniam primus Cyaxaris annus apud Eusebij *Chronicon* cadit in sextum decimum Josiae, quo existimamus Tobiam iuniorem esse defunctum.

9 Et idem Eusebius , anno sexto Cyaxaris Regis Medorum, ait ipsum adversus Assyrios dicantem, Ninum Civitatem coepisse ; & rursum anno eius vigesimo quarto ait, eundem Cya-

Cyaxatem Ninum Civitatem subvertisse. Quan  
tum re videtur Eusebius secutus Herodotum,  
*ib. i.* At Herodotus tantum inquit, Cyaxarem  
castra movisse ad Civitatem Ninum, studio ul-  
ciscendi patris, qui in ea expeditione perierat,  
& eam evertendi; interea autem supervenissim  
Scythes, à quibus Assiae imperium per viginti  
octo annos possessum fuerit, quibus expulsi, &  
interemptis, & sua recepisse, & Ninum expug-  
nasse.

10 Eidem quadantenus P. Tirinus adhæres-  
cit; dissidet tamen eo quod, ut cernere est in  
ipsius *Chronico, cap. 33.* doceat quod Scythis ex-  
pulsis, Cyaxares, vna cum filio suo Astyage, iun-  
ctis viribus cum Nabuchodonosore seniore, seu  
Nabul-Assare, iam tum vna cum patre suo im-  
perare incipiente, expugnavit Niniven, ac de-  
levit, anno tertio decimo Josiae, Cyaxaris trige-  
simo tertio, Nabul-Assaris cum patre regnantis  
secundo.

11 Ceterum huic temporis rationi adsenti-  
ti haud valeo; primò quoniam frequens Chro-  
nologorum sententia Ninives postremum exci-  
diam non senioris Nabuchodonosoris, sed Ju-  
nioris, & Magni potentiae, & armis adscribit, ut  
mox tradam. Secundò, Nabul-Assaris cum patre  
regnantis annus secundus non concurrit cum  
anno tertio decimo Josiae, sed cum septimo, ut  
op-

*Enodantur alię difficultates, &c. Sec. 7.* 209  
optimè ostendit P. Salianus, *Anno Mundi* 3401.  
& colligitur ex his, quæ tradidi bac *Dissert.*  
*Sect. 4. num. 12. & 13.*

12 Tertiò Astyages esse non potuit Josiæ Regis synchronus; Astyagem quippè ultimum Medorum Regem ponit Eusebius in Chronico; illique ait, successisse Cyrum: & colligitur ex Daniel. cap. 13. fine, confulciturque ex dictis *Dissert. 12. Sect. 4.* Et quidem licet eadem *Dissert. 12. Sect. 5.* in id Magis propendeamus, quod nempè Astyagi successerit Darius Medus, nuncupatus Cyaxares Junior; id tamen fuit ex concessione Cyri, qui Astyagem devicit, eiusque Regnum occupavit, ut prælibato loco ostensum fuit.

13 Tum sic: Cyrus cum expugnasset, prælioque viciisset Medos, eorumque Regem Astyagem, ac Persas, regnare cœpit Olympiadis LV. anno primo, ut communis fert Chronologorum sententia, ac constitit *tom. 2. Dissert. 10. Sec. 26. num. 6. 7. & 8.* Idem autem annus priimus regni Cyri fuit quadragesimus octavus Desolatio-  
nis Urbis Ierosolymæ, & terræ Iudaeorum, ac vigesimus tertius Evilmerodachi filij, & successoris Magni Nabuchodonosoris, qui regnavit annos quadraginta quatuor, ut dixi *tom. 2. Dissert. 10. Sect. 11. num. 2. & sequentibus:* cœpit autem regnare Nabuchodonosor Magnus anno

O

quar-

210 *Sacra Chronologica dissert. tertiadecima.*  
quarto Joakim, filij Josiae Regis Juda. *Jeremie,*  
*cap. 25. v. 1.*

14 Cum igitur Joakim regnaverit annos  
vndecim, *lib. 2. Paralip. cap. 36. v. 5.* compu-  
tandi veniunt à morte Josiae vique ad Cyri reg-  
ni initium anni sexaginta novem, nempè Joa-  
kimi tres, Nabuchodonosoris quadraginta qua-  
tuor, & Evilmerodachi viginti duo, sed quo-  
niam non omnes hi anni sunt integri, vltimus  
quippè Nabuchodonosoris concutrit cum pri-  
mo Evilmerodachi, fluxerunt tantum anni se-  
xaginta octo: hoc est ab Olympiadis XXXVII.  
anno quarto, vltimoque Regis Josiae, ad Olym-  
piadis LV. annum primum, quando primò Cy-  
rus regnare coepit devicto Astyage.

15 At Astyages solum regnavit triginta  
quinque annos iuxta Herodotum, vel triginta  
octo, iuxta Eusebium: ut prænotavi *Sect. 5. nu-*  
*mer. 8. & seqq.* conspicuum ergo fit, quod As-  
tyages attingere non potuit Josiae Regnum:  
multoque minus expugnare potuit Niniven,  
anno tertio decimo Josiae, qui ante Joakimum  
regnavit annos triginta unum, *lib. 4. Regum, ca-*  
*pit. 22. v. 1.*

16 Quinimo, nec Astyagis pater Cyaxares  
adipisci potuit annum decimumtertium Josiae;  
regnavit quippè Cyaxares annos triginta duos  
iuxta Eusebium, ut prælibavi *Sect. 5. num. 8. ad-*  
*de*

de ergo annos triginta octo regni filij eius Astyagis, fientque anni septuaginta; At à decimo tertio Josię vsque ad devictum Astyagem à Cyro fluxere anni octoginta sex, id est ab Olympiadis XXXIII. anno secundo vsque ad LV. Olympiadis annum primum, terminis non computatis: igitur Cyaxares non potuit attingere annum tertium decimum regni Josiae; igitur nequit eo Josiae anno vna cum filio Astyage Niniven expugnare Cyaxares.

17 Deinde, si Cyaxares socium iam regni sui adsciverat filium suum Astyagem, opus est dicere, quod illud prælium adversus Assyrios, haud inivit initio sui regni, sed ad finem potius, & quando præ senectute gravatus, regni curas cum filio dividere decrevit: vnde cum ab initio regni Astyagis vsque ad Josiae annum quartū decimū inveniatur ut minimum quadraginta octo anni, stare nequit, quod victoria Cyaxaris, quam de Assyris reportavit, in extremis sui regni annis, id est anno illius trigesimo tertio, vt inquit P. Titinus, ad annum tertium decimum Josiae referenda veniat. Dicendum igitur, Nabuchodonosorem, qui in libro *Tobiae*, *capit. 14.* iuxta Editionem Septuaginta, Niniven expugnavit, non fuisse Magnum Nabuchodonosorem, sed eius patrem Nabuchodonosorem seniorem, nuncupatum quoque Nabul-Assarem.

18 Coeterum verisimile non est, quod Nabul-Assar iunctis viribus cum Cyaxare, aliove Medorum Rege, Niniven occupasset; Babylonij quippe, ac Medi hostes erant; ut pater in Arphaxado, seu Deioce, & Nabuchodonosore, seu Merodacho, ex lib. *Judith*, capit. 1. Nec textus Græcus cogit nos asserere, Niniven ab utroque simul Rege fuisse expugnatam; siquidem tantum in eo dicitur, Tobiam iuniorem audisse perditionem Ninive, quam captivavit Nabuchodonosor, & Assuerus: sed non asseritur ab utroque simul Rege fuisse occupatam; ideoque ad id verificandum satis est, ut seorsim ab uno quoque capta sit, prius tamen ab altero, Afluero nimirum.

19 Ille autem Assuerus, ut congruentius apparet, fuit Phraortes, Cyaxaris pater, quem Phraortem, Herodotus, lib. 1. inquit, adversus Assyrios expeditione sumpta, secundo & vice-simo Regni sui anno, cum magna exercitus sui parte perisse. Adhaerentque huic placito P. Petavius, de Doctr. temp. lib. 16. capit. 3. Salianus, tom. 4. Anno Mund. 3377. num. 9. Vel forte ex ipso Herodoto potius dicendum, devicto, & extinto Phraorte, Cyaxarem, tentata primum eadem Nini vrbe, supervenientibus repente Scythis, obsisionem solvisse.

20 Deinde Nabul-Assar, anno secundo, aut ter-

tio regni, post patris sui obitum, Niniven expugnavit, & sibi devicit; qui annus concurrit cum decimo quinto, vel decimo sexto Josiae Regis Judæ, ultra quod tempus Junioris Tobiae vita non extenditur, ut dixi *hac Sect. 2. num. 3.* Et de hac Ninives eversione intelligendus videtur Tobias senior dum dixit: *Prope erit interitus Ninive: de eademque Regiae huius vastatione gavisum fuisse iuniorem Tobiam intelligimus, iuxta id quod in editione Septuaginta habetur, nempe, gavisus est antequam moreretur super Ninive.*

21 Nec huic positioni officit, Niniven perstisset multis deinceps annis, nimirum usque ad magni Nabuchodonosoris vigesimum quartum; quoniam gravissimis calamitatibus, citra excisionem direpta fuit, quando à Phraorte, & deinde à seniore Nabuchodonosore obsessa est, & ager illius ipse populatus, vastatus; nihilque amplius tam in Græco, quam in latino Tobiae textu significatur, annotante P. Petavio, *de Doctrina tempor. lib: 10. cap. 3. fine.* Satis enim magna calamitas urbibus accidit, cum in eas armatus hostis irrumpens, ferro, & incendio incives, ac tecta grassatur, & ad hostium potestatem illi transferuntur, idque Ninive ab exercitu victoris senioris Nabuchodonosoris perpessa est.

22 At denique eidem Regiae Assyriorum ruina, totaleque excidium à Magno Nabuchodonosore obvenit, anno regni illius vigesimo quarto, & Imperij eiusdem primo; causa huiusc clavis non constat, sed meritò suspicati possumus, fuisse defectionem ad Medos; erat enim Ninive Chaldæis, & Medis optabilis valde ad Imperij sedem, quam utriusque ambiebant, & utriusque deinceps obtinuerunt; subinde postquam senior Nabuchodonosor sibi Niniven subdidit, Cyaxares Medorum rex illam occupavit; sed Magnus Nabuchodonosor, Medis subactis, Niniven toties perfidam, totiesque subactam delevit, & quidquid in ea eximum fuit, Babylonem translulit, cum reliquis totius orientis opibus, ut esset totius imperij sui sedes, & mox gloriabundus diceret, ut habetur *Daniel.* cap. 4. v. 29. *Nonne bæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.*

23 Funditus autem sic fuit a magno Nabuchodonosore eyetsa Ninive, ut nulla deinceps eius fiat mentio in sacris literis, aut profanis; id quod observavit sua ingenti eruditione P. Salianus *Anno Mund. 3452. num. 5.* Si quid enim in ruinis postea ob loci opportunitatem, ædificatum est, non ultra vel nomen, vel commendationem Ninives habuit.

24 Portò autem præfatum Ninives excidium ad regni annum Magni Nabuchodonosoris vigesimum quartum, primumque ipsius imperij, præter laedatos *hac Dissert. Sect. 2. numer. 7.* referunt P. Cornelius à Lapide, *Comment. in Nahum, cap. 2. v. 1.* ac Torniellus, *Anno Mund. 3452. Videsis quæ dicit. Sect. 1. num. 6.* & 7. exaravimus. Vaticinatique fuerunt hunc Ninives occasum Sophonias *capit. 2. v. 15.* & Nahum, *cap. 1. 2.* & 3.

25 Ex dictis igitur, conspicere, proclive erit, ut stare queat, in Ninive regnasse Merodachum, qui Nabuchodonosor in *lib. Judith. cap. 1.* & 2. nuncupatur, & Babyloniorum fuit Rex; post multosque annos, eandem Niniven, toties rebellem, à Babylonij defecisse, ac tandem à Magno Nabuchodonosore expugnatam, solo aquatam, & penitus excissam fuisse.

## SECTIO OCTAVA.

### ALIA DISIICIUNTUR ARGUMENTA.

I O ppones quartò, pro opinione ad tempus post septuagenariam Babyloniam captivitatem, referendam Juditham, statuente Achior dux omnium filiorum Ammon, *Judith capit. 5. v. 22.* & 23.  
O 4 sci-

sciscitanti Holoferni de Israëlitarum Populo, illi bellum intentanti, in hunc modum inter alia elocutus fuit : *Ante hos annos, cum recessissent à via quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt prelijs à multis nationibus, & plurimi eorum captivi abduicti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hęc omnia, & iterum possident Jerusalem, ubi sunt sancta eorum.* Sic ibi: *Imo ex textu Græco in cod. cap. 5. Judith, habetur, Templum eversum fuisse, & Civitates captas, quando dispersi fuerunt Iudæi: Bellum igitur istud ab Holoferne initium contra Iudæos, & Judithæ victoria non ad Manassis Regnum, sed ad tempus post Babyloniam captivitatem, ac liberationem Iudæorum adscribi debet.*

**2** Respondetur primò ex Genebrardo, *lib. 2. Chron. pag. 238.* non necesse esse, Achiorēm alienigenam, nondumque religione initiatum, res Iudæorum perfectè tenuisse, aut fideliter recitasse. Eidem solutioni sufragatur P. Jacobus Gordonius, *tom. 1. Chronologiae, capit. 10. ad Periodum 5. sub finem,* in idque ex eo adducitur, quod sacrae Scriptor Historiæ non affirmat, omnia protinus ita se habere, ut narrat Achior; ex exemplo confulcit optimo; fide quidem certum est,

est, ea dicta esse à Gabaonitis, quæ narrat Author libri Job c. 9. at verò omnia vera fuisse, quis affirmabit? & plenæ sunt Scripturæ huiusmodi exemplis, ex preclaro D. Augustini testimonio lib. contra Pricill. & Orig. cap. 9. concinunt P. Gaspar Sanchez in capit. 4. Job, ¶. 2. Linæus, tract. 10. de Locis, cap. 6. num. 28.

3 Sic etiam amici Job, quanquam viri aliqui pīj, & boni, ut existimant Origenes lib. 3. in Job initio. Olympiodorus in Praef. catenæ. D. Gregorius, in Praef. cap. 5. P. Pineda, tom. 1. in Job, cap. 2. ¶. 11. tamen falsa, & de Providentia divina, & de vita & moribus Job locuti sunt, pro eo ac docent. D. Gregorius loco citato. Naziancenus in Orat. de Laud. Athanasij, P. Pineda to. 1. cap. 4. adnot. prævia num. 8. Azor, tom. 1. lib. 8. cap. 1. fine. Aliaque adducit exempla Payva in Doctrinali, lib. 3. cap. 28. pag. mibi 423. ¶. 26.

4 Resp. secùdò, Achioris verba, nam & ante hos annos, &c. referenda esse, partim ad captivitatem decem tribuum, quæ anno sexto Ezechiae contigit; partim ad tempora Regis Achaz, quæ facile meminisse potuit Ammonita Achior; Achaz enim regnante, Rex Syriæ, ut habetur lib. 2. Paralip. capit. 28. ¶. 5. percussit Judam, magnamque prædam coepit de imperio Achaz, & adduxit in Damascum, manibus quoque Regis Israel traditus est, & percussus plaga grandi, oc-

218 *Sacra Chronologica dissert. tertia decima.*  
cisis centum viginti millibus bellatorum in uno  
die, & ducentis millibus, puerorum, puellarum,  
& mulierum in captivitatem abductis, ut habe-  
tur *dic. cap. 18. v. 6. 8. 17. O 18.* Supervene-  
runt etiam Idumæi, Et percusserunt multos ex  
Juda, & cœperunt prædam magnam: Philistijm  
quoque diffusi sunt per urbes campestres, & cœ-  
perunt eos. *Ibidem v. 20.* Teglath Phalasar Rex  
Assyriorum, qui ab Achaz in auxilium vocatus  
fuerat afflixit Judam, & nullo resistente vastavit.  
Denique Sennacherib regnum penè universum,  
excepta Hierosolyma, populatus, plurimas Ci-  
vitates munitas vi cœpit, anno quarto decimo  
Regis Ezechiæ, *lib. 4. Reg. cap. 18. v. 13.*

5 Quapropter haud necesse est, ad Judi-  
cum tempora, aut Regum initia recurrere; vt  
congruum existimavit P. Seratius *quest. unica in*  
*cap. 5. Judith.* Id tamen ægrè permettere viden-  
tur illa Scripturæ verba, quæ in Vulgato textu  
legimus: *Nam O ante hos annos, O.* quæ po-  
potius retinenda, licet in Græca lectione, univer-  
saliter dicatur: *Quando autem recesserunt à via,*  
*O.* Demonstrativum quippè illud, *hos, eos tan-*  
*tum annos innuit, quos quis experientia sua*  
*comprehendere, & quasi demonstrare queat,*  
*non autem qui à quinque, pluribusve seculis*  
*antecesserunt; tempora igitur Achaz, Ezechiæ,*  
*& primos Manassis annos quam optimè Achiot*  
*adipisci potuit.*

Nec

6 Nec maioris momenti est, quod in textū Græco auditur, etiam Templum esse solo æquatum, quando dispersi sunt Judæi. Nam illa verba, ut animadvertisit Cardinalis Bellarminus, supposita videntur; quandoquidem S. Hieronymus, qui fidelissimè transtulit hunc librum ex Chaldæo sermone in Latinum, nihil de everfione Templi in sua editione, nostra scilicet Vulgata, posuit; & fortasse inquit Bellarminus ista additio Græci textus in causa fuit, cur tot gravissimi Auctores, Eusebius, Augustinus, Sulpitius, Beda in hac historia suo tempore colloquenda aliter senserunt.

7 Additque P. Serarius loco nuper citato, quod Græcum textum mendosum sæpius deprehendamus. Quod ad calamitatem istam exaggerandam, coram Holoferne, homine profano, & belli duce irato, ab homine prudente multo magis iniecta mentio fuisset regiae Urbis, non captæ modo, sed & inflamatæ, dirutæ, soloque penitus æquatæ, lib. 4. Reg. capit. 25. ¶ 9. & 10. lib. 2. Paralip. ¶ 19. si de captivitate Babylonica illi sermo esset.

8 Si supposita tamen ea verba admittantur, exponi possunt de ingenti illa Templi vastatione, seu profanatione, quam fecerat Manasses, nam lib. 4. Reg. cap. 21. ¶ 4. extruxit aras (Baal) in domo Domini, de qua dixit Dominus: in

*Ferusalem ponam nomen meum. Et extruxit aras  
universæ militiæ Cœli in duobus atrijs templi Do-  
mini. Posuit quoque, ¶. 7. idolum luci, quem fe-  
cerat in templo Domini, super quo locutus est Do-  
minus ad David, ¶ ad Salomonem, filium eius: in  
templo hoc, ¶ in Ierusalem, quam elegi, de cunctis  
tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiter-  
num, consimilia habentur in lib. 2. Paralip. ca-  
pit. 33. ¶. 4. 5. ¶ 7.*

9 *Unde, quod in Græco textu de Templo  
dicitur, fieri in pavimentum, exponi potest, non  
de everione, sed de profanatione; præterquam  
quod aliquas Templi partes dirutas fuisse, quas  
Manassæ nepos piissimus Josias deinde restau-  
raverit, liquidum est ex lib. 2. Paralip. capit. 34.  
¶. 10. ¶ 11.*

10 *Oppones quintò: Holofernes, ut asseri-  
tur in lib. Judith, cap. 5. ¶. 2. ¶ seqq. Vocavit  
omnes Principes Moab, ¶ Duces Ammon, ¶ di-  
xit eis: Dicite mihi, quis sit populus iste, qui mon-  
tana obsidet: aut quæ, ¶ quales, ¶ quantæ sînt  
civitates eorum; quæ etiam sit virtus eorum, aut  
quæ sit multitudo eorum: vel quis rex militiæ illo-  
rum, ¶ quare præ omnibus, qui habitant in orien-  
te, isti contempserunt nos, ¶ non exierunt ob-  
viam nobis, ut susciperent nos cum pace? Porro  
autem interrogaciones istæ evincere videntur,  
Judithæ historiam ad tempus Manassis refecti  
non*

non posse; nam cum Manasses paulo ante, & primis sui regni annis captus à Rege Chaldaeorum, in Babylonem deportatus fuisset, nec populum illum, nec Regem Judæorum Holofernes, aut Chaldaeī ignorare potuissent. Sic arguit Uvittakerus ut Sacrum, & Canonicum Judith librum omnino rejciat.

11 Respondetur tamen haud difficulter, illas Holofernē interrogationes non esse omnino ignorantis, & de quibus nihil vñquam audivisset, exquirētis; sed esse interrogationes militis, quia præter ipsius opinionem, & voluntatem, ipsi tantas copias ductanti, suisque viribus præfidenti resistere quidam audeant, mirantis, irascentis, hostes vilipendentis, & contemnentis, quasi diceret. Quid istuc novi? Tam instructas, tamque innumerabiles copias cum habeam, tot iam urbes, Provincias, Populos, fulminis instar, quam occissimè pervaaserim, omnes vel solo Asyrii nominis terrore perculerim, dicite obsecro, quis iste tam stolidus, tamque ineptus, & vecors populus, qui, me ut arceat, montana obsidet, arma parate, meque contra tueri audet? Quæ, quales, & quantæ ipsorum, etiam si essent ijs, quas iam diripiūimus, maiores, & munitiores, Civitates? Quæ tanta eorum virtus? Quæ, contra tot peditum, equitumque myriadas, eorum multitudō? Quis rex

222 *Sacra Chronologica dissert. tertia decima.*  
militiae illorum, suæ ipsius imbecillitatis, & for-  
tunæ tam immemor, cum nuper adhuc captus,  
& è carceribus, catenisque nostris vix pridem  
efugerit?

12 Haud dissimiles in sacris literis reperi-  
re est interrogations, plenas nempe fastu, &  
aliorum contemptu. *Quis, (aiebat Pharao Exo-  
di, cap. 5. v. 2.) est Dominus, ut audiam vocem  
eius?* Et lib. 4. Reg. cap. 18. v. 34. dixit Rapsa-  
ces: *Ubi est Deus Emath, & Arphad? Ubi est Deus  
Sepharvaim, Ana, & Ava, Numquid liberave-  
runt Samariam de manu mea? Quinam illi sunt in  
universis dijs terrarum?*

13 Postremò, ut ponderat P. Serarius; ni-  
mium imperitus Holofernes fuisset, si propriè,  
ac verè, quænam ista Israelitica gens, & quæ re-  
gio esset, contra quam agmina tanta duceret,  
ignoraret. Præsertim cum in hac ipsa regione,  
ac gente, recentissima essent Assyriorum tro-  
phæa Phulis, Theglath-Phalassaris, & Salma-  
nasaris; etiam si Manassæ captivitas nulla fuis-  
set, de qua constat *Paralip. lib. 2. cap. 33. v. 11.*  
Historiæ ergo huius vel tempori, vel auctorita-  
ti protus nihil officit Holoferniana arrogans,  
& fastuosa interrogatio.

14 Oppones sextò: Si hæc historia ad Ma-  
nassis tempus referenda esset, profectò huius  
regis mentio fieret in libro Judith, præsertim  
in

in preparatione illa ad bellum, quæ ibi narratur; at secus evenit: haud congruè igitur ad Manassis tempus Juditham refertimus.

15 Respondetur primò, in libro Judith, taceri regem, quia bellum ipsum non accesit ad Urbem Jerusalem in qua Rex erat; & quia recens erat de captivitate reversus, ut intentius vacaret Deo, per Pontificem, qui eo absente regebat Rempublicam, rem confidere consultus duxit: fayentque huic solutioni Card. Bellarminus, P. Serarius in *Judith. cap. 4. quest. 2.* Et Sallianus, *Anno Mund. 3345. num. 2.*

16 Resp. secundò, Manassem consciū promissionis suæ, factæ Regi Merodacho, cum ad sua redire permisus est, nullo modo sese huic bello immiscere voluisse; id enim solet in ancipitibus eventis à principib⁹ factitari, ut ea permittant à sibi subditis fieri, quæ si prosperè eveniant, approbent; sin secus, graviter reprehendant, seque inscijs suscepta fuisse, serio profitantur. Tum quia timebat, non ita hoc bello conterendas Chaldaeorum vires, quin resumptis animis, Judæos debellare possent. Sic P. Sallianus, loco nuper citato.

17 His ergo de causis nulla in lib. *Judith*, Manassis, tunc regnantis, fit mentio, sed tantum Summi Pontificis, & Populi, ac Senatus, nam in *cap. 4. v. 7.* sic habetur. *Et fenerunt filij Israel*

secundum quod constituerat eis Sacerdos Domini Eliachim; & in versione septuaginta: Fecerunt filii Israel secundum ea, que præscriperat ipsis Joachim Sacerdos Magnus, & Senatus totius Populi Israel, qui sedebant in Ierusalem. Meminit quoque eadem versio Senatus infra capit. 11. ¶. 12. cap. 12. ¶. 9. de Rege nihil usquam.

18 Manasses igitur Senatui, & præcipue Eliachimo Pontifici reliquit gubernationem, quod semper quidem maxima Summorum Sacerdotum, apud Judeos, auctoritas fuerit, ut constat ex lib. 4. Regum, cap. 11. per totum. Tum ex Josepho lib. 2. contra Apionem, aiente: Iudaice Reipublice constitutio communiter Sacerdotibus, ut maxima quæque administrent, committit. Omnia verò Pontifici, aliorum rursus Sacerdotum principatum demandat. Et quidem in id, Manassæo tempore, contulit Eliachimi ingens sanctitas, sapientia, rerumque gerendarum industria, & felicitas universo Populo perspectissima, ut subducitur ex lib. 4. Reg. capit. 18. ¶. 18. 26. & 37. Cap. 19. ¶. 2. Alia in eundem scopum congerit, & observat P. Serarius Comment. in Judith. cap. 4. quæst. 2.

19 Oppones septimò: In hoc lib. Judith. cap. 1. ¶. 11. asseritur, quod cum Nabuchodonosor, seu Merodach misisset nuncios in Iudeam, ut sibi omnes incolæ, & Civitates subijcerentur,

*enō animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abiecerunt. Sed omnem superat fidem, quod ita factum fuisset, si tunc temporis, in Jerusalem aderat Judææ Rex Manasses; ille siquidem captus ab Assyriorum exercitu, vincitusque catenis atque compedibus, duximus in Babylonem, ac coangustatus, postquam pœnituit, oravitque ad Dominum, & beneficentia Dei, & Merodachi Babyloniorum, Assyriorumque Regis, Jerusalem in Regnum suum reductus fuit; iuxta id quod habetur lib. 2. Paralip. cap. 33. ¶ 11. & 12. quoniam si Manasses Babyloniorum potentiam, & clementiam in se capiendo, & dimittendo fuisset expertus, nullatenus legatos illius contumeliosè dimisisset: igitur Judithæ historia ad hoc Manassis tempus attinere haud potest.*

**20** Respondetur cum P. Gretsero *in defens. Card. Bellarmini, lib. I. cap. 12.* Mirum non esse, si Judæi legatos Regis Nabuchodonosoris sine honore domum remiserint, libertatis amore incitati. Crediderunt quippè, se tam Dei presidio, cuius beneficio Regem suum, ab impietate conversum, præter spem omnem receperissent, quam suis quoque viribus satis valentes fore, Chalæorum furori deprimendo.

**21** Aliter P. Salianus inquit, non absurdè intelligi posse verba illa *Judith, cap. I. ¶ 11.* Qui

omnes uno animo contradixerunt, &c. ita ut non  
 æque ad omnes eos populos ad quos Holofer-  
 nes legatos miserat, pertineant; sed alios asper-  
 tius, alios mollius, fuisse locutos: Judæos autem  
 beneficio, quod ab hoste sperari poterat, affec-  
 tos, nihil ferocius, vel insolentius egisse. Cæ-  
 terum huic expositioni non adhæreo; quoniam  
 sacer textus vniuersè afferit, quod omnes uno  
 animo contradixerunt, & sine honore abiece-  
 runt Holofernis nuncios.

22. Ex dictis colligitur, Manassem in Reg-  
 num suum fuisse iam restitutum, quando Holo-  
 fernes Judæam bello perire, & à Juditha strenue  
 devictos, & interfectos; quoniam cum ab illa  
 sacræ huiuscē Heroinæ victoria usque ad ipsius  
 obitum, & pluribus deinceps annis, non fuerit,  
 qui perturbaret Israel, ut proditur *Judith*, cap.  
 ult. v. 30. profectò conficitur, quod tunctem-  
 potis Manasses iam fuerat postliminio revertitus;  
 pro eo ac docent Cardinalis Bellarminus. lib. I.  
*de Verb. Dei*, cap. 12. P. Serarius in cap. I. *Judith*.  
*quæst. 2. prop. 4.* Et cap. 4. *quæst. 2. initio.* Gretie-  
 rus in defensione Bellarm. dict. cap. 12. Saliatus,  
*Anno Mund. 3345. præcipue num. 17.* id ipsum  
 que tradidimus hac Dissert. *Sect. 3. num. 1.* O se-  
 quentibus.

23. Confulcitur autem hæc positio, quia ut  
 optimè P. Salianus perpendit, si in vinculis ad-  
 huic

huc fuisset Manasses cum suis, Jūdæi utique se  
gessissent alitèt erga nuncios Nabuchodonosor-  
is, neque eos vacuos, sicut & cæteri, & sine  
honore abiecerent. Misissent ipsi quoque in  
primis legatos suos, qui rogarent, quæ pacis  
sunt. Venique neque ipsum Holofernem per  
fraudem interficeret, neque omnes eius copias  
hostiliter toto suo Regno cedere, ausi fuissent,  
qui intelligere possent, hæc omnia in caput Re-  
gis sui, & sociorum eius recasura, ut pariter ob-  
servat Card. Bellarminus.

24 Cum vero haud ægrè ex sacro colligatur  
eloquio, non diuturnam fuisse Manassis capti-  
vitatem, iuxta id quod de illo traditur lib. 2. Pa-  
ralip. cap. 33. v. 12. hisce verbis: *Qui postquam  
coangustatus est, oravit Dominum Deum suum,* &  
*egit pœnitentiam valde coram Deo patrum sub-  
rum. Deprecatusque est eum,* & obsecravit intentè  
*& exaudiuit orationem eius, reduxitque eum in*  
*Jerusalem in Regnum suum* & cognovit Manas-  
ses, quod Dominus ipse esset Deus; nec enim mul-  
tum temporis necessarium fociat Regi ad an-  
gustias carceris, & ferri pondera sentienda, &  
vexatio daret intellectum; ac propterea non  
multum otare distulit, illud etiam consequens  
est, ut exauditio quoque, & liberatio prompta  
fuerit, iuxta benignitatem, & consuetudinem  
Domini, ut patet in humillatione Achab, lib. 3.

328 *Sacra Chronologica dissert. tertiadesima.*

*Reg. cap. 21. v. 29. & in lachrymosa oratione  
Ezechiæ, lib. 4. Reg. cap. cap. 20. v. 29. Et Davi-  
dis, lib. 2. Reg. cap. 12. v. 13.*

25 Congruit lectio septuaginta, in lib. Ju-  
dith. cap. 4. ubi causa, cur ab Holoferne adeo  
Judæi trepidarent, hæc assertur, v. 3. *Quia re-  
cens de capiuitate ascenderant, nempè Manasses,  
pluresque alij Regni Judæ, prælertim nobiles,  
ac principes, ut adnotant P. Gretterus in defens.  
Bellarm. Et Scratius cap. 4. Judith. que st. 2.*

26 Subinde, estò Manassis captivitatem,  
ad ipsius regni annum vigesimum secundum re-  
ferant Chronicum Hebraorum, cap. 4. Genebrat-  
dus in Chronico, P. Gordonus tom. 1. Chronolog.  
cap. 10. nam. 36. Et Rabbi kimi, referente Ge-  
nebrardo, ad annum quadragesimum Manassis  
impietatem productam afferat, & consequenter,  
eodem anno abductum esse captivum in Baby-  
lonem cum idolo Michæ existinet, quam opini-  
onem sequi videtur noster Pradus in capit. 4.  
*Ezechielis*, ubi dat decem annos captivitati Ma-  
nassis, Torniellus vero *Anno quintæ Etatis 330.*  
illam regis cladem anno circiter decimo quinto  
adscribat. Nihilominus dicendum videtur, non  
posse captivitatem Manassis ultra eius annum  
septimum differri; quoniam necesse est redditum  
Manassis è Babylone prius contigisse, quam  
cædem Holofernus ex prælibatis num. 23. seq.  
At-

27 Atqui cæsus est Holofernes decimo tertio imperij anno Nabuchodonosoris , sive Merodachi , ut ex *Judith, cap. 2.* diximus hoc *Dissert.* *Sect. 4. num. 9.* & 10. idem autem annus fuit Manassis nonus , duodecimo autem Merodachi , seu Nabuchodonosoris , qui est Manassis octavus , vicitus est Arphaxad , *Judith, cap. 1.* ¶ 5. oportet ergo , undecimo Babylonici imperij anno , captum , captivatumque fuisse Manassem , ut tempori sit locus , & ante cædem Holofernis , regno suo restitui posset .

28 Judithæ igitur de Holoferne , eiusque exercitu victoria contigit Anno Mundi 3346. Quintæ Ætatis 407. Fundati Templi 324. Manassis Regis Judæ 9. Eliachimi Pontificis 3. Merodachi 23. Imperij Babylonici 13. Olympiadis XVIII. anno 1. Numæ Pompilij 7. Urbis conditæ 45. Anno ante Christum natum 707.

29 Has temporis notas consignat P. Jacobus Salianus , *Annalium , tom. 4.* Anno Mundi prædicto ; & quam libenter huic præclaro , & eruditissimo Authori adhæresco , quia ipse Sacrae Scripturæ , Patribus , Ecclesiasticis , ac profanis Chronologis inhærens scientissimè , & prudenter temporis rationem diducit .

30 Materia , & scopus libri Judith , est victoria Illustrissimæ huiusc Heroinæ de potentissimq tyranno Assyrio : Tropologicè autem

victoria piaæ animæ de diabolō , mundo , carne ,  
& omni viuorā colluviæ , ut annotant Rabanus , & Glossa . Allegoricè , triumphus Beatissimæ Virginis Mariæ de capite serpentis infernalis , inquit Fulbertus Carnotensis , & P. Canisius Mariani operis , lib. 1. cap. 2.

## SACRA CHRONOLOGICA, DISSERTATIO QUARTADECIMA.

*DE HEBDOMADIBUS DANIELIS , ET  
earum initio , ac fine , pro expositione huius Sanc-*  
*tissimi Vatis . cap. 9. v. 24. 25. 26. ¶ 27.*

**E**PTUAGINTA hebdomades (inquit Danieli Gabriei) abreviatæ sunt super Populum tuum , & super Urem sanctam tuam , ut consumetur prævaricatio , & finem accipiat peccatum ; & deleatur iniquitas . & adducatur Justitia sempiterna , & impleatur visio , & prophetia , & vngatur Sanctus Sanctorum . Scito ergo , & azimalverte : Ab exitu sermonis , ut adficietur Ierusalem , usque ad Christum Ducent hebdomades septem , & hebdomada sexaginta due erunt , & rursum adficiabitur platea , & muri in angustia temporum , & post hebdomades

sexa-

sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius Populus, qui eum negaturus est, & Civitatem, & sanctuarium dissipabit Populus cum duce venturo, & scias eius vastitas, & post finem bellorum statuta desolatio. Confirmabit autem pacatum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deserviet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominationis desolationis: & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.

2. Celeberrima igitur, & multiplex ex hoc calico vaticinio consurgit disquisitio, dignitate, difficultateque præstantissima, & præcipue commendabilis; quoniam eo divino eloquio illustre conficitur argumentum ad Incarnationis Dominicæ stabiliendam existentiam, peractumque ostenditur hoc Mysterium; id quod non qualemunque assertum Fidei christianæ est, sed huiusmodi, quo veluti firmissimo fundamento ntititur tota christiana Religio.

3. Prædicta autem Angeli Gabrielis verba explanans D. Hieronimus, tam obscura, inquit, est visio hæc de septuaginta hebdomadis, ut Daniel, tantus Propheta magisterio, & doctrina Gabrielis indigeret, ad eam intelligendam. Si igitur Gabriel exuscitat animum Danielis, iubetque diligentè audire, & animadvertere, quæ de mysterio hebdomadum ipse breviter explicare solebat; quid nos facere oportet, qui nec divinum Propheticæ lumen habemus, quod tamen Daniel abundat. & trebris

232 *Sacra Chronologic.dissert.quarta decima.*  
in scientiae vitiorumque caligine opressi, & obsecuti  
sumus sic tantus Doctor. Igitur sicut apud an-  
tiquos, ut proverbium dicebatur, esse quidpiam  
obscurius numero Platonico, ita sanè dici pos-  
set, esse difficilius hebdomadibus Danielis, ut in-  
quit Pererius.

## SECTIO PRIMA.

*QUID HEBDOMADIS NOMINE IN  
nostro textu intelligendum veniat?*

*Disquiritur præcipue, sint ne hebdomades anno-  
rum? Et quot annos unaquaque com-  
pletatur.*

13 **Q**UAM variè in sacris præsertim li-  
teris sumatur vocabulum hebdo-  
madis, eruditè docet Venerabilis  
Beda lib. de Ratione temporum, capit. 6. 7. & 8.  
Sed in præsens satis erit monerè Lectorem, hanc  
vocem esse græcam, & latinè significare septe-  
narium præcisè; cum adiunctione autem vel  
dierum, annorum, vel aliarum quarumlibet re-  
rum significare earum ipsarum rerum septena-  
rium: et si iam vsu receptum sit, ut etiam, dum  
præcisè dicitur hebdomada, intelligatur die-  
rum; ut autem hebdomada præcisè iuncta in-  
telligatur annorum, nisi hoc uno in loco Da-  
nie-

nielis, nusquam alibi reperitur in sacris litteris: quoniam igitur Daniel præcisè dixit septuaginta hebdomades, propterea locum dedit, varias hebdomadarum earum interpretationes ex cogitandi.

4 Nicolaus de Lira *super hoc 9. cap. & Petrus Galatinus lib. 4. de Arcanis catholicae veritatis*, nec non alij Scriptores, memorant primam opinionem quorumdam Rabinorum, quorum aliqui faciebant has hebdomadas Jubilæorum; alij vero centenariorum: Jubilæus erat tempus quinquaginta annorum, quarè unaquaque hebdomada iubilæorum constat tercentis quinquaginta annis, & omnes septuaginta hebdomades continent viginti quatuor millia quingentos annos; at vero una hebdomada centenariorum continet septingentos annos; septuaginta autem hebdomades, annos quadraginta novem millia.

5 Secundò, Origenes *tractatu 29. in Matthæum*, vbi de his hebdomadibus verba facit, eas interpretatur non dierum, nec annorum, sed decenniorum, ita ut quæque hebdomada constet septuaginta annis, & tempus septuaginta hebdomadarum contineat quatuor millia non gentos annos, quorum initium ab ipsa mundi creatione desumpsit Origenes, ut hebdomadarum finem inveniret, itaque discederet à Rabinorum errore.

6 Tertio, Eusebius lib. 8. de Demonstra-  
tione Evangelica, in disputatione de septua-  
ginta hebdomadibus, cum in 3. sua expositione, prior-  
es sexaginta novem hebdomadas fecisset sin-  
gulas septem annorum, extremam fecit de-  
cenniorum, usque ad septuaginta annos eam  
extendens.

7 Harum tamen interpretationum facilis  
est refutatio; quoniam ut inter alios obseruat P.  
Petetius in Daniel. lib. 10. ad illa verba capit. 9.  
*Septuaginta hebdomades*, nusquam invenitur in  
sacris literis vocabulum istud hebdomadis  
poni pro septenario, vel decenniorum, vel  
Jubilæorum, vel centeniorum: voluntariè  
igitur conficta est ea hebdomadæ acceptio.  
Deinde, quia si hæc licentia conceditur, nihil  
certi continere potest hæc Prophetia: poterit  
enim unusquisque arbitrio suo facere hebdo-  
madas septingentorum, vel septem millium an-  
norum, ut convinci non possit, eas esse comple-  
tas: quapropter secundum eos, qui has hebdo-  
madas fecere decenniorum, ad illas comple-  
das, etiam nunc restarent anni ultra duo millia,  
& quingenti, longeque plus deficerent, si Jubi-  
læorum, & centeniorum essent hebdomadæ.

8 At vero finitas esse iam pridem hebdo-  
madas Danielis, ex eo patet, quod, quæ Gabriel  
predixit eventura ad finem harum hebdomada-  
rum, videlicet cessatura Iudeorum sacrificia,

desolandam vibem, & templum, sine villa refec-  
tionis, & reparationis eorum spe, denique ip-  
sos Judæos calamitatem, miseramque servitu-  
tem perpetuò ducturos; hæc, inquam, evene-  
runt, & completa sunt ex eo tempore, quo Ju-  
dæi à Tito Romanorum Imperatore debellati,  
& Jerosolyma capta, incensa, dirutaque sunt.  
Hæc summatim nunc præstricta, in fine disser-  
tationis fusori calamo exponentur.

9 Fit ergo liquidum, ut has hebdomadas  
vel dierum, vel annorum intelligi, necesse sit. Si-  
quidem in scriptura nomen hebdomadis ali-  
quando ponitur in diebus, & aliquando in an-  
nis: prioris exemplum cernere est in Levitico  
*cap. 23.* vbi à festo Paschæ usque ad festum Pen-  
tecostes numerantur septem hebdomades die-  
rum; Et *capit. 10. Danielis, v. 2. ¶ 3.* scribitur,  
hunc Prophetam ieunasse tres dierum hebdo-  
mades. Posterioris vero exemplum reperitur in  
*Levitico cap. 25. v. 8.* quo loco præcipit Deus  
numerari septem hebdomades annorum, & se-  
quenti anno, qui erat quinquagesimus, cele-  
brari Jubilæum.

10 Præterea hebdomades mensium, vel  
hebdomadarum nec inveniuntur unquam in  
scriptura, ut ex communi notat D. Eximius *to-*  
*ma. I. in 3. part. disp. 1. Sect. 2.* nec huic Daie-  
lis loco posset talis numerus accommodari: mul-  
tisque minus intelligi possunt hebdomades pre-  
ci-

cisè dierum, etenim septuaginta hebdomades non incladerent nisi quadringentos nonaginta dies, quo temporis spatio nihil contigit eorum, quæ prædictis Angelus intra septuaginta hebdomades eventura: quapropter necessariò concluditur, significari hoc loco hebdomades annorum, & sic denotari tempus quadringentorum, & nonaginta annorum.

**i i** Dicet aliquis, cur Angelus non clare dixit hebdomades annorum, sed præcisè dicens septuaginta hebdomades obscurum facit, atque intellectu difficilem suum sermonem? Respondeo cum P. Pererio lib. 10. in *Danielem*, quod in eo loquendi modo servavit Angelus morem Prophetarum consultò loquentium obscurè, in hoc enim differt sermo propheticus à sermone historico, quod hic vulgaris, & apertus est, ille certus, involutus, & à communi loquendi consuetudine, atque hominum intelligentia amitus. Sic, ut scribit Iteræus, omnis Prophetia, priusquam impletatur, ænigma est.

## SECTIO SECUNDA.

**ANNI HEBDOMADARUM , QUAS**  
*Daniel prædictis, sint nè solares aut lunares intelligendi?*

**i** Difficilis admodum est præsens disceptatio, quam elucidare conabitur. Præmittendumque est, id discriminis inter

ter annum lunarem, & solarem reperi, quod  
solatis annus continet dies trecentos sexaginta  
quinque cum quadrante: lunaris annus conti-  
net dies trecentos quinquaginta quatuor: est  
igitur hic annus undecim ferè diebus minor so-  
lari. Quapropter quadringenti nonaginta anni  
lunares, quot scilicet continentur in septua-  
ginta hebdomadibus, si hæ horum annorum lu-  
narum intelligantur, æquè valent, atque qua-  
dringenti septuaginta quinque solares: quin-  
decim ergo annis solaribus minor est periodus  
septuaginta hebdomadarum, si accipientur de  
solaribus annis, quam si de alijs solaribus eas  
septuaginta hebdomades interpretetur.

2 Prima sententia docet, hasce septuagin-  
ta hebdomades à Daniele prædictas de solarib-  
us annis esse intelligendas: ita Liranus in hoc  
9. cap. Danielis, Petrus Galatinus lib. 4. de Ar-  
canis, cap. 14. Driedo lib. 3. de Sacris Scripturis,  
cap. 5. §. 4. P. Salmeron tom. 1. Proleg. 43. Exi-  
mius Doct. tom. 1. in 3. part. disp. 1. Sect. 2. in  
eandemque opinionem propendet P. Cornelius  
in Danielem, cap. 9. licet illi non omnino adhæ-  
cat. P. Petavius lib. 12. de Doctr. temp. ap. 30.  
fine. Ricciolus, in Chronol. lib. 6. cap. 12. num. 3.  
Tirinus cap. 28. Chronicus id quod supponit po-  
tius, quam probet. Scaliger lib. 7. de Emendatio-  
ne temporum.

3 Secunda sententia asserit, de lunaribus annis exponendum esse hoc Danielis vaticinium, cui suffragantur D. Ambrosius lib. 4. Exameron cap. 4. in fine. D. Basilius hom. 6. Exameron, prope finem, ubi etiam apud antiquos Græcos huiusmodi anni usum fuisse affirmat: de annis præterea lunaribus explicant has hebdomadas Julius Africanus lib. 5. Annalium, ut adnotat D. Hieronimus super Danielē, quæm ibi secuntur sunt Rupertus lib. 1. cap. 5. Albertus Carthusianus, & alij plures Scriptores sacri, venerabilis Beda lib. de Ratione temporum, cap. 7. Et lib. 3. in Esdram cap. 16. Author Historie Scolastice in Danielē cap. 10. Torniellus in sexta etate anno 50. num. 7. Et anno 173. num. 4.

4 Insuper P. Petetius, lib. 10. in Daniel. Salian. Ann. Mund. 3596. num. 39. Et Ann. Mund. 3609. num. 7. Gordonus, cap. 15. num. 17. Et alij; utque Salianus notat, eaudem omnino consignant sententiam, si paucos excipias, quicunque anno viagesimo Artaxerxis hebdomades i. choant, & eas volunt sub. Christi morte esse terminatas, qui plures sunt, & clasici Scriptores infra notandi, & ut probabilem, & aquæ eligibilem hanc partem proponit Cornelius à Lapide in Danielē, valdeque probabilem esse dicit P. Henriquez, tom. 1. lib. 2. cap. 2. num. 8. in Glossa littera R. ipsamque laudat P. Tannerus, tom. 4. disp. 1. quest. 1. dub. 2. num. 33.

5. Postò ex his sententijs illa, vt reor, probabilior iudicanda, ad quam melior Chronologia magis quadrat: centeo igitur cum Authoribus secundæ sententiæ, septuaginta hebdomades apud Danielem de lunaribus annis esse exponendas. Moveor primo; quoniam negari non potest, Hebreos mensibus, & annis lunaribus usus fuisse: Gabriel autem loquens cum Danieli Hebreo, Propheta, & de re quæ ad Hebreum Populum maximè omnium perinseret, eorum more usurpare, ac numerare, hebdomades, & annos voluisse, existimandum est.

6. Sed è regione dices: dubitari non potest, quin Hebrei, & veteram solaris anni durationem cognoverint, & illo ad chronographias, & annorum rationes computandas usi fuerint. Nam primo: quotiescumque Scriptura numerat annos, v.g. Adam vixisse tol annis; vixisse Hebreos in Ægypto quatuorcentis triginta annis, vel in captivitate Babylonica septuaginta, sine vila controversia de annis solaribus intelligenda est, alioquin omnis annorum computatio, quæ in Scriptura est, dubiè corstarer.

7. Præterea certum est, Græcos, & Romanos annis solaribus usos fuisse. Græcos autem verè annis solaribus menturam dicisse ab Ægyptijs, dixit Strabo, lib: 17. sua Geographia, atque Ægyptios eamdem anni menturam habuiss-

Se refert Herodotus, lib. 2. suæ *Historiæ*; quippe ab initio, & credibile est, eam anni durationem recepisse ab Hebræis, à qui his *Astrologiæ*, & *Astrorum observationes* acceperunt, teste Josepho, lib. 1. *Antiquitatum*, cap. 18. Et Eusebio, lib. 1. de *Præparat.* cap. 4.

8 Adhæc, nisi Hebrœi vterentur annis solariibus, non possent suos dies festos, præsertim Pascha celebrare statutis temporibus; nam si tantum haberent rationem anni lunaris, cum ille sit plusquam undecim diebus minor solari, opportuisset singulis subsequentibus annis per roridem dies festivitatem Paschæ antevertere: unde necessariò aliquando fieret, ut vel non celebrent Pascha decimaquarta Luna post æquinoctium hyemale, vel certè non in mense primo Nisan, sed in quolibet alio.

9 Quo circà licet verum sit, ad celebranda nonnulla festa mobilia observasse Hebreos lunares annos, semper tamen illis curè fuit, revocare, & portigere lunarem annum per solarem, intercalando tertio, & interdum secundo quoque anno mensem unum, ut hoc modo numerus annorum lunarium numero annorum solarium responderet, ut docent Basilius, & Rupertus locis supra citatis: quapropter verosimilius videtur, Gabrielem Angelum de huiusmodi solaribus annis, & de hebdomadibus ex eis com-

positis esse locutum. Ita D. Eximius citata disp. 1  
Sect. 1. Et Cornelius in praesenti.

10 Cæterum his minime infingitur nostra probatio; quamvis enim contrarijs largiamur, Hebræos habuisse annos solaribus æquales per intercalationem dierum, ex eo non convincitur, in hoc speciali propheticō sermone consignatos esse annos solares, neutiquam verò lunares, inusitato apud plebem, & non vulgari more; quemadmodū nec hebdomadæ vulgares accipiuntur, sed mysticæ, & annorum: igitur non anni ystati, & vulgares, sed lunares sunt intelligendi.

11 Secundò, & præcipue; quoniam Hebræos usus fuisse mensibus, & annis lunaribus, aperte edocet Cardinalis Belarminus, lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 8. Et ex Genebrardo Torriellus, anno 81. Moysis, & Mundi 2544. n. 9. P. Salianus ad eundem Mundi annum, num. 93. & in scholio 7. eiusdem num. 93. vbi exactiori calamo intercalationes hascè, nec sexto quoque anno, ut nonnulli, nec etiam omnino tertiio quoque faciendas, adnotat.

12 Excessus quippe anni solaris super lunarem, quem fatemur solitos revocare Judæos ad perfectum Solis annum, excessus, inquam, ite est decem dierum viginti viii horarum, & ducentarum quatuor heladij, id est, minutia-

rum, quatum mille, & octoginta vnam horā confiant, qui excessus non potuit addi singulis annis sine magna confusione; potuit autem tertio ferè quoque anno, inferendo mensem vnum. Ille enim excessus ter sumptus explet mentem vnum, & relinquit insuper aliquid, quod in sequentes servetur annos; idem autem excessus septies insertus intra decem novem annos, puta tertio, sexto, octavo, undecimo, decimoquarto, decimoquinto, & decimonono, annos decem novem solares, & lunares perè aequales facit. Penè, inquam, quia tunc etiam exceditur lunatis vna hora, & 485. heladim; id quod ex singulis annis probari potest, qua de re præter Salianum loco citato videndi sunt illius. Abulensis in caput 23. Levitici, quæst. 19. P. Franciscus Ribera, lib. 5. de Templo, cap. 2. Cornelius in caput 12. Exodi, num. 1. Et lib. de Ratione temporis, cap. 43. Scaliger, lib. 6. de Emendatione temporum, de computo judaico, Mercator, cap. 1. Methodi.

13 Deplex ergo annus observatus fuit ab Hebreis; alias solaris, seu naturalis, alias vero popularis, seu civilis, qui lunaris erat: veterum autem Judæorum civilem annum fuisse lunarem omnes existimant, ut signanter adnotant P. Petavius, tom. 1. de Doctrina temporum, lib. 1. cap. 8. quinimo adhuc tempore hoc id obser-

vare recentes Judæos, inquit Petavius loco citato.

14 Unde quamvis anni solatis veram rationem agnoverint, & iuxta eam Pascha, & festa ab ipsis celebrarentur, ut inter alios notat P. Ribeira, in caput 2. Aggæi, num. 1. & sequentibus: cæteras tamen actiones iuxta lunarem annum retinebant, id quod & ipsi Adversarij fateri adiunguntur, dum intercalatione dierum, & mensum assertunt, lunarem annum redigi ad solarem, & cum illo æquari, alias ut quid exacto illo embolisino, opus esset ad æquationem lunaris anni cum solari? Et quicē si ab Hebreis Græci accepere anni rationem, vt nobis opponebatur, oportet sane, Hebræorum annum fuisse lunarem, cum iuxta P. Petavium, ex perantiquis Scriptoribus loquentem, adversus Scaligerum, dicto lib. 1. capit. 5. & 8. Græci solarem annum tenuissent.

15 Verum enim in verò, licet fateamur aut largiamur, nec Hebreos, nec vspianas sacras literas in descriptione temporum vti annis lunatis, dicimus tamen, Gabrielem hoc loco, quo factior, ac occultior sermo esset, prater loquendi communem consuetudinem in designando tempore adventus Mætis, non solarium, sed lunarium annorum computatione vti voluisse.

16 Nec mirum: multa Prophetæ præter

communem dicendi, & intelligendi morem, dixerunt, & scripsierunt. An cum Gabriel dixit *septuaginta hebdomades*, præcisè significans hebdomades annorum, non id novè, & inusitatè locutus est? Cum sit in communī usu loquendi positum, ut vocabulum hebdomadis, præcisè dīcū, nunquam de septenario annorum, sed fere de septenario dierum dicatur, & intelligatur?

17 Adhæc cum *Daniel cap. 4. ¶. 22.* dixit *septem tempora*, significans septem annos, & *capit. 3. ¶. 25.* dixit, *tempus, & tempora, & dimidium temporis*, tres annos, ac dimidium insinuans ex frequenti sensu, & doctrina Hieronymi, Theodoreti, Augustini libro 20. de *Civitate Dei, capit. 25.* Irenæi, lib. 5. capit. 30. Cyrilli, *catechesij 25.* Hypoliti de *Consumat. seculi*, & passim veterum, ac Recentiorum cum P. Pererio: indequè communiter docent, AntiChristum ut Monarcham regnaturum tres annos cum dimidio. Nonne inquam præter communem, atque usitatum sermonis, atque intelligentiæ rationem sic locutus est Propheta?

18 Multa sunt huiusc generis exempla in libris Prophetarum passim obvia: quapropter nemini mirandum accidat, si Gabriel hoc loco morem propheticum servans præter consuetam *Hebreis Chronologiam annis lunaribus*

*yfus*

vſus sit. Atque hoc ipſe non ita texit, atque occultavit, vt non deprehendi possit ex ipſo vocabulo, quo est vſus, ſcilicet abreviatæ ſunt, vt iam oſtendo.

## SECTIO TERTIA.

**NOSTRÆ SENTENTIÆ SECUNDA**  
*probatio ex eo, quod hebdомades abbreviatæ dicantur à Daniele.*

**D**ucimur itaq; secundò in p̄fata m̄ sententiam; quoniam dubitationis cum ſit apud ſacros Interpretes, quid ſignificare intentat Angelus hoc capite 9. per illud abbreviatæ ſunt, in nullo alio ſenſu po- tiori expōnuntur hæc verba, quam in noſtra ſen- tentia: Et in primis ita abbreviatæ hebdомades nuncupari nequeunt, quod earum dies vel omnes, vel aliqui breviores futuri eſſent, quam dies naturales, qui viginti quatuor horis conſtant: quemadmodum ep̄iſtola 80. quæ ſcrip- ta eſt ad Hesychium, refert D. Auguſtinus, quoſ- dam interpretatos eſſe, quod dixit Dominus Matthei 24. dies persecutionis AntiChristi bre- viatum iri propter electos, videlicet breviores fore ſingulos viginti quatuor horis, ſic enim eos fore breviores: ſicut contrà tempore Josue, ac

Regis Ezechiæ , vñus dies longior est viginti  
quatuor horis factus, vt deducitur ex Josue *capit. 10. Et lib. 4. Reg. cap. 20.* cæterum nihil si-  
mile septuaginta hebdomadibus contigisse exis-  
timari potest ; siquidem in his plusquam duo-  
bus millibus annorum, quæ à tempore huius vi-  
sionis ad hodiernum vñque diei præterierunt,  
nè illas quidem dies minor die naturali depre-  
hensus est.

2 Secundo refellenda venit expositio, quam  
memorat S. Augustinus eo, quem proximè dixi,  
loco, quorundam , qui censuerunt, Deum qui-  
dem primò constituisse, vt tempus adventus  
Messiæ in mundum longius prorogaretur , &  
tardius esset; posteà tamen propter lachrymas,  
preces , & voces Prophetarum , ac servorum  
Iuorum breviasse illud tempus , & statuisse , vt  
maturius Christus veniret, quam à primo con-  
stitutum fuerat ; atque huc applicant illud, quod  
est in Psalmo 20. *propter miseriam inopum , O*  
*gemitum pauperum , nunc exurgam , dicit Dominus.* Illud item , quod est apud Aggaium *cap. 2.*  
*ad hib: modicum , O veniet desideratus runctis Gen-*  
*tibus.* Quoniam igitur Deus citius suo primo de-  
creto, acceleravit tempus adventus Messiæ, ideo  
Gabriel dixit, abbreviatas fuisse hebdomades.

3 Infringitur tamen hoc placitum ex D.  
Augustino , si enim tempus adventus Messiæ  
abre-

abbreviatum est, ut factum sit brevius, quam fore ab initio constitutum erat, quare (inquit S. Doctor) secundum quam veritatem brevius factum fuerit, quam esse debebat? Cuius argumentationis ea est sententia, & vis: querendum ex ipsis est, unde illi cognoverint eam veritatem, quam prædicant, id est, unde competitum habuerint futurum esse longius tempus Messiae adventus? Oportuit enim, id eos cognovisse, & probare vel ex antiqua, & certa traditione, vel ex doctrina, vel sententia Patrum.

4. At nihil horum afferre possunt: nullam igitur firmitatem sue opinioni prætexere possunt. Legimus (inquit Augustinus lib. Genesios) Deum primo statuisse hominibus ad resipiscendum, & agendam penitentiam centum viginti annos, usque ad Diluvium: postea tamen brevia esse id temporis, recisis ex eo numero viginti annis. Verum id colligi videtur ex ipsa Scriptura: quod autem isti finxerunt de brevitate tempore adventus Messiae, nullam ex Scriptura, nec sanè aliunde fidem habet.

5. Tertia interpretatio est, per vulgata quidem, multisque probata, illud vocabulum abbreviata idem significare hoc loco, quod constituta, definite, determinata, nam verbum hebreum Nechtach tam Rabini, quos citat Galatinus, quam Christiani, lingue Hebreæ periti, qui que-

verbum de verbo reddentes sacra Biblia in latinum sermonem convertere studuerunt, idem valere affirmant, quod decisum, vel præcsum, vel præfinitum, seu determinatum.

6. Hoc interpretationi congruit etiam lectio græca, quæ habet verbum *concise*, vel *decisiæ*, quod interprete Theodoreto, eandem vim, & sententiam habet, atque vocabulum *constitute*, seu *definite*. Latinus vero interpres ferè ubique cuncte Septuaginta interpres posuerunt verbum illud græcum significans *concidere*, *concidsum*, vel *concidens*, vertit his vocibus *abbreviare*, *abbreviatum*, vel *abbrevians*.

7. Nec abhorret abbreviandi verbum, quo noster utitur, inquit ex Sancto Petavio, tom. 2. de Doctrina temporum, lib. 12. cap. 35. sive quod ex incerto, & infinito tempore habet certum, & constitutum spatium propheticō vaticinio, ac divina ordinatione contractus sit adventus Messiae eiusque œconomia, sive quod ex longiori intervallo, quod ab orbis initio fluxit, brevissimum restabat, quemadmodum in senectute vita hominis abbreviata dicitur. Litanus autem impropria voce, ut Petavius notat, registratas interpretatur.

8. Refellitur tamen ea acceptio; quoniam lectio huius loci Danielis longè antiquior fuit D. Hieronimi translatione, ut declarat Tertulia-

Noſtrę ſententię ſecunda, Or. Secl. 3. 249  
lianus in lib. contra Iudeos, qui citans, traſtant-  
quę locum hunc Danielis, ſic legit, vt nos habe-  
mus ſeptuaginta hebdomades abbreviatę ſunt.  
Præterea latinam translationem vulgatam PP.  
Concilij Tridentini ab omnibus defendi, & qua-  
ſi ſartam, ac teatam cuſtodiri iuſſerunt; at apud  
Latinos breviatum, vel abbreviatum non ſigni-  
ficat conſtitutum, vel definitum, ſed contrac-  
tum, & decurſatum, & quod ex longiori bre-  
ve factum ſit: ſi igitur ſeptuaginta hebdoma-  
des nullo modo factę ſunt breviores, nec ſecun-  
dūm dies, nec ſecundūm annos, quomodo poſ-  
ſamus hoc loco vulgatam propugnare lec-  
tionem: ergo vt illi lectioni, prout par eſt, iuſſi-  
muſ, tueri debemus, annos earum hebdomada-  
rum non eſſe ad longitudinem annorum ſola-  
rium exigendos, ſed ad brevitatem lunarium  
annorum coarctandos.

9 Quarta interpretatio, quam amplectimur,  
multorum & nobilium Auctōrum eſt Julij Afri-  
cani in quinto lib. Annalium, vt refert hoc loco  
D. Hieronymus; Theodoreti, Glosæ, Alberti,  
& Carthusiani ſuper hoc 9. cap. Danielis, præ-  
terea Bedæ in lib. 3. Expositionis Esdræ. cap. 16.  
Or in lib. de Ratione temp. cap. 7. Ruperti ſuper  
lib. Danielis, capit. 16. Historiæ Scholasticæ, in  
historia Danielis, cap. 10. Et Joannis Zonaræ, in  
primo tomo Annalium, P. Pererij, Comment. in  
Danielem, lib. 10. Saliani, & aliorum, qui aſſe-  
runt,

250 *Sacra Chronologie. dissert. quatuordecima.*  
runt, propterea dictas esse abbreviatas hebdomades, quia intelligi debebant non annorum solarium, sed lunarium, quia annus lunaris minor est solari vnde decim diebus; quo circa 490. anni lunares, quot scilicet continentur in septuaginta hebdomadis & que valent atque 475. solares, quot nempe reperiuntur ab initio ad finem huius periodi, ut iam ostendo.

#### SECTIO QUARTA.

#### SENTENTIAS REFERT DE INITIO

*septuaginta hebdomadarum.*

1 **N**OSTRÆ difficultas disquisitionis, vel ex eo haud parum elucet, quod plurimæ de hoc puncto reperiantur dissidentes sententia, quarum quindecim refert, & opugnat P. Peterius in *Danielem*, lib. II. part. 2. Nos autem præcipuas tantum opiniones, & scitu digniores præmittere, duximus.

2 Prima sententia est Nicolai de Lira, Pauli Burgenis, & Vatabli in suis Annotationibus super hoc caput 9. *Danielis* quibus adstipulatur Petrus Galatinus, lib. 4. de *Arcanis Fillei Catholice*, cap. 15. qui ordiuntur septuaginta hebdomades à quarto anno regni Sedeciae, videlicet septem annis ante magnam illam *Judæorum Captivitatem*, & *Templi*, atque *Urbis eversionem*; tunc

tunc enim aiunt, exiisse sermonem Dei, per Jeremiam, promittentis Iudeis post septuaginta annos captivitatis liberationem ipsorum, & in patriam reversionem, sicut legitur apud Jeremiam, cap. 29. fuisse autem tunc quartum annum Regni Sedeciae, constat ex initio cap. 28. Jeremie, ubi consignatur quartus annus Sedeciae.

3 Secunda sententia est Tertulliani in eo libro, quem scripsit adversus Iudeos, & item Originis lib. 10. Stromatum, ut in commentario huius noni capituli refert Hieronymus, qui eandem sententiam tribuit Hebreis: secundum istos ergo Authores hebdomadæ cœperunt primo anno Regni Darij Medi, eo videlicet tempore, quo Daniel hanc visionem habuit, ut initio huius noni capituli ab ipso Daniele prænotatum est; tunc enim inquiunt, sermonem Dei exiisse per Gabrielem declaratum Danieli, de ædificanda Jerusalem, ut expressum est his verbis Danielis, in quorum nunc tractatione versamur, videlicet: scito ergo, & animadverte, ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomadæ septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.

4 Tertia sententia est Clementis Alexandrinii 1. lib. Stromatum, exorsi hebdomades à primo anno Regni Cyri; tunc enim Cyrus, ut scriptum

252 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima.*  
cum est extremis verbis posterioris lib. Paralipomenon, & in principio libri Esdræ, ablato Hebreis iugo servitutis, liberos dimisit in patriam, facta eis potestate ædificandi Templum.

5 Quarta sententia est Eusebij lib.8. de Demonstratione Evangelica , Cyrilli in catechesi 12. Driedonis, lib.3. de Sacra Scriptura, cap.4. punc.4. & Cornelij Jansenij super caput 112. concordiaæ evangelicæ, qui ordiuntur hebdomades à secundo anno Darij Hystaspis, qui quartus Persarum Rex fuit, hoc enim anno, concessu Regis, ædificatio Templi ad id temporis usque intermissa, ingenti Judæorum plausu , & alacritate, repetita est, & quadriennio post consummata, ut apparet ex 1. Esdræ, cap.6.

6 Ab eadem sententia non re ipsa , sed nomine Regis, & ratione temporum, discrepat Severus Sulpitius , lib. 2. Sacrae historiæ ; quippe cœpisse putat hebdomades regnante Dario: quo tempore instauratio templi perfecta est , sed illum Darium non fuisse existimat Darium Hystaspidem quartum Regem Persarum , sed Darium Nothum, seu ut vocat ipse Ochum , nonum Regem Persarum, qui post illius Darij obitum plus sexaginta annis inivit Imperium. Huic opinioni favet etiam Scaliger , lib. 6. de Emendat. temporum.

7 Quinta opinio exordium harum hebdoma-

madatum accipit à septimo anno Regis Artaxerxis, qui Esdram missit in Judæam cum amplissimis muneribus, ad reformatum, ornandumquè Dei cultum, & corruptam Judæorum disciplinam, ut habeatur *Esdræ lib. 1. cap. 7.* præfertim verò 8. ubi notatur septimus annus Artaxerxis, qui dicitur concessisse Esdræ omnem eius petitionem, præterea vim pecunia; quam ad reficiendum, & decorandum Dei cultum; vel alios quoscumque velit ipse usus, conferret: proteguntquè hanc opinionem *Cedrenus in Compendio in Artaxerxe pag. 119.* Cornelius Alapide in *9. caput Danielis*, Petavius, & Tirinus, & ex novatoribus Heluicus, Bucholcerus, Capellus, Funcius, Anegelocrator.

8 Sexta opinio potest esse Scaligeri, *lib. 6. de Emendat. temporum*, qui petit principium septuaginta hebdomadarum, post quas occisi sunt Christum (videtur Gabriel loco hoc significasse), ab anno quinto Artaxerxis Mnemonis à quo Rege missum putat fuisse Esdram, & Nehemiah ad reædificandam Hierosolymam: neque enim hoc, à vestigijs Severi Sulpitij discedens, arbitratur.

9 Septima opinio docet, ab anno Artaxerxis Longimanij vigesimo septuaginta hebdomas numerari; sed in hoc vicelimo definiendo anno plurimum ab alijs discrepat hæc sententia;

non

non enim ab obitu Xerxis ipsum numerat , sed ab eo tempore , quo in regni communione à Xerxe parente vocatus fuit Artaxerxes, qui de-  
cem ferè annis cum Patre regnavit , vel Regis  
speciem habuit ; quamobrem si ratio habenda  
sit temporis , quo Artaxerxes solum inivit im-  
perium, non à vicesimo, sed à decimo anno ip-  
sius inchoandę erunt hebdomades septuaginta.  
Ita tenet P. Petavius, *tom.2. de Doctrina tempo-  
rum, lib.12. cap.35.*

10 Octava opinio assertit , non quidem ab  
anno Artaxerxis Longimani vicesimo, sed dein-  
de anno vigesimo tertio eiusdem Regis inchoa-  
tas fuisse hebdomadas : nempe anno , quo Ne-  
hemias solemnem Urbis dedicationem celebra-  
vit. Porro hic annus iuxta hanc opinionem fuit  
octavus, ex quo solus imperavit Artaxerxes, ne-  
què enim Xerxes imperavit nisi viginti annis: si  
ergo sub medium quinti anni ipsius cœpit vna  
cum illo imperare Artaxerxes, utique vigesimus  
tertius Artaxerxis annus , ex quo cum Parente  
cœpit, recurrere videtur cum octavo anno , ex  
quo post mortem Parentis solus imperavit. Ab  
hoc placito stat P. Tyrinus, *tom. 1. in Chronicō,  
cap.28.conclus.5.*

11 Nona sententia illorum , quos nominis-  
bus suppressis memorat Ex mihi D. *tom.1.in 3.  
part. disp.1. Sect.2. circa finem*, docet anno Ar-  
ta-

Sententias refert de initio, &c. Sec. 4. 255  
taxerxis trigesimo secundo initium habuisse  
septuaginta hebdomades.

## SECTIO QUINTA.

### SENTENTIA, QUÆ NOBIS POTIOR apparet, proponitur, & expeditur.

1 **I**NTER tot discrepantes sententias illa, ut reor, proprietor vero est, & recte Chronologæ magis consentanea, quæ initium septuaginta hebdomadatum sumit ab anno vigesimo Ait taxerxis: huius sententia probatores sunt plurimi, & gravissimi Viri; eam nam què defendit antiquissimus Scriptor Julius Africanus, lib. 5. Annalium, adnotante D. Hieronymo in hoc capit. 9. Danielis, Chrysostomus in 2. Oratione aaversus Iudeos, Theodoretus, Dionysius Carthusianus in Commentarijs suis in hoc 9. caput Danielis, Beda, in lib. 3. Expositio-  
nis Eædæ, cap. 16. idemquè latius in lib. de Ra-  
tione temporum. cap. 7. Rupeitus in lib. Danielis,  
cap. 15. Author Historiæ Scholastice in Danielis  
bistoria, cap. 10. Joannes Thomasius, u. m. 1. An-  
nalium, D. Antoninus, 1. parte Chronicæ, tit. 3.  
cap. 8. Petrus Galatinus, lib. 4. de Arcanis catho-  
lica veritatis. cap. 16.

2 Ex RR. & quidem sapientissimis carcerem  
sen-

sententiam illustrant Torniellus non uno in loco, nempe in 6. etate, anno 70. num. 7. Et anno 103. num. 4. è Societate nostra P. Peterius, lib. 10. in *Danielem* ad illa verba scito ergo, &c. Et lib. 11. part. 2. Gordonus in questionibus Chronologis, cap. 15. periodo 7. à num. 17. & sequentibus, nec non in annis expansis ad annum vigesimum Artaxerxis, Salmeton, tom. 1. Prolegomen. Villalpando, tom. 3. part. 1. lib. 3. capit. 3. eam communem dicit sententiam, sicut & Eximius D. tom. 1. in 3. part. disp. 1. Sect. 1. Salianus, tom. 5. Annalium ad Annum Mundi 3609. num. 2. Nicolaus Lombardus, in 2. lib. Esdræ, quest. 5. preambuli: extra Societatem novissime accedit Bernardus Langui in Apparatu Chronolog. ad concordiam Evangelist. part. 2. cap. 489. ut omittam eos, qui annos priores Artaxerxis in paternos annos inserciunt; & decem minimum annis, imperij Persici longitudinem minuant, in quibus P. Turcelinus, & Samerius in suis Chronologijs, nec non Petavius, & Tyrinus supra laudati, quibus prævivit Gerardus Mercator.

3. Probatur primò: etenim quæcumque Gabriel hoc loco docet de initio septuaginta hebdomadarum, ea omnia præstat, reprobant quæ sententia nostra. Ait Gabriel, principium hebdomadarum petendum ex eo tempore, quo exiuit sermo, ut ædificetur Jerusalem, & Pla-

ce,

reæ, ac muri eius extruerentur in angustia tēporū; at qui à solo Artaxerxe, qui misit Nehemiam, legitur ex ijsse mandatū, datāquæ potestatē repārādi, & reficiēdi Urbem, ut narrat libet Nehemiac.

4 Illud præterea in angustia temporum, bifiariam intelligi potest ex mente P. Pererij, Cornelij, & Tirini; nam *angustia temporum* significare poterit magnam aliquam vexationem, & periculum, quo quis premitur, & vrgetur; & hoc optimè congruit nostræ opinioni, sicut etim traditur in lib. *Nehemiac*, capit. 4. qui Duce Nehemia muros Jerusalem extruebant, in tantum vexabantur, & infestabantur à vicinis hostibus, ut etiam qui opus faciebant, cum armis esse, quasi parati ad pugnam, cogerentur. Sic enim inquit Nehemias dicit. capit. 4. ¶. 16. media pars iuvenum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, lanceæ, & scuta, & arcus, & lorice, & principes post eos: qui ædificabant in muro, una manus suum faciebat quisque opus, & altera firebat gladium.

5 Potest etiam illud in angustia significare, ædificationem platearum, & murorum Jerusalem angustissimo, brevissimoquæ tempore esse absolutam, idquæ ait Nehemias, capit. 6. ¶. 15. *completus est numerus vigesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta diebus*: quod videri non debet incredibile; siquidem in opere faciendo

258 *Sacra Chronologic.dissert.quarta decima.*  
multa hominum millia laborabant dies, noc-  
resquè, studio, diligentiaquè summa; aderant-  
què Principes Judæorum, qui opera valde vr-  
gebant; à quo nostra haud descelcit sententia.

6 Confirmatur nostræ probationis assump-  
tum: quemadmodum enim divina Scriptura  
solum Artaxerxem memorat, à quo data fuerit  
potestas extruendi muros Jerusalemita soli Ne-  
hemiae iificatè Urbis, extuctorumquè mœnium  
laudem attribuit; namque Author libri Eccle-  
siastici, in cap. 49. enarrans virtutes, & laudes  
eorum, qui Populo Hebræo insignes, ac memo-  
rables fuere, sic de Nehemia scribit V. 15. *Et*  
*Nehemias in memoria erit multi temporis, qui ere-  
xit nobis muros eversos, stare fecit portas, & se-  
ras, qui erexit domos nostras.* Et quidem ex lib.  
Nehemie, seu Esdræ secundò, liquidum sit, Ne-  
hemiae diligentia, seu opera reædificatam fuisse  
Jerusalem.

7 Sermonem verò huiuscemodi reædifica-  
tionis exiisse anno vigesimo Artaxerxis, patet  
ex 2. Nehemie cap. V. 1. vbi id temporis consig-  
natur hiscè verbis: *factum est autem in mense*  
*Nisan anno vigesimo Artaxerxis Regis:* notatis  
què modo, & circumstantijs obtinendi faculta-  
tem à Rege, pergit Nehemias, V. 17. inquiens.  
*Et dixi eis (nempè Judæis) vos nostis afflictio-  
nem, in qua sumus, quia Jerusalem deserta est,* &  
por-

Sententia, quæ nobis potior, &c. Sect. 5. 259  
portæ consumptæ sunt igne. Venite, & edificemus  
muros Jerusalem: Et v. 18. ait, & indicavi eis ma-  
num Dei mei, quod est bona mecum, & verba  
Regis, quæ locutus est mihi.

8 Quæ, & plura alia, quæ habentur in dic-  
to capite secundo Nehemiac, aperte ostendunt,  
eo vigesimo anno Artaxerxis, ab eodem Rege  
factam esse potestatem Nehemiac, & alijs Judæis  
reædificandi Jerusalem, & muros eius; huiuscè-  
què reædificationis historia per plura sequentia  
capita eiusdem libri Nehemiac exquisita distinc-  
tione proponitur. Quamobrèm conspicuum fit,  
eo vicesimo anno Artaxerxis exivisse, & audi-  
tum fuisse sermonem, ut iterum reædificaretur  
Jerusalem, de quo Gabriel apud Danielem in  
hoc nostro capite.

## SECTIO SEXTA.

**E**ADEM SENTENTIA EX SUCCESSIONE  
Imperatorum Persidis, & recta Chronologia fir-  
matur, ostenditurque, anno vigesimo Artaxerxis  
Longimani initium habuisse hebdomades  
a Daniele prænuntiatas.

**E**X pælibatis sectione præcedenti,  
imo ex ipsa Sacra Scriptura cons-  
tat, sermonem, sive Edictum de reædificanda Je-

Irusalem emanasse ab Artaxerxe , Persarum Imperatore; cæterum quia eiusdem Imperij cognomines extiterūt plures Imperatores, Artaxerxes nuncupati; posset inde dubitari, à quo illorū concessa fuerit potestas Nchemiæ, ac Judæis reædificandi Jerosolymā? Communis verò sententia recepta ab illis etiam, qui nostræ non patum adversantur , vt sunt P. Cornelius, Petavius , & Titinus , docet fuisse Artaxerxem Longimanū, ratione quidem optima, ad cuius intelligentiam prænotandum est, tres fuisse præcipue Artaxerxes Persarum Imperatores: eorum primus fuit Artaxerxes Longimanus , seu Macrochir, qui quidem ideo Longimanus dictus est, quod manum, seu brachium dexterum altero maius haberet, vt est apud Plutarchum in Artaxerxe, si-vè quod utrumque brachium cæteris hominibus longius haberet adeò , vt stans sua genua contingeret extremis digitis.

2 Secundus Persarum Imperator nuncupatur etiam Artaxerxes , cui memoriæ felicitas cognomen dedit, ideoquè dictus Mnemon. Tertiūs habuit proprium Ochi nomen , quasi cognomen additum , & ab omnibus nuncupatur Artaxerxes Ochus.

3 Igitur Artaxerxes Longimanus imperavit annis quadraginta, vt docet Tertullianus, cap.8. *adversus Judæos*, D. Hieronymus in cap.4. Eze-

Eadem sententia ex succes. &c. Sec. 6. 261

Ezechieli, Eusebius in Chaonico, Diodorus, Olympiadis 78. anno 4. Et rursus, Olympiade 88. anno 4. Beda, & alij, quibus adsentiuntur Torniellus, anno 183. sexta etatis, Salianus, Anno Mundi 3629. num. 1. & alij RR. quamvis nonnulli quadraginta quatuor annos ipsi tribuant ex mendoso Diodori textu, vel potius interpretatione decepti, ut cum alijs animadvertis Salianus, Anno Mundi 3629.

4 Imperio Persarum, Artaxerxe Longimano mortuo, successit Xerxes filius, & huius nominis secundus Persarum Imperator, qui solus erat legitimus ex Damaspia suscepitus; at cum is, vt scriptum Ctesias reliquit, in quodam festo ebrius esset, atque in Regia sua dormisset, ingressi Secundianus, quem alij Sogodianum appellant, Artaxesis filius Spurius, & Pharnacias Eunuchus illum interficiunt, die à Patris morte, quinta, & quadragessima.

5 Secundianus Regno potitus, vt scribit idem Ctesias, post sex Regni menses, & quindecim dies, in cineres coniectus occisus fuit ab Ocho, qui posteà Dariæus, seu Darius Nothus appellatus fuit, Spurius scilicet filius Artaxerxis: porrò his duobus sive Regibus, sive Primatibus, unus annus communiter tribuitur.

6 Deinde Darius Nothus imperavit annos

novemdecim, neque ei plures, pauciores vè tribuit Eusebius in *Chronico*, quām vnde viginti, quæ est Diodori quoque Siculi sententia in fine anni 1. Olympiadis 89. & rursùs ad finem lib. 13. ad stipulantur què Torniellus, Titinus, & alijs, vt propterea ætimare possimus, mendum in Ctesiam irreplisse, vbi legimus, eum triginta quinque annos regnavisse, quod sine perturbatione totius Chronologiæ Persicæ admitti non potest, vt Salianus notat *Anno Mundi 3649. num. 1.*

7 Post Darium Nothum Imperium obtinuit Aittaxerxes Mnemon, seu Memor, filius Darij, & Parysatidis, vt ex Diodoro, Xenophonte, & alijs constantè Chronologi docent: imperavit autem annos quadraginta, vt Author est Eusebius in *Chronico*, ex Africano, & Manethone, vt fateatur Scaliger, Beda de 6. etate, D. Hieronymus in cap. 4. *Ezechielis*, Julius Africannus, lib. *Adversus Judeos*, quem sequitur Pamphilus, num. 70. Ado, Viennensis in *Chronico*, Fulphus, Marianus Scotus, Hermannus Contractus in suis *Chronicis*, Peterius in *Danielem*, Torniellus 243. anno sextæ etatis, Leunclavius in *Chronologia Xenophontea*. P. Salianus, *Anno Mundi 3689. num. 1.* & alijs, et si Plutarchus in eius vita in Græco, latinoquè textu ei attribuit annos sexaginta duos Imperij, & vitæ quatuor, &

nonaginta; quem in Regni annis secutus est Severus Sulpitius, lib. 2. sed etiorem in numeros irreplisse, & quadraginta duos, pro sexaginta duos, legendum, vult Sigonius; alij quadraginta tres annos, alij quadraginta quinque ipsi concedunt Imperij: omnes tamen, uno excepto Fundatio, quadraginta saltem concedunt illi Regni annos, qui numerus frequentiori, & potiori sententia probatur.

8 Post obitum Artaxerxis Mnemonis filius eius Artaxerxes Ochus imperavit annis viginti tribus, ut asserunt Diodorus, lib. 15. fine, Or. 16. Severus Sulpitius, Sigonius, Henricus Samerius, Gordonus in suis Chronologis, Salianus, Anno Mundi 3712. num. 1. licet Eusebius viginti sex annos ipsi concedat Imperij, huic adsentiantur Beda, & Peterius, Torniellus, & e Seccarijs Fundtius, Scaliger, & alij quidam.

9 Tam sic: Artaxerxis Ochi, qui ultimus fuit ex his, qui nomine Artaxerxis notantur, Imperij principium incurrit in principium Olympiadis centesimæ quartæ, iuxta communem sententiam à præcitatibus Chronologis probatam, atquè adeò annus vigesimus Artaxerxis Ochi incidit in Olympiadis centesimæ octavæ annum quartum; ab hoc tempore usquè ad Olympiadis centessimæ nonagesimæ quartæ annum tertium, vel quartum, quo scilicet anno natus fuit

Christus Dominus, iuxta communissimam Chro-  
nologorum sententiam, non possunt numerari,  
nisi anni trecenti quadraginta quatuor, & ad ip-  
sius Passionem & Mortem trecenti septuagin-  
ta octo, qui minimè complent hebdomades sep-  
tuaginta a Daniele prædictas, quamvis annorum  
lunarium intelligantur; huiuscè enim qualitatis  
hebdomadæ septuaginta conficiunt annos qua-  
dringentos septuaginta octo perfectos, & sola-  
res, ut *Sect* 8. plenius innotescat; ad quam sum-  
mam complendam desunt anni centum.

10 Nec iste annorum numerus perfici po-  
terit, etiamsi sursùm ascendendo initium heb-  
domadarum exordiamur à vicesimo anno Ar-  
taxerxis Mnemonis, qui annus incurrit in quar-  
tum Olympiadis nonagesimæ octavæ; coepit  
quippè imperare anno primo Olympiadis nona-  
gesimæ quartæ, ut docent Diodorus Siculus *in fi-*  
*ne anni primi 89. Olympiadis, & lib. 13.* Salia-  
nus, *Anno Mundi 3650. num. I.* Petavius, *tom. 2.*  
*de Doctr. temporum, lib. 13. Anno Mundi 3579.*  
*fine.* Gordonus *in annis expassis An. Mund. 3599.*  
licet hi duo Authores ad finem anni quarti pre-  
cedentis Olympiadis initium Imperij huius Ar-  
taxerxis referant, quod parum nobis officit; at  
assertioni nostræ sufficiatur Torniellus in auctoribus  
utique suis tabulis sextæ ætatis, cui eò liben-  
tius adhæreo, quo dilucidiūs, examinissimumque sa-  
cram

Eadem sententia ex success. &c. Sect. 6. 265  
eram, profanamquè tradit Chronologiam. Qua-  
proptèr annus vigesimus Artaxerxis Mnemonis  
fuit trecētesimus octogesimus quartus ante ortū  
Christi Domini: quod si addideris annos trigin-  
ta quatuor inchoatos vitæ ipsius Assertoris nos-  
tri, fient anni quatuorcenti decem octo, & con-  
sequenter desunt anni sexaginta ad complemen-  
dos quatuorcentos septuaginta octo, quòt sci-  
licet complectuntur hebdomades septuaginta.

Hoscè autem sexaginta annos in nostra  
sententia habemus; nimirū novemdecim Ar-  
taxerxis Mnemonis, Darij Nothi decē, & novem,  
Xerxis secundi, & Sogodiani vnum, & Artaxer-  
xis Longimani viginti vnum: conspicuum ergò  
fit, initium hebdomadarum referendum esse ad  
annum vigesimum Artaxerxis Longimani.

## SECTIO SEPTIMA.

*ALIJS ARGUMENTIS NOSTRA SENTEN-  
TIA de initio Septuaginta hebdomadum  
stabilitur.*

I FULCITUR præterea nostra senten-  
tia; quoniām, cum Daniel, aut An-  
gelus potiùs, apertè ordiatur heb-  
domades septuaginta ab exitu sermonis, ut ite-  
rū edificetur Ierusalem, hic exitus sermonis non  
de

de propheticō sermone Angeli, aut Dei intelligendus est: tūm quia, cum talis sermo reconditus sit, nec mortalibus publicè notus, congruē dari non poterat, quasi nota exordij septuaginta hebdomadum, quæ debet hominibus esse perspicua, ut inde enumerari incipiat: igitur decretum accipiendum est Principis alicuius, cui Judæi eo tempore parerent.

2. Tūm quia promissio de Ierosolyma restauranda divinitus facta fuit varijs vicibus, & temporibus valde distantibus: ergo ex hac promissione divina non posset vnum certum indicium desumti: antecedens patet; nam per Isaiam cap. 44. v. 26. dicitur: *Tibi dico Ierusalem: habebaberis, & Civitatibus Iuda, edificabitimi, & deferta eius suscitabo: consilimilia habet Isaías cap. 45. v. 13.* & per Jeremiam idem vaticinium prolatum fuit cap. 27. v. 22. Et cap. 29. v. 10. Et per Baruch, cap. 2. v. 34. in cap. 4. v. 23. vt iam de Daniele, &c alijs sileam.

3. Danieli autem facta fuit huiuscmodi promissio quingentis viginti septem annis ante ortum Christi Domini, scilicet anno ultimo septuagenariae captivitatis, & primo, vnicoque, nec integro Darij Medi Chaldæorum Imperatoris, deducitur ex ipso cap. 9. Danielis, v. 1. & 2. hiscè verbis: *In anno primo Darij filij Assueri, de semine Medorum, qui imperavit super Regnum Chal-*

Chaldeorum: Anno uno Regni eius, ego Daniel, &c.  
vbi relata oratione, qua Deum exoravit Daniel,  
subiungit ipse visionem, & oraculum de hebdo-  
madibus septuaginta, quod ab Angelo Gabrie-  
le accepit, ut cernere est dict. cap. v. 22. & seqq.  
notat què hoc tempus Salianus, An. Mundi. 3616.  
num. i. 87. & 88.

4 Jeremias verò sexcentis annis ante Chri-  
sti Domini nativitatem, iam prædixerat eam Hie-  
rosolymæ reparationem: etenim Jeremias mor-  
tuus fuit anno Mundi 3448. & ante Christum  
natum 605. vt docent Torniellus, Anno 2. sex-  
tæ etatis, num. 6. Christophorus à Castro in Je-  
remiam, cap. i. Maldonatus, prefatione in Jere-  
miam, cap. i. Salianus, Anno Mundi 3448 num. i.  
qui imo prophetia Jeremiæ de reparanda Je-  
rosolyma refertur à Saltano ad Annū Mundi  
3429. nempè ante Christum annis sexcentis,  
& viginti quatuor.

5 Baruch autem discipulus, assecla, & scri-  
ba Jeremiæ fuit, eiusquè particeps annorum,  
vt passim omnes notant; quapropter etsi aliquos  
annos supervixerit, tamè ferè centum annis,  
antequam possent inchoari hebdomades, mori  
debuit: ergò decretum de restauranda urbe Hie-  
rosolyma accipiendum non est à temporibus, in  
quibus prælibata vaticinia prolata fuere; sed po-  
tius intelligendum, fuisse edictum Principis ali-

268 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima.*  
cuius humani , cui Judæi eo tempore subiecti  
essent; at nullus alias Princeps profertur , vel  
proferti potest, à quo decretum ædificandi, quod  
quærimus, editum sit, nisi Artaxerxes Longima-  
nus ; nec aliud tempus congruè assignari valet,  
præter ipsius annum vigesimum : igitur ita te-  
nendum sanè est.

6 Assumptum probatur; quoniam licet Cy-  
rus audito oraculo Isaiæ, de quo suprà, ducen-  
tis ferè annis ante prædicto , exemplò edixerit,  
id opere compleri, ut ex fine lib. 2. *Paralipome-  
non*, & ex lib. *Esdre*, capit. 6. ¶ .3. colligitur, ta-  
men Cyrus in hoc suo decreto nullum verbum  
fecit de extruenda Civitate , sed de Templo  
dumtaxat, ut constat ex lib. *Esdre*, cap. 1. 2. & 3.  
*Et cap. 6. ¶ .3. & 4.* ibi : Cyrus Rex decrevit , ut  
domus Dei ædificaretur, que est in Ierusalem; cum  
autem mandatum illud Cyri per invidos Judeo-  
rum hostes factum esset irritum, & Istraelitæ in  
ædificando Templo desides fuissent, instauratio  
Templi à Deo iniuncta est per Prophetas, access-  
sitque mandatum Regis Persarum Darij Histaspidis,  
ut patet ex 1. *Esdre*, capit. 6. ¶ .3. Aggæi,  
cap. 1. ¶ .1. Zachariæ, cap. 1. ¶ .1. Darius tamèn  
Histaspides Templi tantum extruendi potesta-  
tem fecit, ut ex prædicto *Esdre* loco conspicuum  
est, & reverè illud tantum eo regnante restitu-  
tum est, ut habetur eodem *cap. 6. Esdræ*, ¶ .15.

Tanç

7 Tandem licet Esdras, ut ipse narrat lib. 1.  
cap. 7. ascenderit Jerusalem cum decreto Artaxerxis, utique Longimani, anno septimo ipsius Imperij, tamen in eo mandato nullus est sermo de ædificandis Hierosolymorum muris, sed de conferenda ei pecuniarium ingenti summa, aliarumque rerum subsidio, ad ritum Dei Cœli attinente.

8 Idquæ videtur confirmari ex lib. 1. Esdræ,  
cap. 6. ¶ 13. 14. ibi: Igitur Thathanai Dux regionis trans Flumen, & Stharuzanai, & consiliarius eius, secundum quod preceperat Darius, sic diligentèr executi sunt. Seniores autem Iudeorum ædificabant, & prosperabantur iuxta prophetiam Aggai Prophetæ, & Zachariae filij Addo, & ædificaverunt, & construxerunt, iubente Deo Israel, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe Regibus Persarum, & compleverunt domum Dei istam usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darij Regis. Esdras igitur in hunc finem ascendit Ierusalem, utique visitare Judæam, & Jerusalem in lege Dei, ferreque argentum, & aurum, quæ Rex, & Consiliatores eius sponte ei obtulerant.

9 Hoc verò Artaxerxis Longimani mandatum septimo Imperij eius anno Esdræ concessum fuit, ut constat ex lib. 1. Esdræ, capit. 2. ¶ 8. alterum obtinuit Nehemias anno vigesimo eiusdem

270 *Sacra Chronologic. dissert. quartadecima.*  
dem Artaxerxis, quo permittitur ædificatio Ur-  
bis, ut patet lib. *Ezdræ* 2. & *Nehemias* cap. 2. v. 17.  
igitur nullus alias Princeps, nec tempus aliud  
assignari potest pro initio hebdomadarum, nisi  
Artaxerxes Longimanus, ipsiusque Imperij an-  
nus vigesimus.

## SECTIO OCTAVA.

**EX CHRONOLOGIA REGUM PERSIDIS,**  
¶ *O Lagidarum in Aegypto confirmatur*  
*iterum sententia eadem.*

1 IDEM profectò conficitur ex Chrono-  
logia Imperatorū Persidis, & Aegyp-  
ti; quoniam Artaxerxes Longimanus impera-  
vit annos quadraginta: Xerxes secundus, & So-  
godianus vnum dumtaxat annum; Darius autem  
Nothus vndecim annis Regnum tenuit: Arta-  
xerxes Mnemon annos quadraginta; Artaxerxes  
Ochus annos triginta tres, prout superiori sec-  
tione fuit ostensum.

2 Atses verò Ochi minimus natu ex arbi-  
trio Bachaos Eunuchi imperio sufficitur, eum-  
què Tertullianus Argum vocat, & uno anno  
regnasse tradit, manifesto vtique mendo; omnes  
enim Chronologi ei tres, aut certè quatuor  
annos regni tribuunt. *Justinus lib. 1.* eum præ-  
termittit, ita ut Ocho Darius statim succedere

videatur, nec tamen aperte excludit; potior ergo sententia tres annos illi consignat cum Diodoro initio lib. 17.

3 Eiusdem imperij successor fuit Darius nuncupatus anteā Codomanus, ut ex Diodoro Salianus notat *Anno Mundi* 3716. num. 1. & 2. qui annis novēm Imperium obtinuisse, notat. Quibus peractis, cum vixit esset ab Alexandro Macedone Rege, Persarum Imperium translatum fuit in Macedonum Reges, postquam ducentos, & octo cum dimidio stetisset annos, nimirū Olympiadas quinquaginta duas, & non amplius, ut optimè P. Salianus, *Anno Mundi* 3724. num. 10. & 11. evincit.

4 Alexander autem Magnus postquam Persarum obtinuit Imperium, septem annos regnavit, obijtque Olympiadis centesimæ quatuordecimæ anno primo, ut ex communi placito apud Chronologos videre est in Artiano, lib. 7. Diodoro, lib. 17. Eusebio, lib. 8. de Demonstrat. Evangelica, cap. 2. Josepho, lib. 1. contra Apionem aiente, Alexandrum, profitentur universi, post Olympiade centesima decimaquarta esse defunctum: Severus Sulpitius, lib. 2. ubi inquit: *Exacto duodecimo Imperij anno, septimo postquam Darium devicerat, apud Babyloniam defunctus est.* Inchoandi ergo sunt hi duodecim anni ab initio Regni Macedonum, ab Alexando ob-

ten-

272 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima.*  
ti; idque Scriptura perspicuè consignat libro I.  
*Machabæorum, cap. I. v. 8.* & regnavit (inquit)  
Alexander annis duodecim, & mortuus est, eoique  
integros profectò intelligere oportet, mortuus  
quippè fuit inchoato tertiodecimo Regni Ma-  
cædonum, & semptimo Imperij Persarum, vt  
ex præcitatis Authoribus tradit P.Salianus, *An-*  
*no Mundi 3230. num. I. & 2.*

5 Mortuo Alexandro, Imperium eius con-  
tritum fuit, prout prædixerat Daniel, *capit. II.*  
*v. 4.* hisce verbis: *Et cum steterit* ( scilicet Ale-  
xander) *conteretur Regnum eius, & dividetur in*  
*quatuor ventus cœli, sed non in posteros eius, nec*  
*secundum potentiam illius, qua dominatus est, la-*  
*cerabitur enim Regnum eius etiam in exteros ex-*  
*ceptis bis.* Et *cap. 8. v.* idem Propheta prædixerat  
divisionem illam: *Factum est* (inquit) *cornu mag-*  
*num, & orta sunt quatuor cornua subter illud per*  
*quatuor ventus cœli;* In Ægypto enim inquit D.  
Hieronymus primo regnavit Ptolemæus Lagi  
filius, id est, ad meridiem: in Macedonia Philip-  
pus, qui, & Aridæus, frater Alexandri, id est ad  
occidentem: Syria, Babylonis, & superiorum  
locorum Seleucus Nicanor: id est ab oriënte: Asia,  
& Ponti, cæterarumque in ipsa plaga Provincia-  
rum, Antigonus: id est, ad Septentrionem. Hæc  
secundum totius orbis plagas dicimus. Sic ipse.

6 Non magno post tempore, ait Justinus,  
qua-

quasi regna non præfecturas divisissent, sic Re-  
ges ex Præfectis facti magnas opes non sibi tan-  
tum paraverunt, verum, & posteris reliquerunt;  
quod Scriptura non tacuit lib. i. *Mashabæorum,*  
*cap. 1. N. 9.* Et obtinuerunt pueri eius (nempe Ale-  
xandri) Regnum unusquisque in Regno suo, & im-  
posuerunt sibi omnes diademata post mortem eius.  
Præcipua tamen regna, quorum mentio deinceps fit in sacra pagina, sunt duo, Syriæ, scilicet,  
& Ægypti, quorum illud Regnum Aquilonis, &  
Græcorum, hoc verò Regnum Austris appellat-  
tur.

7 Ptolemaeus igitur Lagi filius, seu Lagi-  
des, & Soter dictus, imperavit in Ægypto annis  
quadraginta à morte Alexandri, ut Duce Eu-  
sebio, omnes passim edocent, in eo tamen non  
nihil discriminis intercedente, quod communis  
sententia inchoatum solum annum quadragesi-  
mum ei concedat, Gordonus verò completum  
esse, dicat. Id etiam notandum multo pauciori-  
bus annis cum diademate, ac Regis titulo im-  
perasse, nempe ab anno ipsius regiminis de-  
cimo octavo, ut ex Diodoro, & Plutarcho, P.Sa-  
lianus animadvertisit, *Anno Mundi 3747. num. 8.*

8 Deinde Ptolemaeus Philadelphus Lagi-  
dæ filius, in solio sedet spatio etiam annorum  
quadraginta, ut ex Josepho lib. 12. capit. 2.  
tradit Salianus, *Anno Mundi 3769. num. 4.* Et

*Ann. Mundi 3807. num. 2. ¶ 3. Extincto Philadelpho succedit filius Philadelphus, cognomento Evergetes, qui anno Regni sui vigesimo sexto finem vivendi fecit, ut Eusebio placeat, quem sequitur Beda, lib. de Sex atatibus & utrumque P. Peterius, in Danielem, Gordonus, in Cbron. Salianus, Anno Mundi 3733. num. 1. nec dissentient Sectarij, Heluicus, Buntingus, & alij eiusdem satis.*

9 Regium Evergetis invadit Regis filius Ptolemaeus Philopator, qui annos septendecim Regnum posedit iuxta Eusebij, & Bedæ Chronologiam, quam confirmat Clemens Alexandrinus, libro 1. Stromatum, Tertullianus, lib. Adversus Iudaos, ut habetur etiam apud Divum Hieronymum in Danielem, quibus Recentiores magno numero consentiunt; Epiphanius tamen lib. de Ponderibus, ei dat unum, & viginti annos, sed nemo, aut recentiorum, aut veterum eam Chronologiam secutus est, ut notat P. Salianus, Anno Mundi 3850. num. 1.

10 Philopator autem ex Eurydice sorore filium, & Regni successorem habuit Ptolemaeum Epiphanem, ut scribit Justinus lib. 30. & ex Divo Hieronymo, cum communī tradit P. Salianus, Anno Mundi 3851. num. 1. Regiamq[ue] obtinuit dignitatem annos viginti quatuor, iuxta Eusebium, quem demore sequitur Beda, lib. de

*Sex etatibus, & ante utrumque Tertullianus, lib.*  
*Adversus Julianum, Clemens Alexandrinus, li-*  
*bro 1. Stromatum, illisque passim Recentiores*  
*omnes adsentuntur, potius quam Epiphonio,*  
*lib. de Ponderibus, qui ei tantum dat viginti duos*  
*annos, nonnullique ex Recentioribus viginti*  
*tres, sed potior censei debet prima sententia,*  
*utpotè plurimum, & antiquorum.*

11 Huius Ptolemai superstites fuere filij  
duo, quorum grandiori fuit Philometor cogno-  
men inditum, minor verò Physcon: Philome-  
tor, qui maior natu, Regnum obtinuit, & ad tri-  
ginta quatuor annos regia munia gessit, plura-  
que de illo habentur lib. 1. Machab. cap. 11.

12 Eo autem mortuo, Regnum obtinuit ip-  
sius frater Ptolemæus, cognomento Physcon,  
qui tamen seipsum Evergetem, sive Beneficum  
proclamari voluit; ab Alexandrinis autem Ca-  
cergetes, sive maleficus appellatus est, vt ex  
Athenæo notavit Scaliger, ab Epiphanio dictus  
Philologus; quia eruditus, & Aristarchi disci-  
pulus fuit; P. Salianus verò putat, illum Philolo-  
gum potius à loquacitate dictum.

13 Nefaria enim eius crudelitas, luxuria, &  
gula, vix ullam doctrinæ umbram vel suspicio-  
nem relinquunt, sed cacoergetis nomen confit-  
mant. Eundem Strabo, lib. 17. Et Josephus, li-  
bro 12. ante capit. 5. Physiconem dictum refe-  
runt:

276 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
runt: id est ventriolum, & deformem, Regnum-  
que obtinuit annos viginti novem, ut author  
est Eusebius in *Chronico*, Epiphanius, lib. de *Mensuris*, Tertullianus, *adversus gentes*, apud Pame-  
lium, Divus Hieronymus, Clemens Alexandri-  
nus, lib. i. *Stromatum*, Beda lib. de *Sex etatibus*,  
Isidorus, & Nicephorus, *capit. 8.* & longo inde  
ordine Recentiores, præcipue Cardinalis Bel-  
larminius, Forniellus, P. Gordonus, Samerius, &  
Salianus, nec non de lectarijs Temporarius,  
Functius, Capellas, Calvisius, Scaliger, qui in  
*Eusebium*, num. 1873. ait, omnes vno ore illi  
viginti novem annos tribuere.

14 Post illum autem in Ægypto regnavit  
filius eius, qui præter vulgare Ptolemæi nomen,  
dictus est Lathurus apud Josephum, lib. 13. *An-*  
*tiquitatum*, cap. 18. Et Plinium, lib. 16. capit. 30.  
Physonem vocat Eusebius, retento videlicet  
Patris cognomine, apud ipsum etiam Soter dic-  
tus fuit; quemadmodum, & apud Epiphanium,  
lib. de *Mensuris*, cum Beda, & Isidoro, in *Chroni-*  
*cis*; eius verò Regnum ad annos triginta sex  
protrahi, optimè edocet P. Salianus, *Anno*  
*Mundi* 3973. num. 1. secutus Clementem Ale-  
xandrinum, Tertullianum, & Divum Hyerony-  
mum.

¶ 15 Lathuri successor fuit Ptolemæus cog-  
nominatus Auletes; Alexander enim frater La-  
thu-

thuri exiguo tempore, scilicet diebus decem, & novem, tantum imperavit, quamobrem in regum Cathalogo non computatur. Porro Auletes, qui etiam Dionysius nuncupatus fuit, regnavit usque ad annum trigesimum non completum, sed inchoatum, ut ex Eusebio, & alijs colligit P. Salianus, *Ann. Mundi* 4003. Et *Ann. 3848. num. 3.*

16 Ipsi Ptolemæo Auleti Ægypti Regi mortuo, filius natu maior Ptolemæus, cognomento Dionysius cum sorore natu maiore Cleopatra sucesserunt, & ut tradunt Eusebius, Strabo, *lib. 17.* Dio, *lib. 42.* Et Salianus, *Anno Mundi 4004. num. 1.*

17 Huius autem Ptolemæi Dionysij anno quarto, ipse vicitus à Caio Cæsare, moritur, & eiusdem loco sufficitur in Regno à Cæsare Ptolemæus natu minor cum Cleopatra, ut cum Eusebio, Eutropio, & alijs docet Salianus, *Anno 4007. num. 25. & 26.* Ptolemæusque annos quinque regnavit, Coeterum Cleopatra diutius regnum obtinuit, nempe ad annos viginti unum, vel viginti duos, si mensium, quibus vivente patre regnavit, ratio habeatur. Sibi tandem criminosa vitâ eripuit Cleopatra, Olympiadis CLXXXVII. anno tertio, ut Autor est Eusebius in *Chronico Graeco, & Latino:* idemque prodit D. Hieronymus, & ex illis P. Salianus, *Anno Mundi 4024. num. 23. & 24.*

18 Hic ergo finis regni Cleopatrae, & Aegypti, & omnium Lagidarum fuit. Totaque Aegyptus Romanorum Provincia effecta est, mense scilicet Augusto, ut enim notat Macrobius, *libro 1. Saturnalium, cap. 12.* recitans causas, obquas Senatus Consulto Sextilis mensis appellatus fuit Augustus, haec vna fuit, quod Aegyptus hoc mente in potestatem Populi Romani redacta sit, scilicet Imperij Octaviani Cæsaris Augusti anno decimo quarto, & ante Christi Domini ortum annis viginti novem, natus quippe fuit Christus Dominus anno Cæsaris Augusti quadragesimo secundo, & Olympiadis CXCIV. anno tertio, ut ex autoritate, munera recta Chronologia evincit P. Salianus, *Anno Mundi 4052. num. 26. O. 36.* vnde ex hac temporis ratione, & epilogismo annorum ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani, usque ad annum ortus Christi Domini, iuxta seriem Regum Persarum, Alexandri Magni, & Lagidarum in Aegypto, additis etiam annis 29. Imperij Cæsaris Augusti, fient anni 444. & præterea adiunctis annis triginta quatuor inchoatis, Christi Domini, fiet summa annorum 478.

19 Id quod vterius inclarescit; quoniam ab Olympiade LXXXIII. in cuius quarto anno, Nehemiae concessit Artaxerxes, ut reædificaret Jerosolymam, usque ad Olympiadem CXCIV.

numerantur CXI. Olympiades, quarum qualibet quatuor constat annis; & consequenter constituent annos 444. Annus quippe ultimus Olympiadis CXCIV, suppletur ex anno quarto Olympiadis LXXXIII. Deinde additis annis triginta quatuor inchoatis vita Christi, conficitur periodus annorum 478. ab initio Septuaginta Hebdomadum usque ad Christum patientem, ut ex solutione objectionum magis elucidabitur.

### SECTIO NONA.

#### *EX CHRONOLOGIA IMPERIJ PERSARUM Or Regni Graecorum alia deducitur nostra sententiae probatio.*

I **F**ulcitur quoque idem assumptum, quoniam Imperium Persarum stetit ducentos, & octo annos cum dimidio; prout communis fuit Chronologorum sententia confulcita à P. Saliano, *Ann. Mund. 3724. nn. 11. ijs exceptis, qui nempe idem faciunt initium Regni Cyri, atque imperij eiusdem, cum tamen Regnum eius 23 annis diuturnius fuerit Imperio eiusdem. Regnum quippe anno primo Olympiadis quinquagesimæ quintæ sumplic exordium, Imperium autem, quod septem tantum annorum fuit, Olympiadis sexagesimæ an-*

280 *Sacra Chronologica dissert. quartadecima.*  
no quarto, ut prælibavi *Dissert. 20. Sect. 26.* ex  
quo, videlicet anno liberationis Judæorum à Ba-  
bylonica servitute, usque ad finem Persarum  
Imperij, Olympiades quinquaginta duæ, id est  
ducenti, & octo anni numerantur, itaque, cum  
Curtius ducentos triginta annos Persarum Im-  
perio tribuit, videtur, & ipse Imperium Persa-  
rum à Cyri Regno, non ab Imperio, & à devi-  
ta Babylone inchoasse. Videatur P. Salianus ini-  
tio Regni Cyri, tum deinde initio Imperij.

2 Disidet quoque non nihil P. Tirinus in  
*Chronico, cap. 35.* ducentos annos tantum consignans  
Imperio Persarū; quia licet agnoscat descri-  
men inter initium Regni Cyri, & Imperij eius-  
dem, tamen Regno tribuit annos viginti sep-  
tem; Imperio autem tres solum annos adscri-  
bit: vnde quatuor annos adimit Persarum Im-  
perio: deinde Cambysī sex præcisè annos con-  
cedit, cum tamen octo sint illi tribuendi, ut ex  
communi placito ostendimus dict. *Dissert. 10.*  
*Sect. 20. num. 7.*

3 Russus Xerxi primo, seu parenti Artaxer-  
xis Longimani consignat Tirinus annos viginti,  
cum potius viginti duos ipse regnaverit, ut  
tradit Torniellus, *Anno sextæ etatis 143.* 144.  
nec non cum alijs P. Salianus, *Ann. Mund. 3589.*  
*num. 2.* vnde fit octo esse annos, quos Tirinus  
in herido deñegat Persarum Imperio, & proin-  
de ilud stetit annis 208.

Demp-

4 Demptis verò ab hoc numero annis nonaginta duobus, quot scilicet fluxere ab initio Imperij Cyri, seu à tempore solutæ captivitatis Judæorum, usque ad vigesimum annum Imperij Artaxerxis, subremanent centum decem sex anni: his deinde additis ex Imperio Alexandri, & Lagidarum in Ægypto annis trecentis viginti octo, inclusis annis viginti octo Augusti Cæsaris ante ortum Christi Domini, sient anni 444. adiectisque quatuor, & triginta inchoatis viæ Christi, confidentur anni 478. quibus complentur hebdomades septuaginta à Daniele prænuntiatæ, & sumpto earum exordio ab anno vigesimo Artaxerxis Longimanî, prout fuerat ostendendum.

5 Assumptum stabilitur ex Regno Græcorum, prout in libris Machabæorum passim vocatur, seu ut alij locuntur ex Seulicidarum Æra, quæ ex communi tam antiquorum, quam Recentiorum sententia, initium habuit anno primo Olympiadis centesimæ decimæ septimæ, vel anno secundo eiusdem Olympiadis, ut P. Salianus, Sacrae Scripturæ, & Chronologiæ innitens, optima ratione colligit: stetit autem Selaucidarum, seu Græcorum Regnum annis ducentis, viginti & octo, ut Augustinus Torniellus præcipue probat, qui instar multorum merito esse debet, propter eximiam eius diligentiam, eidem-

282 *Sacra Chronologic.dissert.quarta decima.*  
demque subscriptis æque solers in re Chronolo-  
gica , & pereruditus P. Salianus, *Anno Mundi*  
*3970. num. 1. O. 2.*

¶ Tum sic: præfatae Ætæ initium incidit  
in annum primum Seleuci , & decimum qua-  
rum Ptolemæi Lagidæ: id est in Olympiadis cœte-  
simæ decimæ septimæ annum secundum: finis  
verò eiusdæ Ætæ cadit in annum Ptolemæi La-  
thuri trigesimum tertium: hoc est Olympiadis  
centesimæ septuagesimæ quartæ annum pri-  
mum: adde igitur annos centum triginta qua-  
tuor clapsos ab anno vigesimo Artaxerxis Lon-  
gimani usque ad initium Regni Græcorum. In-  
super octoginta duos annos à fine eiusdem  
Regni Seleucidarum usque ad ortum Christi  
Domini , sive usque ad Olympiadis centesimæ  
nonagesimæ quartæ annum tertium, quo anno na-  
tus fuit Christus Dominus, sicutque annis 444.  
quibus si addas triginta quatuor vitæ Christi,  
conficietur summa annorum 478. quot scilicet  
attingunt hebdomades septuaginta, ab anno  
vigesimo Artaxerxis Longimani initium  
carum desumendo.



SEC-

## SECTIO DECIMA.

*OBJECTIONEM AB SCALIGERO INSTI-  
tutam proponit.*

1 **D**E Danielis hebdomadibus disputacionem instituens Scaliger, primò ex libris Esdræ, & Nehemiæ Persicis Regum seriem exponit: eo verò spectavit illius conatus, ut Datij Nothi anno secundo, non Hystaspis, vt habetur communiter, Templum à Zoro- babele, ac Josue conditum, probet, itemque Mnemonis Artaxerxis, non Longimani tempo- re, Nehemiam è Babylone in Iudeam venisse, simulque tradit, à secundo Darij Nothi anno inchoati hebdomades septuaginta, & in hunc mo- dum procedit.

2 Tria sunt expressa in sacris historijs edic- ta Regum Persarum, quibus ædificandorum Jerosolymotorum, & Templi potestas est facta: Cyri quidem, *Esdræ, lib. 1. cap. 1. v. 2. Et cap. 6. v. 3.* Datij, *cap. 6. v. 11.* Artaxerxis, *cap. 7. v. 11.* Non potest edictum esse Cyri id, de quo imminuit Daniel in nostro textu in illis verbis, *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem,* &c. Nam inde putati anni quadringenti nona- ginta desinunt in Herodis initium; quod alienum est, neque Artaxerxis esse potest: siquidem

Ac-

Artaxerxes ille non est Machrochir , Xerxis filius, sed Mnemon, Darij Nothi filius: ab edicto igitur Darij numerandi sunt, quem non Hyrcaspis filium , sed Nothum esse contendit Scaliger, ut prælibavi.

3 Porro non potuisse edictum esse Artaxerxis, probat Scaliger, quia si ab anno eius primo putentur anni quadringenti , & nonaginta desinent in annum primum Agonis Capitolini Domitiani, quod est ridiculum ; iudi enim , seu Agones Capitolini instituti fuere a Domitiano , & primus eorum annus refertur ad annum secundum Olympiadis 216. qui cadit in annum octogesimum octavum Christi Domini , ut notat P. Gordonus , tom. 2. *Chronologæ ad annum 88. Christi, ex Suetonio in Domitanum, cap. 4.*

4 Rursus Nehemiam pervenisse ad Alexandri Magni tempora, & consequenter ad Regnum Darij , quem vicit Alexander , probatur a Scaligero , quia ultimus Persarum Rex , cuius in Scriptura mentio fit, est Darius. ut constat Nehemiacap. 11. v. 22. sub quo Nehemias testatur, Jeddiam Pontificem fuisse ; & quod nemo negare potest , is est , qui Alexandro Ierosolymam ingredienti obviam in pontificio ornatus venit. Igitur Darius iste æqualis Alexandri Magni fuit, & consequenter hic Darius est, is quem

Ale-

Alexander vicit, ultimus Rex Persarum. Quod cum ita sit, Nehemias pervenit ad Alexandri tempus, & subinde reædificatio Jerosolymorum non potuit perfici a Nehemia tempore Artaxerxis Longimani.

5 Præterea Sanaballetes Samaritanus Nehemiam Jerosolymorum mænia reficientem prohibere conatus est, ut habetur, Nehemiac. c. 4. ¶ 1. ¶ seqq. ibi: Factum est autem, cum audisset Sanaballat quod adificaremus murum iratus est valde, ¶ motus nimis subsanavit Iudæos, ¶ dixit coram fratribus suis, ¶ frequentia Samaritanorum: quid Iudei faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num sacrificabunt, ¶ complebunt in una die? Sanaballetes Alexandri castra sequutus est, eique pugnanti cum aexilio præsto fuit, ut refert Josephus: ergo Sanaballetes Nehemiac ætate vixit, adeoque fuit uterque Magni Alexandri Synchronus,

6 Confirmatur secundo: Sanaballetes filiam suam nucupatam Nicaso in matrimonium dedit Manassi fratri Pontificis Jaddi, sive Jeddœ, authore Josepho lib. 11. cap. 7. ¶ 8. obidque Nehemias Manassiem expulit, ut colligitur Nehemiac cap. 13. ¶ 28. ibi: De filiis autem Joada filij Eliasib Sacerdotis magni gener erat Sanaballat Horonites, quem fugit a me: igitur Sanaballetes vixit tempore Nehemiac: At idem Sanab-

balletes fait Synchronus Alexandri Magni, ut supra ostensum est: ergo Nehemias quoque vitam duxit imperante Magno Alexandro, qui, devicto Dario, ultimo Persarum Rege, ipsius Regnum obtinuit. Porro hic Darius fuit nuncupatus Nothus, & Arsami filius, ante dictus Codomanus, floruitque centum fere annis post Artaxerxem Longimanum: ergo Nehemias non potuit instaurare Jerusalem anno vigesimo Artaxerxis Longimani.

## SECTIO UNDECIMA.

*ARGUMENTIS SCALIGERI FIT SATIS.*

**R**Espondeo sermonem de reædificanda Urbe Jerosolyma, cuius meminit Daniel, non posse equidem intelligi de edicto à Cyro promulgato; Cyrus quippe nullum verbum fecit de extruenda Civitate, sed de Templo duntaxat; vt ex initio *libri Esdræ*, constare potest, & nos *Sect. 7.* ostendimus. Neque insuper id sermonis reædificandi Jerusalem exponi valet de edicto aliquo concessso ab Artaxerxe Mnemone, quia ab huius Imperatoris tempore usque ad Christum Dominum nullo modo possunt computari hebdomades septuaginta, sive sint aþnorum solarium,

at-

atque adeò conficiant annos quadringentos, & nonaginta, sive sint annorum lunarium, & continent tantum annos quadringentos, & septuaginta octo; multo enim pauciores anni representantur ab Artaxerxe Mnemone usque ad Christum Dominum, & pauciores à Dario Notho, iuxta ea, quæ superiori Sect. 8. & 9. tradidimus.

2. Intelligendum est ergo promulgatum esse præfatum edictum ab Artaxerxe Longimanus, qui nuncupatus est Machrochir, & ab eius anno vigesimo, ut fusè à nobis probatum est: nec quidquam adversus nostram sententiam evincit Scaliger, fieri enim non potest, Neheiniam synchronum fuisse Alexandri Magni, vel ad ipsius tempora pervenisse, quoniam Jeddus, qui apud Tigutinam versionem Jaddua, & à Josepho Jaddus dictus est, ut ex eodem Josepho hquer, Pontificatum iniit regnante Artaxerxe Ocho, id quod probat P. Salianus, *Anno Mundi 3690. num. 2. & 3.* scribit ergo Josephus, Artaxerxe Ocho regnante, Jonatham, seu Joannem Pontificem, fratrem habuisse nomine Jesum, seu Josue, cui Bagosces, Dux Ochi primatus, promiserat, se Pontificatum datutum: qua fiducia Josue cum liberius cum fratre in Templo altercatur, tantam Pontifici movit iram, ut ab eo in Templo interficeretur, quam iniuriam, inquit Josephus, Deus non dissimulavit, sed Populus

hic

hac de causa libertatem amisit, & Templum à Persis pollutum est. Amissionem libertatis Josephus vocat tributum ab eodem duce impositum, ut priusquam quotidianas hostias offerrent, in singulos annos quinquaginta dragmas penderent. Pollutionem autem Templi vocat ingressum Persarum infidelium in Templum.

3 Mortuo igitur Joanne, seu Jonatha, Pontificatum accepit filius eius Jaddus, & Pontifex fuit annis quadraginta & uno. Huius vero Pontificatus anno trigesimo tertio, adiit Jerosolymam Alexander, Datij Arsami filij Persarum Regis anno septimo, ut optimè docet P. Salianus, *Anno Mundi 3722. num. 27.* & seqq. Potrò ad hæc usque tempora pervenire non potuit Nehemias: quoniam si ei demus triginta annos, quot ut minimum habuisset, cum factus est Dux Judæorum Provinciæ, profectò tempore Alexandri ageret iam annos centum quinquaginta ferè: id quod præter naturam illius ætatis fuisset.

4 Consequens probatur; Nehemias siquidem Dux Judæorum fuit anno vigesimo Artaxerxis Longimani, ut subducitur ex ipsius Nehemiac verbis, *lib. 2. Esdræ, capit. 2. ¶ 1.* ubi annotato Artaxerxis anno vigesimo, procedit, & refert datam sibi à Rege facultatem eundi Jerosolymam, ut ædificaretur Civitas illa, & ut

Du-

Ducem Israelitici Populi se gessisse: & sic docet communis, receptaque sententia cum Eusebio lib. 8. de Demonstr. Evangelica, demons. 2. sub medium. Igitur si vel triginta tantum annos afig- nemus Nehemiæ, quando id maneris inivit, uti que in Artaxerxis morte., ageret Nehemias annos quinquaginta, Artaxerxes quippe impera- vit annos quadraginta, ut dictum est.

5 Ab hoc præterea tempore usque ad Ale- xandrum supersunt anni ferè centum iuxta Chronogiam Gordoni, Tornielli, Saliani, & Petavij; colligiturque ex serie Regum Persicis, & Ægypti, suprà à nobis tradita, & consequen- tēt, eo Alexandri tempore, ferè centum quin- quaginta annos ageret Nehemias: quod reij- ciunt P. Salianus, Anno Mundi 3629. num. 8. Nicolaus Lombardus in Esdram, lib. 2. in Expo- sitione liberali, cap. 12. v. 11. & Petavius, tom. 2. de Doctrina temporum, lib. 12. cap. 25.

6 Et confirmatur, quoniam Zorobabel Dux fuit Judeorum, qui à Cyro dimisi sunt, ut con- stat ex lib. 1. Esdræ, cap. 2. 3. & 4. ea autem li- bertas Judæis concessa fuit Anno Mundi 3517. id est anno quarto Olympiadis LX. ut piæliba- vi, tom. 2. Dissert. 10. Sect. 26. num. 19. At Darij Nothi, annus secundus fuit Mundi 3632. id est, Olympiadis LXXXIX. annus tertius, interval- lumque anni 116. computatis extremis, quod

290 *Sacra Chronologic,dissert.quartadecima.*  
intervallum ferè agnoscit etiam P. Petavius, *di-  
cto lib. 12. cap. 26.* calculos subducens ab anno  
Periodi Julianæ circiter 4177. quo anno collo-  
cat à Cyro concessam Judæis libertatem, usque  
ad annum Periodi Julianæ 4291. quem asserit  
fuisse secundum Darij Nothi. Longius etiam in-  
tervallum concedit P. Gordonus ab anno primo  
solutæ captivitatis usque ad secundum Darij  
Nothi, nempè annos 136.

7 Si ergo hoc anno secundo Darij Nothi  
Templum ædificatum fuit à Zorobabele, ut vult  
Scaliger opus est, fateri, totidem annis scilicet  
116. vel 114. principatum gessisse Zorobabe-  
lem: adde etiam ætatem, quam habuit, cum  
Judæorum laxata captivitas fuit, & eorum Du-  
catum accepit, quæ viginti, triginta amplius for-  
tassis annorum fuit: vixit igitur Zorobabel, ut  
minimum, centum quadraginta annos, quod  
credibile non est.

8 Præterea *liber 3. Esdræ, capit. 3. & 4.* nec  
non Josephus, *lib. 11. cap. 4.* testantur, Zoroba-  
belem anno Darij secundo, quo Templum ædi-  
ficatum est, in Persidem reversum, Regis corpo-  
ris custodem fuisse, quem & iuvenem Esdræ li-  
ber appellat, qui tamen centesimum quadra-  
gesimum fere annum ex Scaligeriana opinione  
tunc agebat; subindeque illa refellenda venit.

9 Idem & in Josue filio Josedech Summo  
Sa.

Sacerdote, & aliquanto etiam manifestius est absurdum, neque enim ad Pontificatum nisi matura iam aetate provehebantur, ut optimè observat P. Petavius, loco proximè extato: itaque Josue, quo tempore Judæi à Cyro dimissi sunt, Pontifex erat, & fortasse aliquot iam annos in ea functione versatus fuerat, nam Pater eius Josedech cum Sedecia in Babyloniam abductus, diu ante solutam captivitatem mortuus est, ut ex longiquo huius captivitatis intervallo, annorum scilicet septuaginta, coniicit Petavius: Salianus autem, qui ipsius Pontificis vitam paulo longiorem, admittere videtur, assertit tamen eum imminentे fine desolationis, & captivitatis decessisse, cum quo concinit Genebrardus: quare annum saltem quadragesimum Josue impetrandum esse, cum Judæi à Cyro dimissi sunt, nemo disputerbit. Itaque 160. annos in vivis fuisset, si ad annum secundum Darij Nothi pervenisset, id quod fidem vix obtinebit.

10 Igitur dicendum, Templi ædificationem completam fuisse anno sexto Darij, ut habetur lib. 1. Esdræ capit. 6. v. 15. Nec illa perfecta est sub Jeddoa Sacerdote, sed sub Josue, sive Iesu, filio Josedech, vna cum Zorobabel Duce Juda, ut legitur in lib. 1. Esdræ, cap. 5. ver. 2. & Aggæi cap. 1. v. 1. & 14. quippe Josue pontificem egit, à primo Solutæ captivitatis anno,

192 *Sacra Chronologica dissert. quartadecima.*  
vel aliquibus anteav. vsque ad 20. vel vltimū im-  
perij Darij Hytaspis, iuxta P. Salianū. & Tiranum.  
Porro Dariū de quo Esdras fuisse Hytaspidem,  
communi cōfensu docent Chronologi, præcipue  
Salianus ad *Annū Mundi* 3537. num. 1. & seqq.  
*Gordonus in Annis exponsis. Anno Orbis* 3488. &  
fusē in questionibus, c. 14.n.22. Et cap. 17.n.23.

11 Fundamenta vero, quibus Scaliger ni-  
titur, tanti non sunt, vt ad prælibata paradoxa, &  
incredibilia concedenda nos adigant: fatemur  
ergo in lib. 2. *Esdrae*, seu *Nehemiae*, cap. 12. v. 11. &  
22. sermonem fieri de Dario, vltimo Persarū Re-  
ge, nec non de Jeddoa, seu de Jaddo Pontifice,  
qui Alexandro Magno obviam ivit; ceterum non  
ideò colligi debet, Nehemiam ad illasque tem-  
pora in vivis fuisse, sincronum scilicet Jaddi  
Pontificis, tum Alexandri Magni; Pericopen  
enim illam, quæ Jeddoæ, & Darij meminit, non  
ab ipso Nehemia scriptam, sed ab alio quopiam,  
attextam, docent Scriptores doctissimi, P. Sa-  
lianus, *Anno Mundi* 3629. num. 8. vbi inquit,  
postiores Pontifices, vel Scribas supplevisse,  
quæ deerant circa huiusmodi genealogias, vt  
pleraque ab Esdra suppleta esse in alijs libris,  
communis est sententia: Petavius, *tom. 2. de Do-*  
*ctrina temporum*, lib. 12. cap. 25. Nicolaus Lom-  
bardus, *in lib. 2. Esdrae*, sive *Nehemiae*, *capit. 12.*  
v. 11. vbi annotat, sic ab Esdra suppleta esse, quæ  
de

de morte Moysis habentur in fine Deuteronomij, quem librum constat, à Moysè esse conscriptum; & idem de Josue morte, ac sepultura, quæ leguntur in fine libri eius; quæ etiam in fine Prophetæ Jeremij habentur de Regno Evilmerodachi, & exaltatione Joachim, quæ satis constat, mortuo Jeremia contigisse.

12 Adstipulatur P. Tirinus in lib. 2. Esdræ, cap. 12. v. 10. & 11. inquiens versiculum 10. & 22. ab aliquo Scriptore Hagiographo, id est sacro, insertum fuisse huic libro Nehemiæ, ut posteris constaret de successione Pontificum Synagogæ per omne tempus Monarchiæ Persicæ. P. Cornelius à Lapide in *Nehemiam*, consimilitè ait, hoc loco insertum esse à Synagoga Judæorum, quæ tunc regebatur ab Spiritu Sancto, seu ab alio Scriptore à Hagiographo, ad ostendendum continuam Pontificum successiōnem toto tempore Regni Persarum, usque ad Alexandrum, à caiis gestis incipiunt libri Machabæorum, ut continuam Israelis, hoc est Reipublicæ, & Ecclesiæ Dei historiam pertexant per Machabæos, Pontifices, & Principes usque ad Christum. Primus enim Josue, sive Jesus, qui in hoc capite 12. nominatur, fuit Pontifex sub Cyro; ultimus vero Jeddoa, seu Jaddus tempore Darij Codomani, & Alexandri.

13 Idque additamenti Cornelius colligi

294 *Sacra Chronologica* differt. quarta decima:  
putat ex v. 23. & 26. huiuscè cap. 12. Nehemias,  
cuius tempore dicitur fuisse Pontifices Joacim,  
& Eliasib, usque ad dies Jonathan, filij Eliasib.  
Jonathan autem fuit Pater Jeddæ, seu Jaddi,  
quare eum Nehemias non vidit Pontificem.

14 Respondetur secundò, Nehemiam vi-  
disse Jaddum puerum, sed non Pontificem:  
ita de Recentioribus Interpretibus nonnulli,  
quimodo, & ante eos V. Beda, citatus in  
Glossa, qui in hunc modum scribit: *In fine hu-  
ius libri* (puta Nehemias, seu secundi Esdræ)  
*quam filiorum Joiadæ, filij Heliab, mentio est. quod*  
*unus ex eis gener fuerit Sanaballat Honoritis, cu-*  
*mus quidem generi nomen tacetur, sed quia Joiadæ*  
*avus est Jeddæ, constat generum de quo sermo est,*  
*patrem eiusdem Jeddæ, aut patrum fuisse: ideo-*  
*que illum superflite abhuc Nehemias nasci potuisse.*  
Hactenus Glossa.

15 Illustrat eandem expositionem P. Cor-  
nelius, in solutione secunda, inquiens, Nehe-  
miam vidisse Jaddum puerum, sed non Pontifi-  
cem, quoniam Nehemias, cap. 13. v. 28. dicitur  
aliquis filiorum Joiadæ Pontificis dedisse filiam  
vixorem Sanaballat Horonitæ, itaque cum sibi  
fecisse generum, quem, inquit Nehemias, fugi-  
vi à me. Nam hic filius Joiadæ fuit Jonathan pa-  
tre Jaddi, vel certè fuit frater Jonathan; quare  
si tunc Jonathan, vel frater eius habebat filiam

*Argumentis Scaligeri fit satis. Sect. II. 295*  
nubilem, utique poterat, & filium, habere Jaddum: sicut ergo Esdras, Deo dante, fuit longævus, vixitque 147. annos, sic, & longævus fuit Nehemias Esdræ coævus, æquè ac longævi fure. Jesus filius Josedec, Daniel, & similes illo ævo, idque hoc fine, ut Synagogam in captivitate ex parte prolapsum, in fide, lege, & cultu veri Dei restaurarent, nimis unum, ut ille ait: *senium non sentit charitas*, quare Jaddo Pontifex, tempore Alexandri Magni, videtur fuisse grandævus, scilicet 94. circiter annorum, ita ut natus sit sub Artaxerxe, vel Dario Notho eius filio, visusque à Nehemia puer, vel iuvenis existens; nam ab ultimo anno Artaxerxis ad Alexandrum fluxere 94. anni. Et hac de causa, Jeddoa hic non vocatur Pontifex, sed simpliciter nominatur duntaxat, diciturque genitus à Jonatan. Hæc Cornelius.

16 Cæterum hæc solutio difficilis admundum apparet ex supradictis; incredibile enim sit, tot homines adeò longævos extitisse, quinimo ne de Esdra, nec de Josue, & alio quoipiam illius ætatis ostendi potest ea vitæ diuturnitas.

17 Et profectò, si Esdras natus, aut posthumus fuisset. Sedeciae anno undecimo, id est, primo desolationis Ierosolymæ, & Babylonicae captivitatis, ut edocet, P. Cornelius, nedum 147. annos, sed etiam 160. vixisset Esdras: pro-

hatur, quoniam undecimus sedeciae annus fuit  
pricus regnigenarum Iudeorum captivitatis, ut  
fusè ostensum fuit *Dissert.* 10. *Sect.* 3. *¶ seqq.*  
Deinde à primo solute captivitatis anno usque  
ad Artaxerxis Longimani septimum, quando  
Esdras misus est Jerusalymam, fluxerunt anni  
octoginta Imperij Persarum, nempe Cyri sep-  
tem, Cambylis octo, Darij Histaspis triginta sex,  
Xerxis viginti duo, Artaxerxis septem: cuin-  
que usque ad Artaxerxis vigesimum Nehemias  
Esdre in ducatu successor constitutus non fuerit,  
ut ex i. *Ass. cap. 2.* ¶ 1. *¶ 6.* subducitur, utque  
usque ad id prope temporis produci potest Es-  
dræ vita: in P. Cornelius usque ad Artaxerxis  
annum vigesimum septimum illam extendi pu-  
tatur in Prolegomenis in Esdram; quapropter di-  
cendum erit, Esdram vixisse annos 170. idquod  
Cornelius, haud concedit.

18. Fundamentum autem, cui innititur sen-  
tentia, longævum adeò Esdram existimans, ine-  
ficax apparet, nempe Esdram fuisse iam vel na-  
tum, vel posthumum in primo desolationis Ju-  
daicæ anno, in quo à Rege Babylonis occisus  
fuit Seraias Summus Pontifex, cuius filius Es-  
dras dicitur, *lib. 1. Esdræ, cap. 7. ¶ 1.* id inquam  
authenticæ assertionis, haud evincit assumptum  
ad eius sententiae, quippe, ut Augustinus Tor-  
niellus observavit *sexta etatis anno 164. n. 27.*

satis recte possumus opinari, Scripturam Sacram, loco Esdræ citato, ut alias solet, filium pro nepote, aut pronepote, more Hebraico, usurpare, præsertim cum videamus ibidem in ipsius Esdræ genealogia, alios quoque intermedios fuisse præteritos, qui enumerantur lib. I. Paralip. cap. 6. v. 7. scilicet, Amarias, Achitob, Sadoc, Achimaas, Azarias Johanam, ut patebit conferenti eandem Esdræ genealogiam cum ea, quæ dicto lib. I. Paralip. cap. 6. deducitur ab eodem Aaron usque ad Saraiam.

19. Idcirco multo probabilius credi potest, ex alio Saraiæ filio, vel nepote esse natum Esdram: id ipsum communis P. Salianus, *Anno Mundi 3595. num. 3. & 4.* subinde putat Torniellus, Esdram natum fuisse circa annum vigesimum quintum Darij Histaspis, & quadragesimum annum agentem, missum fuisse Jerosolymam ab Artaxerxe Longimano; illius autem dies obitus incertus est; id solùm quippè habetur ex cap. I. & 2. *Nehemias*, anno Artaxerxis vicesimo in Judaici Populi Duci munere, successisse Nehemiam.

20. Quod verò de dintornitate vitæ Josue, qui Jesus dictus fuit, non satis ostenditur, cum Pontifex fuerit annis tantum 28. aut 29. ut produnt Salianos, *Anno Mundi 3567. num. 5.* Tiriñus in *Chron. capit. 41.* Imo Salianus observat,

haud

298 *Sacra Chronologic. dissert. quartadecima.*  
haud constare de Zorobabele, & Josue quando  
illi finem, aut Sacerdotio aut Reipublicæ admi-  
nistratiō imposuissent. Daniel autem ad cen-  
tesimum ætatis annum pervenisse fatemur cum  
D. Isidoro, *lib. de Vita, & Obit,* capit. 40. id ta-  
men minus valde est, quam quod Scaliger, & P.  
Cornelius intendunt.

## SECTIO DUODECIMA.

### EIUSDEM OBIECTIONIS ULTERIOR *solutio.*

**X** UOD attinet ad Sanaballetem , ex  
communi sententia respondeo,  
alium Sanaballetem oportere es-  
se eum, qui à Josepho refertur , opem dedisse  
Alexandro, & alium esse cum, quem à se fuga-  
vit Nehemias ; hic enim vixit Nehemias, & Ar-  
taxerxis Longimani tempore ; alter verò Darij  
Codomani , & Alexandri ætate , quos ambos  
perperam, ut aparet miscuit Josephus , & quod  
prioris erat, id posteriori tribuit , nimirum affi-  
nitatem cum Pontificia familia ; nisi forte bis  
cum Samaritanis affinitatē iunxisse Pontificiam  
illam domum putemus : Primum Nehemias , &  
Artaxerxis Longimani tempore , quempiam ex  
filij Joiadæ Sanaballeti filiam duxisse ; ob id-  
que

Eiusdem obiectionis vltor. &c. Sec. 12. 299  
que à Nehemia reiectum esse; postea Manas-  
sem Jaddoæ fratrem Sanaballeti minoris, &  
prioris nepotis, filiam itidem in matrimonium  
habuisse.

2. Quam duplicis Sanaballeti distinctionem  
agnoscunt P. Salianus, tom. 5. Annalim ad An-  
no Mundi 3718. num. 13. Petavius, tom. 2. de  
Doctrina temporum, lib. 12. capit. 25. Nicolaus  
Lombardus in lib. secundum Esdrae 16. quæst.  
præambula, ad cap. 12. Titrinus, eodem capit. 12.  
Nehemie, v. 11. Cornelius ibid. & quotquot  
existimant, Nehemiam ad Alexandri Magni tem-  
pora nullo modo pervenisse, sed iam pridem  
mortuum, anno fortasè 40. Artaxerxis Longi-  
mani, & aliunde Josepho fidem hæud negant in  
eo, quod de Sanaballeto Alexandri synchrono  
narrat.

3. Id quod colligitur ex eo, quod ab anno  
ultimo Xerxis, quo opus reædificationis Jero-  
solumorum absolutum esse, scribit Josephus, ad  
Alexandrum Magnū anni sunt 135. iuxta Peta-  
vium in annis expansis, & tom. 2. de Doctr. temp.  
lib. 12. capit. 25. cum quo concinit Salianus An-  
no ultimo Xerxis, & Mundi 3589. tum Anno  
prima Imperij Alexandri, ac Anno Mundi 3724.  
ab illisque parum dissidet Gordonus, duobus  
scilicet annis: igitur 135. annos Sanaballetus  
vixerat, quando Nehemiam, Urbem Jerosoly-  
mam

300 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima.*  
mam reædificantem, hostiliter vexavit, ut habe-  
tur *Nehemia*, cap. 11. Adde iam annos 30. aut  
plures, quibus vixit Sanaballetus, antequam  
præfectus militiæ constitueretur; proinde 166.  
circiter annum agebat cum ad Alexandrum de-  
fecit. Quo circa duos omnino Sanaballetos fuï-  
scē, par est arbitrari: quorum unus Nehemias, &  
Artaxerxis Longimani, alter Darij Codomani,  
& Alexandri ætate vixit.

4 Alij verò respondent, magnam Josephi,  
& omnium Judæorum ignorationem rerum  
Persicarum fuïle in causa, quod Persarum, ta-  
met si liberatorum suorum, beneficia, ac tempo-  
ra neglexissent, memoria commendare, & cum  
legere quatuor tantum à *Daniele* cap. 11. Reges  
Persarum memorari, indeque ad Alexandrum  
transitum fieri, non plures Persarum Reges exti-  
tisse crediderunt, & propterea ad Jaddum,  
Sanaballeti historiam retulerunt. Ita opinatur  
*Temporarius*, lib. 3. sua *Chronologia*, ubi de  
Danielis hedomadibus, cui ex catholicis ad-  
haret novissime Bernardus Lamy in *Apparatu*  
*Chronologico*, part. 2. cap. 4. §. 9.

5 Idemque Author pergit Josephi, & Ju-  
dæorum errata plura, ne quidem levia circa Per-  
sarum Monarchiam adnotans. Et quidem quam  
multa in his peccet Josephus, omnes ferè chrono-  
logi observant, & res ipsa loquitur, quoniam

Eiusdem obiectionis vlt̄. &c. Sect. 12. 301  
annos Xerxi 28. concedit quem non plures 22.  
regnasse, supra ex communi sententia didici-  
mus. Præterea sub Artaxerxe, non Xerxe, vt  
vult Josephus, Nehemias Jerosolymam venit,  
vt scriptura testatur *Nehemia*, cap. 2. Nihilomi-  
nus, cum satis non constet falsum esse, quod  
de Sanaballeto Alexandri Synchrono, & de Jad-  
do narrat Josephus, nō audemus in hoc fidē illi  
denegare; cum ex prælibatis possit aliter, &  
congruentē obiectioni responderi.

## SECTIO DECIMATERTIA.

### DUO ALIA SCALIGERI INFRINGIT *argumenta.*

I **P**RIMUM, quod validissimum telum  
appellat Scaliger, sic habet annis, an-  
te secundum annum Darij, septua-  
ginta, iejunia quinti, & septimi mensis instituta  
iam erant, ut *Zachariae* cap. 7. ¶. 5. significatur  
ibi: *Cum ieunaretis in quinto, & septimo per*  
*hos septuaginta annos;* at ea non potuerunt ali-  
bi, quām Jerosolymis, & ab Ecclesia constitui.  
Nam nulla solemnia celebrata sunt in exilio, vt  
ex *Scenopegi* festo liquet; cuius cultus oblivio-  
ni traditus est, *Nehemiae* cap. 8. ¶. 15. & 16. sed  
& Daniel à quarta die Nisan ad vigesimam  
quartam iejunat. Er-

2 Ergo decimaquarta Nisan , Pascha non celebravit: nulla ergo solemnia , aut ieiunia in deportatione instituerunt, sed in Palæstina , iam altari stante , & iugi sacrificio obtinente , illa instituta sunt ; cum igitur Zacharias anno secundo Darij prophetans afferit, ante annos septuaginta instiuta esse mensis quinti , ac septimi ieiunia, si ab anno secundo Darij Hyrcaspis filij, retrò numeres, nempè ab anno periodi Julianæ 4194. desinet calculus in annum quartum à capitulo Sedecia, quo nulla erat Ecclesia in Palæstina. Quarè ab anno secundo Darij Nothi recensendi sunt, ut desinant in annum vigesimum octavum Darij Hyrcaspis filij ; quo tempore Judæi Jerosolymis quidem degebant. Hæc Scaliger in editione 2. vbi totum ipsum hebdomadum annorumque Systema ab anno secundo Darij Nothi ad excidium Templi perducit.

3 Respondeo, multa , quæ meritò à nobis improbanda veniunt, in Scaligeriano hoc involvi discursu. Darius quippè , cuius edicto reficiendi Templi potestas est facta Judæis, non fuit Nothus, sed Hyrcaspis, ut receptissima chronologorum fert sententia : ex Hebræis sic docuit Josephus lib. 11. *Antiquitatibus* : ex Christianis omnes tam Græci , quam Latini , tam veteres, quam Recentiores, excepto uno, vel altero, nimis Severo Sulpitio, lib. 2. *Sacra Historia*, &

Scaligero, loco supra relato, qui duo contendunt, Darium, sub quo est absolutum Temple, fuisse Nothum, Artaxerxis Longimanus filium: ceterum contra ipsos, & à nobis stant ferè omnes Scriptores, ut signantur, & doctè animadvertisit P. Peterius, lib. 11. in *Danielém*, de *Septuaginta hebdomadis*, quest. 3. per totam, in hoc autem genere doctrinæ, concors omnium sententia instat firmissimæ rationis, apud intelligentes rerum estimatores esse debet.

4 Et ex eo fulcitur prædictum placitum, quod Zorobabel dux Judæorum, & Jesus Pontifex ædificationi Templi, sub Rege Dario, præfuerunt, ut liquidum est ex cap. 5. Or. 6. libri 1. *Ezdræ*. Idem quoque Zorobabel, & Jesus, sive Josue in primo anno Cyri, quo solutam esse Judæorum captivitatem, docuimus in *Dissertazione* 10. Principes fuerunt Populi in Judæam revertentis, ut patet ex lib. 1. *Ezdræ*, capit. 2. ¶ 2. nec tunc minores eos fuisse triginta annorum, par est credere.

5 A primo autem anno solutæ Judæorum captivitatis, usque ad sextum Darij Nothi, numerantur anni centum viginti, ut liquet ex supra notatis cum P. Saliano, Petavio, & alijs: tandem ergo annis principatum gessit Zorobabel, & istis amplius, neque enim scimus, quod statim mortem obicerit. Et quidem cum anno sexto

304 *Sacra Chronologic. dissert. quartadecima:*  
to Darij, Templum fuerit perfectum, vt expræ-  
sè habetur Esdræ lib. 1. cap. 6. ¶ 15. hiscè ver-  
bis: *Et compleverunt Domum Dei istam usque ad*  
*diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus*  
*Regni Darij Regis.* Si is Darius non fuit Hys-  
taspis, sed Nothus, vt vult Scaliger, addita æta-  
te, quam habuit Zorobabel, dum à Cyro Ju-  
dæis fuit concessa libertas; fiet vt Zorobabel vi-  
xerit annos ferè centum quinquaginta, imo &  
quod in ea ætate vigorem animi ad res difficiles  
peragendas retinuerit.

6 Idem absurdum, & aliquanto etiam ma-  
nifestius, colligitur in Jesu, seu Josue, filio Jo-  
seph, vt supra libavimus, *Sect. II. num. 9.*  
quia supra centum sexaginta annos in vivis  
fuisse, ad quam ætatem nemo illorum tempo-  
rum, atque multo superiorum, perveniebat,  
siquidem plus 500. annis ante, vitam homi-  
nis videlicet, in qua esset aliquod corporis ro-  
bur, & vigor animi ad agendum, 80. annis,  
etiam in Potentatibus David definierat, *Psal.*  
*89. & ¶ 8. & postea Eccl. 18. dicitur, Numerus*  
*dierum hominum ut multum centum anni.* Ergo  
credibilitate caret, quod Zorobabel, & Josue  
ultra 140. vitam perduxerint vt vult Scaliger.

7 Secundo: quoniam Judæi Salvatori nos-  
tro dixerunt, vt est apud *D. Ioann. capit. 2. qua-*  
*draginta, & sex annis adificatum est Templum,*

¶

O tu in tribus diebus excitabis illud? Et sane dixerunt hoc Judæi tanquam rem apud ipsos testatam, & per vulgatam, quamque ipsi partim ex historijs, partim ex traditione maiorum competitissimam haberent, quoad hoc saltē, ut Templi illius constructio per plures annos non duraverit; si enim ab ipsis sciretur, maioris fuisse durationis, id profectō non reticerent, dum sui Templi magnificientiam efferre contendeant.

8 At ille numerus quadraginta sex annorum ad opinionem Sulpitij, & Scaligeri nullo modo quadrat: quippè à secundo Cyri Regis anno, quo Templum, iactis fundamentis, ædificari cœptum est, usque ad sextum Darij Nothi annum, ut paulo ante diximus, inveniuntur centum, & decem novem anni: igitur stare non potest, quod in sexto Darij Nothi anno

Templi ædificatio perfecta  
fuerit.



## SECTIO DECIMAQUARTA.

*EMERGENS QUÆDAM DIFFICULTAS  
circa tempus ædificationis Templi à Zorobabele, &  
Socijs conditi, elucidatur; ostenditurque nullum ab  
Herode construnctum Templum: ac locus D. Ioan.  
cap. 2. v. 20. ut intelligendus veniat?*

**I** Pponet ergo quispiam: à sexto Darij Histaspis anno si recurramus usque ad secundum annum Cyri, non plures reperientur anni, quam viginti, quoniam Cyrus imperavit solum annos septem, Cambyses octo, & Darius Histaspis sex, usque ad Templi perfectionem: qui omnes sunt anni viginti & unus: igitur si Templi fundamenta iacta fuerent anno secundo Imperij Cyri, & solutæ captivitatis, ut liquet ex lib. 1. Esdræ, cap. 3. v. 8. fit, ut non annis quadraginta sex, ut a Judæis dictum fuit, sed annis viginti fuerit ædificatio Templi peracta.

**2** Ab hac difficultate aliqui se expediunt, posita Babylonicae captivitatis solutione in primo anno non Imperij, sed Regni Cyri, quibus annis, si addas annos Cambysis, & Darij, ad eum fere numerum annorum quadraginta sex pervenietur. Sed fundamentum huius responsionis in

*Emergens quedam difficult. &c. Sec. 14. 307  
in Dissertatione 10. Sect. 10. num. 7. Et Sect. 26.  
num. 6. & seqq. oppugnatum manet, ibi enim  
ostensum fuit, Septuagenariam Judæorum cap-  
tivitatem finitam fuisse anno primo Imperij Cy-  
ri, non regni.*

3 Nec admitti valet, quod Heracleon apud Originem in Joannem dixit, nimirum de primæ-  
vo Salomonis Templo loquutos fuisse Judæos,  
illudque 46. annis ædificatum fuisse, de qua opi-  
nione Origines ipse dubitat, sed nulla videtur  
esse sufficiens dubitandi ratio; etenim Salomo-  
nis Templum septem annis, & septem mensibus  
ædificatum est, ut habetur lib. 3. Reg. cap. 6. v. 38.  
ibi: *Anno quarto fundata est domus Domini in  
mense Zio: (ipse est mensis secundus) & in an-  
no undecimo, mense Bul, (ipse est mensis octauus)*  
*perfecta est domus in omni opere suo, ædificavit  
que eam annis septem.*

4 Nec sufficit quod à tempore, quo per David eius Templi præparatio cœpta fuit, usque ad perfectionem illius, 46. anni confiantur; ad-  
huc enim violenta est hæc expositio; quia Ju-  
dæi loquebantur de Templo, quod tunc erat, ac Salomonis Templum eversum fuerat à Nabu-  
zardan: l. 4. Reg. c. 25. non igitur de illo Judæi lo-  
qui poterant. Deinde licet putentur anni à tépo-  
re quo cogitavit David de Domo Dei ædificāda,  
non invenientur anni 46. sed quadraginta &

vnuſ, quippe anno vndecimo Regni ſui David coepit cogitate de conſtruendo Templo, vt edo- cent Salianus, *Anno Mundi 2990. num. 45.* Ti- rinus in *Chronico, cap. 28.* Torniellus, & alij; ab illo autem anno viſque ad vndecimum Salomo- nis ſolum numerantur anni 41.

5 Propterea alij de Templo ab Herode conſtructo interpretantur illa Judæorum verbas illud quippe Templum ſtabat Christi Domini tempore, & à Romanis 40. post annis eversum eſt, iſpumque 46. annis conſtructum fuſſe, dicunt; Herodes enim Ascalonita infantes occidit, quo ſibi nomen Meliæ vendicaret, ac ut Regnum Judææ ſibi, viſque posteris ſtabiliret, Templum novum, & auguſtiuſ erexit, quam opinionem amplectuntur Cardinalis Baronius, *Anno Chri- ſti Domini 31.* Et P. Tirinus in *Chronico sacro,* cap. 45. Et quidem Templum ab Herode exca- tatum à fundamentis, tradunt Jofephus, lib. 15. cap. 14. Et Jofephus Gorionides, lib. 5. capit. 25. tum P. Ribera in *Aggeum, cap. 2. num. 43.* & ſeqq.

6 Cæterum hæc tententia refeluit primo; quoniam Herodes non tam novum Templum conſtruxit, quam vetus Zorobabelis ornavit, pat- tem eius deponuit duntaxat, vt altius, angustius, & ornatius erigeret. vt ex Hegelippo, & alijs nervosè probat P. Villalpandus, lib. 5. de *Templo,* d. 4. capit. 67. & ſequentibus, idemque multis

ſta-

*Emergens quædam difficult. &c. Sec. 14. 309*  
Stabilit P. Salianus, tom. 6. Anno Mundi 4035.  
num. 5. & sequentib. Scutarius in Opusc. de Herod-  
e, cap. 22. Gordonus in annum Herodis 10. Bar-  
radius, tom. 1. lib. 3. capit. 3. Cornelius in Ag-  
gæum, capit. 2. v. 10. Nec ab hac sententia mul-  
tum abest Baronius, *Anno Christi 31. num. 39.*

7 Secundò; quoniam Templum, sive ædifi-  
catum, sive ornatum duntaxat ab Herode, no-  
vem annis, seu octo cum dimidio perfectum  
fuit, ut ait Josephus, lib. 15. cap. ultimo: igitur  
quod Judæi dixerunt, 46. annis ædificatum esse  
Templum, intelligi non potest de structura, tem-  
pore Herodis incepta.

8 Tertio: Aggaeus Propheta, cap. 2. agens  
de Templo, quod ædificabatur à Zorobabele,  
& Iesu Josedecl, Sacerdote magno, consolatus  
Populum matrem de vilitate istius Templi,  
præ gloria, & magnificencia Salomonici; aitque  
maiorem fore gloriam domus istius novissimæ,  
quam primæ: gloriam autem eius petitum iri  
non ab auro, vel argento, lapidibus ve presiosis,  
aut eximio opificum, & architectorum artificio,  
quibus facile poterat nobilitatem Templum istud,  
si libuisset, cum Domini sit terra, & plenitudo  
eius, sed a præsentia corporea eius, qui est De-  
sideratus cunctis gentibus. Hæc enim est pla-  
nissima loci huius, communissimaque inter-  
pretatio, ut cernere est apud P. Cornelium, &

310 *Sacra Chronologica dissert. quartadecima;*  
alios supra laudatos Authores, iuxta illud Ag-  
gei, cap. 2. v. 8. *ET VENIET DESIDERATUS*  
*cunctis gentibus, & implebo domum istam*  
*gloria, dicit Dominus exercituum.*

9 Unde sic licet argumentari: domus, quæ  
ædificabatur à Zorobabele, erat novissima: er-  
go non fuit alia posterior ab Herode constructa;  
Antecedens habetur dict. cap. 2, Aggei, v. 10. ibi:  
*Magna erit gloria domus istius novissima, plus*  
*quam prima, dicit Dominus exercituum.* Secun-  
dò: Templum à Zorobabele ædificatum maio-  
ris futurum erat gloriæ, quam Salomonicum,  
sed non diviti structura, & ornamento mate-  
riali: ut subducitur, ex ipso loco Aggei, v. 4.  
igitur quia præsentia Christi Domini erat nobil-  
itandum: falsum igitur est, quod id Templum  
ab ipsis fundamentis eversum fuerit, & quod  
alius sit ab Herode constructum: alias ineficax  
esset consolatio marentibus à Propheta exhib-  
ita.

10 Respondebis ex P. Ribera, in *Aggeum*,  
cap. 2. Utrumque Templum, nempè Zorobabe-  
lis, & Herodis pro vno, eodemque sumi ab Ag-  
geo, quoniam vno everso, statim alterum in  
eius loco excitatum est: & confirmatur à præ-  
lagato Authore, ex ipso Aggei textu, capit. 2.  
v. 14. ubi dicitur: *Quis vidit domum istam in glo-*  
*ria sua prima. Quasi unica sit domus Salomo-*  
*nis,*

*Emergens quadam difficult. &c. Sec. 14.* 311  
nis, & Zorobabelis, sed sub diverso statu, pri-  
mum glorioſo, deinde vili, atque ignobili: eo-  
dem igitur modo vnum dicitur Templum Zo-  
robabelis, & Herodis.

11 Infringitur tamen haec ſolutio, quoniam  
non eſt quæſio de loquendi modo, ſed de re:  
dicatur utique vna domus, aut Templum, ſuc-  
cessivè, aut æquivalenter; re tamen ipſa, con-  
ſtat eſſe plures domiſi, & plura numero Tem-  
pla, quando uno funditus everso, alterum à fun-  
damentis excitatum eſt. Sicut plures ſunt nu-  
mero homines filius, & pater, licet legamus in  
Scriptura, Eccles. cap. 30. v. 4. Mortuus eſt pater  
eius, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reli-  
quit ſibi poſt ſe. Plures quoque ſunt Phœni-  
ces, quando uno mortuo, alter ex eius cineribus  
fufeitatur, & plures circuitus rotæ figuli, licet  
omnes ab eodem puncto inchoentur, & in co-  
dem finiantur. Sic ergo Prophetæ, licet vnam  
voceſ domum, duas tamen aperiè diſtinguit, &  
re vera diſtinctæ erant, cum opponens ſecun-  
dam primæ dicit: *Et quid vos videtis hanc nunc Posteriorem ſciliſt, quam ædificatis, loco al- terius, quæ à Chaldaeis combuſta fuit: ac proin- de non intendebat Aggæus loqui de gloria do- mus illius quatenus iſtaurata, & minus de ædi- ficiata ab impio Rege Herode.*

12 Præterea hoc Zorobabelis Templum,  
V 4 no-

312 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima.*  
novissimum fore magis gloriosum ex Messia  
præsentia , & mirabilibus eius operibus, in co-  
perficiendis, antegressa Domini verba per Ag-  
gæum clamant, cum ait, venturum desideratum  
cunctis gentibus, quæ alioqui frustra allata vi-  
derentur, itaque sensit omnis antiquorum Pa-  
trum , ac Doctorum chorus , ut perspicere est  
apud P. Villalpandum, *lib. 2. in Ezechielem, ca-*  
*pit.6. ¶ seqq.*, Cornelium à Lapide in *cap.2. Ag-*  
*gæi.* Signanter verò id docuere D. Augustinus  
de *Civitate Dei*, *lib. 18. cap. 45.* D. Hieronymus  
in *Aggaum*, vbi inquit, se non putare , esse ali-  
quem qui existimet, hoc loco Aggæum de ar-  
gento loqui, & auro, quod à divitibus posside-  
tur. Atque adeò neque de gloria architec-  
tura Herodis.

13<sup>o</sup> Sed nec Templum Hierosolymitanum,  
magnificentius Salomonico , ab Herode ædifi-  
cari potuit, id quod existimavit P. Ribera , pri-  
mò, quia ex consensu contradicentium, Salomo-  
nem ditionem fuisse , constat : subduciturque  
ex ingenti divitarum copia, quam à parente Da-  
vide præparatam habuit , ut legitur *lib. 1. Para-*  
*lip. cap. 22. ¶ 14. Et capit. 29. ¶ 1. ¶ 3.* Nec  
Herodes habuit 666. auri talenta per singulos  
annos , excepto eo quod accipiebat à mereato-  
ribus , & negotiatoribus , ab omnibus Regibus  
Arabiarum , & Principibus terrarum à flumine Eu-  
phra-

*Emergens quædam difficult. &c. Sec. 14.* 313  
phrate usque ad terram Philistinorum, & ad usque terminos Ægypti, quæ omnia Salomoni suppetebant, ut liquidum est ex lib. 3. Reg. capit. 10. v. 14. lib. 2. Paralip. cap. 9. Et lib 3. Reg. cap. 4. v. 21. & 24. de quibus erudite scripere P. Pineda, & Villalpando.

14 At iterum ex P. Ribera dicet quispiam; minus quidem attulisse per se Herodem ad Templi magnificentiam, quam Salomonem, sed adiutum reliquijs primi, & secundi Templi potuisse facere magnificentius. Verum quæ fuerint primi Templi reliquias, facile intelligitur ex varijs Scripturæ locis, quæ omnia incensa, eruta, exportata in Babylonem ostendunt, nempè lib. 4. Reg. cap. 25. v. 9. 13. 14. 15. 16. & 17. lib. 2. Paralip. cap. 36. v. 18. & 19. Adeoque contritum, & excisum fuit Templum, ut necesse fuerit Zorobabeli, novi Templi nova iacere fundamenta, ut habetur lib. 1. Esdræ, capit. 3. v. 6. & 10. cap. 5. v. 16. cap. 6. v. 3.

15 Quod ad secundum Templum attinet, Aggæus Propheta, cap. 2. v. 4. inquit, illud tantum cessisse primo, ut quasi nihil esset. Nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et licet ex cap. 10. v. 22. Evang. D. Iohannis, colligi videatur; tempore Christi Domini permisisse Porticum Salomonis; & consequenter illam ab incendio, & ruina fuisse præservatam; hanc tam

314 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
men id fatetur P. Villalpandus , tom. 2. vbi ait,  
Salomonis Porticum appellari , quæ ut loco, ita  
& forma respondebat pristinæ porticui , quam  
olim erexerat jāmplissimam Salomon in parte  
Templi Orientali circum atrium Judæorum ,  
quod proximum erat attio Sacerdotum , teste  
Josepho lib.6. de *Bello Jud.* capit. 6. proinde illa  
porticus, de qua D. Ioannes , amplitudine , &  
magnificentia valde impar fuit primæ , quam  
erexerat Salomon.

16 Conficitur ergo ex prælibatis , & alijs  
quæ doctè expendit P. Salianus , *Anno Mun-*  
*di 3035. num. 2.* & pluribus seqq. Herodem  
Templum Jerosolymitanum magnificentius Sa-  
lomonico nec excitasse , nec excitare potuisse;  
maximamqñ illius narrationis partem , qua id  
à Josepho asseritur lib.15. *Antiquit. cap. 14.* (vn-  
de adversæ sententiæ Authores præcipuum de-  
sumpsere argumentum) fictam ab ipso Josepho  
esse , ad extollendam gentem suam , præ omni-  
bus nationibus iam tum vilem , & despiciam, ut  
ex libris eius adversus Apionem perspicue in-  
telligitur.

17 Sed inquit P. Ribera , tam demens erat  
Josephus, homo Sacerdos , & eruditus , recen-  
tis Scriptor historiæ , vt notissimum , & impu-  
dentissimam mendacium vniuersis Judæis au-  
deret ostendere ? Tantum ne illi Herodis me-

mo-

motiæ favebant, ut opus insigne patrum suorum, impio Regi, & omnibus ingrato ascribi, paterentur? Respondetur verò ex traditis à prælaudato Saliano, per paucos, aut potius nullos fuisse superstites, qui eum mendacij possent redarguere; nam vt ex Josephi vita colligi potest, Antiquitates scripsit Domitiano imperante, cuius annus primus cedit in 84. Christi annuu, ex supputatione Cardinalis Baronij, adeoque cum Josephus de rebus gestis usque ad quartum decimum Domitianum annum scripserit, oportet, ut ante centesimum annum à Christi nativitate eius scripta non prodijssent, quo tempore ita rerum facies mutata erat, atque confusa apud Judæos, eversa funditus eorum Republica, vt Judæorum quisquiliæ, quæ supererant, Josephi scripta recognoscere, aut examinare negligenter, aut etiam Græcè scribentem intelligere non possent, aut subnixum Imperatorum benevolentia redarguere non auderent, cui in promptu erat inimicos vlcisci, vt ipsemet in extrema vita sua faretur.

18 Quod si studium amplificandi Judæorum genus, tum gratificandi Romanis Imperatoribus, & scribendi quæ vulgo ab Ethnicis probari possint, eo impudentiæ, (inquit P. Salianus, *Anno Mundi 4035.*) Judæum horamem adduxit, vt ea scriberet, quæ omnium seculorum pos-

316 *Sacra Chronologic.dissert.quarta decima.*  
posteritas, possit ex sacris literis coarguere , at-  
que convincere falsitatis : quid mirum ea scrip-  
ta ab illo fuisse , quæ sola scribentis Authoritas  
rata reddere videbatur , nec sacris libris , aut se-  
cetriore Authore refutari posse, existimaret? De-  
nique Josephi studium, atque ambitio magnifi-  
candæ gentis suæ, potentius fuit , quam eius in  
Herodem odium, accedente præsertim deside-  
rio gratificandi Agrippæ nepoti eius , cui erat  
Josephus charissimus , ut ex eius vita subduci-  
tur , & annotant P. Pererius in *Daniel. lib. 10. ad*  
*illud, Et post sexaginta duas hebdomad. ac Salian.*

*Ann. Mund. 4035.*

19 Propterea alij qui rectius mihi sentire  
videntur, existimant, vulgo creditum, atque iac-  
tatum , Templum id , quod tunc extabat , & ab  
Herode magnificè varijs in locis instauratum  
fuerat, 46. annis constructum fuisse; fama enim,  
longinqua præsertim , & missa per manus sine  
villo scriptaræ sufficienti fundamento, facile res  
super modum amplificat. Cum igitur quatuor  
Regum tempore videlicet Cyri , Cambysis,  
Smerdis Magi , & Darij Histaspis , constaret,  
Templum ædificatum, nec certi essent apud il-  
los anni singulorum Regum , Cyri præsertim ,  
qui credi potuit, ut nunc à plerisque etiam cre-  
ditur, anno primo Regni tricenarij non Imperij,  
solvisse captivitatem, & Templi struendi facul-  
ta-

*Emergens quædam difficult. &c. Sec. 14.* 317  
tatem dedisce, proclive fait, existimare, eam fa-  
briac supra quadraginta annos tenuisse, cum  
tamen re vera quadriennium tantum tenuerit,  
quo continentur ædificatum est. Quibus annis,  
si reliquos annos, quibus fundamenta iacta sunt,  
secundo anno Cyri, & quibus cessatum est, ad-  
diderimus, viginti annis Templum ædificatum  
esse, dicendum erit. Ita docet P. Salianus, *An-*  
*no Mundi 3537. num. 8.* Et Nicolaus Lombar-  
dus in *Esdram* quæst. 23. proemiali, suffragantur  
P. Cornelius in *Evangel. D. Ioan. capit. 2. v. 20.*  
Et ex antiquis Eusebius in *Chronico*, semel, atque  
iterum, ac *Chronicum Hebræorum*, & Genebrar-  
dus, qui asserunt quatuor annis Templum exci-  
tatum fuisse: Severus Sulpitius, lib. 2. Ita, in-  
quit, *Templum quadriennio consummatum est,*  
*sesto post anno quam Darius regnare cœperat.*

20 Quod si opponas, *Esdræ lib. 1. capit. 6.*  
dici, Et ædificaverunt, & construxerunt (sicilicè  
Templum) iubente Domino Israel, & iubente Cy-  
ro, & Dario, & Artaxerxe Regibus Persarum, ex  
quibus verbis colligi videtur, non sub Dario, sed  
sub Artaxerxe, Darij nepote, Templum fuisse  
perfectum.

21 Respondetur, Rabi Salomonem apud  
Litauum existimare, hunc Artaxerxem eundem  
esse, ac Darium Hyrcanidem, sed vocatum es-  
se Darium nomine proprio, Artaxerxem autem

318 *Sacra Chronologie.dissert.quartadecima:*  
nomine communī regio , quia secundum ipsum  
omnes Reges Persarū vocabantur Artaxerxes,  
sicut & omnes Reges Ægypti Pharaones, & Ro-  
mani Cæsares , cui nuncupationi adfentiuntur  
alij, presertim P. Salianus , & Nicolaus Lom-  
bardus in *Esdr.c.6.* compertumque est, Artaxer-  
xes dictos Longimanum Mnemonem, & Ochū.

22 Josephus verò existimat, hunc Artaxer-  
xem filium fuisse Darij , & vocat eum Xerxem,  
nomine proprio, cui interpretationi faverit Glos-  
sa Interlinealis, siquidem hoc *cap.6.Esdræ, v.14.*  
in hanc vocem *Artaxerxe*, hæc habet , qui post  
*Darium regnavit, & cuius tempore Esdras de Ba-*  
*bylonia in Ierusalem ascendit.*

23 Cæterum P. Salianus, *An. Mundi 3536.*  
postquam dixit, Esdram conieciisse in hunc lo-  
cum omnes Principes Persarū, qui res Judai-  
cas promoverunt à soluta captivitate, addit, etsi  
enim solus Darius , scilicet Hystaspis , Judæis  
favebat , Cyrus tamen per repetitionem, Arta-  
xerxes per occupationem , rethoricum scilicet  
Schema , recensentur , quod sanè de Artaxerxe  
Longimano, Darij quidem non filio sed Nepo-  
te, intelligendum, quoniam Artaxerxes misso au-  
to. & argento, iussit, vt omne quod ad ritum Dei  
Cœli pertinet, tribueretur diligenter in Domo  
Dei , vt constat ex lib. *Esdræ, capit. 7. v. 13.* &  
*Ieqq.* Ita P. Salianus , & Nicolaus Lombardus,  
*lib.1.Esdr.cap.6.*

Qui-

24 Quibus prælibatis, contra Scaligerum  
valide arguitur, quia sive Templum annis qua-  
tuor, sive 20. sive 46. ut Judæi putabant, fue-  
rit constractum, nullo modo perfici potuit sub  
Dario Notho, ut vult Scaliger, etenim ab hoc  
Persarum Regis anno sexto, ascendendo usque  
ad annum secundum Cyri, quo Templi fun-  
damenta iacta fuere, ut constat aperte ex lib. I.  
*Ezdræ, cap. 3. ¶ 8.* (vbi assertur, quod anno se-  
cundo adventus Judæorum in Jerusalēm, hoc  
est, anno secundo eorum solutæ captivitatis, sive  
Cyri Imperij, Zorobabel, & Josue cœperunt  
vrgere opus Domini, & fundatum à Cæmenta-  
rijs fuit Templum) ad id usque temporis, ut aie-  
bam, reperiuntur anni 117. non putatis extre-  
mis, ut ex Regum Persicis chronologia dixi-  
mus hac *Dissert.* 14. *Sec. 11. num. 6.* igitur Da-  
rius, sub quo intermissa Templi ædificatio ins-  
taurata fuit, non est Nothus, sed Hyrcaspis.  
Quapropter nequaquam ab anno secundo Da-  
rii Nothi, sed Hyrcaspis computandæ essent  
Hebdomades septuaginta, si quidem ab edicto  
Darii potestatem facientis ædificandi Templum,  
initium illarum desumendum esset; Darius  
quippè Hyrcaspis, non Nothus in Judæorum  
gratiam edictum tulit, de quo *Ezdræ lib. 1. cap. 6.*  
*Et Aggæi, cap. I.*

## SECTIO DECIMAQUINTA.

*SCALIGERI OBIECTIONIS RELIQUUM*

defringit, expenditque Zachariam cap. 7.

¶. 5. Et Daniel. cap. 10. ¶. 2. ¶. 3.

**I** ERGO quod inquit Scaliger, nullum deportationis, aut captivitatis tempore solemne institutum ieunium, nec alibi, quam Hierosolymis, & altari, iugique sacrificio stante, potuisse constitui, id inquam haud difficultè eliditur; siquidem Mardochæus, & Sther in Perside solemnia festa, non solum instituerunt, sed eorum quoque religiōnibus Judæos omnes obstrinxerunt, qui sub Asueri ditione morabantur, ut Stheris capit. 9. ¶. 20. liquet hiscè verbis: *Scripsit itaque Mardochæus, omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Iudeos, qui in omnibus Regis Provincijs morabantur, tam in vicino positis, quam procus, ut quartamdecimam, & quintamdecimam diem mensis Adar pro festis susciperent, & revertente semper anno, solemni celebrarent bonore.* Et ¶. 23. *Susciperuntque Iudei in solemnum ritum cuncta, quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda mandaverat.* Porro in illis literis Mardochæi etiam ieunia prescribebantur, ut constat ex eodem capit. ¶. 29. ¶. 31. ibi:

Si-

Scaligeri obiect. reliquum, &c. Sec. 15. 321  
Sicut constituerant Mardochæus, & Sther, & illi  
obseruanda suscepérunt à se, & à semine suo ie-  
junia, & clamores, & furtum dies.

2 Tum sic; Assuetum, cuius sub ditione  
Mardochæus, & Sther, aliquae plurimi Judæi  
morabantur, certum est, fuisse Persarum Re-  
gem, & proinde Judæos, in Perside commoran-  
tes, utique exules fuisse, at indicebantur illis fei-  
ta, ac ieiunia: igitur falso assevit Scaliger, nulla  
solemnia, nisi in Palæstina instituta fuisse; si-  
quidem Mardochæus, & Sther in Perside so-  
lemnissima festa, & ieiunia observari à cunctis Ju-  
dæis, in Perside existentibus, iusserunt.

3 Sed dices: possunt ne laici viri, qualis  
Mardochæus fuit, de sacris differere, aut Magis-  
tratus Politici, ac Civiles de rebus factis statue-  
re, ut ille quosdam dies sanctos habendos esse  
constituit? Respondetur: Mardochæum non  
tam absoluta, propriaque potestate dies festos  
statuisse, quam Summum Sinagogæ Pontificem  
de hac re monuisse, ut ex Philone notat Fevar-  
dentius in caput 9. Stheris, P. Cornelius inquit,  
Mardochæi epistolam postea à tota Synagoga  
fuisse confirmaram. Deinde cum Mardochæus  
spiritu propheticō gauderet, essetque Princeps  
exulum in Perside, potuit hos externos ritus in-  
ter suos instituere, quos postea Concilium Sa-  
cruum Hierosolymorum sua authoritate proba-

322 *Sacra Chronologic. differt. quarta decima.*  
ret, & confirmavit. Nec sine sacrorum virorum  
exemplis istud fecit Mardochæus, quando &  
David, & Salomon plurima prius instituerant,  
quæ ad ampliorem cultum Dei pertinenter; in-  
super Josaphat publicum ieiunium in toto Ju-  
da observandum, præceperat lib. 2. *Paralipome-*  
*nion*, cap. 20. ¶ 3. ibi: *Josaphat autem timore-*  
*perterritus totum se contulit ad rogandum Domi-*  
*ninum, & prædicavit ieiunium universo Iuda. In*  
*id etiam confert praetulus D. Aug. locus epist.*  
50. *at pro te nostra omnino liquidum fit, ieiunia*  
*instituta esse apud Judæos exules, & extra*  
*Hierosolymam commorantes.*

4 Quamobrem Scaligeri argumentum, ex  
9. cap. *Zachariae*, de promptum, penitus labef-  
ficit; quia ieiunium, quinti, & septimi mensis,  
de quo *Zacharias preicto capite*. iuxta D. Hiero-  
nymum, Cyrilum, & alios perdoctos Interpre-  
tes, intelligendum est de ieiunio indicto à Ju-  
dæis, septuagenariæ captivitatis tempore; id  
quod ut lucem accipiat, obiter supponendum,  
Hebreorum Menses inchoari, & numerati à  
Nilan, is enim erat anni sacri primus mensis,  
ex decreto Dei, *Exodi*, cap. 12. ¶ 2. ibi:  
*Mensis iste vobis principium mensum, pri-*  
*mus erit in mensibus anni. Utque observat P.*  
*Tirinus in Chron. cap. 4. ante captivitatem Ba-*  
*bylonicam hic primus mensis vocabatur Abib,*  
post

post captivitatem vero Nisan: Mensis secundus dicebatur Zius, qui & Jiar: tertius Sivan, quartus Tamuz: quintus Ab: sextus Elul: septimus Ethanim, qui & Thisri: octavus qui & Bul, Marcheluan: nonus Casleu: decimus Thebeth: undecimus Sebeth aut Sabath: duodecimus Adar.

5 Fit autem mentio mensis Nisan lib. 2. *Esdrae*, cap. 2. *Esther* cap. 3. v. 7. Mensis Zij, lib. 3. *Reg*. cap. 6. Mensis Siban, *Estb.* cap. 8. v. 9. Mensis Elul, lib. 2. *Esdrae*, cap. 2. v. 15. Et lib. 1. *Machab.* cap. 14. v. 27. Mensis Ethanim, lib. 3. *Reg*. cap. 8. v. 2. Mensis Bul, lib. 3. *Reg.* cap. 6. v. 38. Mensis Casleu, *Zacharie* capit. 7. v. 1. Et lib. 1. *Machab.* capit. 4. v. 52. Mensis Thebeth. *Esther* cap. 2. v. 16. Mensis Sabath, *Zachar.* cap. 1. v. 7. Et lib. 1. *Machab.* capit. 16. v. 14. Mensis Adar, *Esther* cap. 3. v. 13. Et cap. 9. v. 17. 19. O 21. Mensium autem quarti, & quinti fit tantum mentio ordine numerali, nempe quarti *Jeremiae* cap. 39. v. 1. O 52. v. 6. *Ezechiel* cap. 1. v. 1. Et *Zacharie* cap. 8. v. 1. Mensis quinti, *Numerorum* cap. 3. v. 38. *Jeremiae* capit. 28. v. 1. Et capit. 52. v. 12. *Zacharie* cap. 7. v. 3. O 5. Et cap. 8. v. 19.

6 Prælibata tamen mensium nomina non esse Hebraica, sed Chaldaica, inquit Aben Ezra in capit. 12. *Exodi*: P. Ricciolus lib. 1. *Chronol.* cap. 12. Chaldaica, aut Syriaca putat. Erantque illi omnes Lunares menses iuxta communem

sententiam, ut præcipue cernere est apud P. Cornelium in *Exodus cap. 12. ¶ 2.* & subinde eorum primus Nisan respondebat partim Martio, partim Aprili, & ea ratione consequenter reliqui menses correspondebant nostris. Quartus ergo mensis erat Tamuz, qui partim Junio, partim Julio nostro responderet, illiusque mensis die nona ieunabant Judæi, eo quod illo die a Chaldaëis præfractus, & interrupsus esset murus Hierusalem, ut patet *Jeremias cap 52. ¶ 6.* notantque D. Hieronymus, & Cyrius. Quintus mensis erat Ab, qui responderet nostro partim Julio, partim Augusto; huius die decima ieunabant Judæi, eo quod ista die à Chaldaëis urbs eversa fuit, & Templū inflammatum, ut patet *Jeremias 52. ¶ 12.* ibi: *In mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor Regis Babylonis: venit Nabuzardan Princeps Militiae, qui stabat coram R. ge Babylonis in Jerusalem: & incendit domum Domini.*

7 Septimus mensis erat Thistri, qui partim Septembri, partim Octobri responderet, huius die tertia ieunabant, eo quod illo die Godolias, qui erat Rex, seu Dux & spes Populi reliqui in Judæa, esset occitus ab Ismahele, ut habetur *Jeremias cap. 41. ¶ 1. & 2.* Decimus mensis erat Sebeth, qui partim Decembri, partim Ianua-

nuario respondet, huius decima die ieiunabant, quod eo die obvideri cœpit Jerusalem à Chaldais, ut constat ex lib. 4. Reg. capit. 25. v. 1. & Jeremie, capit. 39. v. 1. Et cap. 52. v. 4.

8 Cum igitur Judæi per septuaginta Babylonice captivitatis annos ea ieiunia observant, ac deinceps, donec Templum rursus ædificari ceptum est, & ad perfectionem fabrica properaret, vt deducitur ex eodem textu Zachariae cap. 7. ibi: *Cum ieiunaretis, & plangeretis in quinto, & septimo per hos septuaginta annos, interrogabat utique Populus, nunquid adhuc eis ieiunandum, ac flendum esset?* Huic quæstioni antequam directè respondeat Zacharias, obiurgat Judæos, quasi adhuc ijs suboffensus ob præteritas noxas, & cap. 8. v. 19. directè respondet, cessandum ab his ieiunijs tempore captivitatis institutis. Hæc est propria huius loci expositio, ut ex ipsa textus serie, & Interpretum sententia, præsertim P. Ribera, & Cornelij certare est.

9 Unde colligitur, decipi Scaligerum, primo, dum supponit, & inquit, septuaginta annos, quorum Zacharias eo cap. 7. meminit, numerandos ita, ut desinat calculus in tempus solutæ iam captivitatis Babylonice, quo scilicet tempore, Judæi Hierosolymis degebant; cum potius illi septuaginta anni sint ij, quos defo-

lationis , captivitatis , silentij ac solitudinis nuncupent sacri textus , præcipite *Hieremie capit. 25. v. 9.* proptereaque numerandi veniunt à primo anno imperantis Cyri , quando nempè soluta fuit Babylonica captivitas , usque ad annum captæ Hierosolymæ à Nabuchodonosore , seu usque ad annum undecimum Regis Sedeciae ; eo quippe septuagenariæ captivitatis tempore , ieiunabant Judæi , ut prælibatum manet .

10 Secundò , egregiè fallitur Scaliger , dicens , in captivitate nulla fuisse instituta ieiunia , cum potius , eo captivitatis tempore ieiunium quinti , & seoptimi mensis fuerit constitutum . De Paschate autem mitum non est , à Daniele in Babylone existente , fuisse prætermisum , neque enim alibi , quam Jerosolymis sacrificare Judæis licebat : *Levitici capit. 17. v. 3. & 4.* & ob hanc causam Judæi in Babylone Phasæ non celebraverunt , eundemque morem Daniel observavit , cum adhuc Babylone consisteret apud Cyrum Imperatorem , ut ex ipso Danielis *cap. 10. v. 1.* deducitur , idque adnotant , P. Pererius , & Cornelius *dict. cap. 10.*

11 De Azymis panibus dubitant Hebrei , præfertim Aben Ezra in *Scholijs ad caput 10. Danielis , commate. 40.* ubi incertus est , an primus qui dicitur mensis , Nilan , sit ? An primus anni ter-

tertij Cyri, apud quem Daniel degebant. Christostomus tamen *Oratione* 11. *contra Judæos*, Theodoreetus, alijque non solum Pascha, sed Azymorum quoque solemnies dies negant, in deportatione celebrari fas fuisse, & Judæos, qui Azymorum duntaxat religionem retinenter, ideo reprehendunt, ut observat P. Petavius in lib. 12. de *Doctrina temporum*, cap. 31.

12 Sed non eadem religionum aliarum, ac iejuniorum est ratio, quæ certo loco nequaquam ex lege sunt adstricta, quare ex Paschate, & ex Scenopegia non bene ratiocinatus est Scaliger, ut contra disertissimum Scripturæ testimonium negaret, ullum in deportatione seu captivitate solemnem diem, aut iejunum institutum fuisse, ut inde evinceret, annos septuaginta apud Zerchariam cap. 5. numerandos esse ab anno secundo Darij Nothi retro ascendendo, ut desinant in anno vigesi num octavum Darij Hyrcaspis, quando iam soluta captivitate Judæi Jerosolymis degehant, sed non dum Templum ædificaverant, ut frustra contendit Scaliger, quemadmodum, & quod ideo Septuaginta hebdomades apud Danielem inchoandas veniant, non ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani, sed à secundo Darij Nothi; cæterum huiuscmodi discursus sublestus, nulliusque roboris ostenditur ex prælibatis, quædoqui item tempore captivi-

328 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima.*  
tatis instituta fuere ieiuua , Templumque per-  
fectum est anno sexto Darij Hystraspis.

13 Quod si quispiam inquirat , cur Daniel  
ne dum Pascha non celebrat , verum etiam an-  
no iam tertio Cyri ieunat , & luget , ut habe-  
tur citato cap. 10. siquidem biennio ante laxata  
Hebræorum captivitate , Populoque suo in pa-  
triā reverso , atque inchoata iam Templi ædi-  
ficatione , nulla quidem mærendi , ac lugendi ,  
magna potius lœtandi , & gaudendi causa esse vi-  
debatur ? Quatuor possunt inveniri causæ , et que  
iustissimæ mætoris , ac luctus Danielis . Prima  
causa fuit deploranda improbitas , & pervicacia  
Judæorum , qui donata omnibus Judæis à Cyro  
libertate , nihilominus tamen Babylone com-  
plures remanerant , honorum , quæ Babylone  
possidebant , amore capti : sic docent Theodore-  
tus , Peterius , & Cornelius . At P. Salianus , *An-*  
*no Mundi 3519.* tardiorē existimat hanc ora-  
tionem , & corporis afflictionem , tertio nem-  
pè anno à libertate adepta peractam ; sed res-  
ponderi valet , id utique intervalli necessarium  
fuisse , ut Judæorum perspiceretur contumacia ,  
& permanendi Babylone voluntas .

14 Sed enim queret aliquis , cur ipse Da-  
niel cum ijs , qui redierant in patriam , non abie-  
tit ; ac potius cum impijs Judæis Babylone re-  
manerit ? Cui quæsitioni haud difficultèr oc-

curritur dicendo, quod quemadmodum Daniel non propter sua peccata ductus est in servitutem; sed Deus, Populi prospiciens utilitati, eum una cum ceteris in captivitatem abstrahi permisit, quasi curatorem, & magistrum quendam simul cum ipsis mittens: ita etiam redditus tempore, cum plures Judaeorum Babylone remanere decrevissent, propterea divinus Propheta cum illis degere compellitur, ut ne spirituali cura proorsus desituti, in execrandam idolatriæ impietatem penitus laberentur. Sic Theodoreetus, ac Peterius.

15 Altera causa iustus Danielis fuit, quod ex literis suorum cognoverat, inchoatam Templi aedificationem fuisse a finitimis Populis, acerrimis Judaeorum hostibus, impeditam, atque interpellatam, eosque tanto esse apud Regem Cyrusum usos artificio, ut ille non parum de priore erga Judaeos benevolentia, & benignitate remissè videretur. Atque hoc ex his, quæ scribit Esdras cap. 4. non obscurè colligitur. Adduntque P. Gaspar Sanctius, Cornelius à Lapide, & Maldonatus, luxisse quoque Danielem, quoniam non poterat aliud a Rege edictum ad continuandum Templi opus impetrare, quod Cyrus ad bellum Scythicum protectus esset, & Cambyses eius filius, qui pro patre regebat Imperium, Judaeos non amaret.

16 Hæc secunda Danielis iunctus causa, quoad priorem partem sublîstens viique videatur, secus quoad posteriorem, absentiæ videlicet Cyri ob bellum Scythicum; et si id novissimè P. Tirino artisserit; oblistit enim id quod non semel diximus, auctoritate ducti, & ratione, nempè, Cyrum post adeptum Imperium. Medorum, Persarum; & Babyloniorum, septem annis regnasse, ut tradidit Xenophon, *in lib. 8.* Pædix Cyri, quod prabant quoque P. Riberia, in Zachariam, *cap. 1. num. 33.* Torniellus *in Sexta Ætate, anno 48. num. 5.* Salianus, *Anno Mundi 3523. num. 1.* & alij plutes. Igitur cum Daniel dicit. *cap. 10.* suam referat afflictionem ad annum tertium Cyri, ut ex initio ipsius textus probatur, non tam cito Cyrus ad Scythes profectus est, cum id bellum grave admodum fuerit, & ut omnibus in confessio est, in eo mortuus fuerit, qui tamen ad septimum annum produxit Imperium.

17 Tertia igitur mortis causa esse potuit, quod Daniel identidem memoria repetebat, & cum animo suo reputabat id, quod viderat, & audierat in superiori visione quæ in *cap. 8.* scripta est: videlicet de multis, & magnis calamitatibus, quibus rex quidam Græcorum, Antiochus Epiphanes, Judeos crudelissimè vexatus, & afflictus erat. Hoc Daniel mente vo-

*Scaligeri obiect reliquum &c. Sec. 15.* 331  
lutans, non poterat pro ea charitate, qua Popu-  
lum suum complectebatur, non ingenti mætore,  
luctuque compleri. Sic P. Peterius ratiocina-  
tur.

18 Quartam denique mætoris, & luctus  
causam designat idem per doctus Author, quod  
hæserat in animo, & mente Danielis id, quod ex  
Gabriele cognoverat in visione præcedentis *no-  
ni capit is*, tantam nimirum fore Populi Hebræi  
contumaciam, perfidiam, & cæcitatem, ut ip-  
sum Messiam acerba, & ignominiosa morte es-  
set necatus, quam ob tanti sceleris immanita-  
tem ipsum antea, tantopere à Deo dilectum, tan-  
tisque beneficijs ornatum, atque cumulatum  
Populum, in perpetuum ab ipso Deo repudia-  
tum, & abiectum iri.

## SECTIO DECIMASEXTA.

*ALIUD SCALIGERI PROPONIT,  
disjicitque argumentum.*

I Nsistit Scaliger, & adversus nostram  
sententiam in hunc modum differit.

In Persarum Regum serie cum tres  
omnino Darij sint, solus ille, qui Nothus nun-  
cupatur, inter duos Artaxerxes medius interia-  
cer, videlicet inter Artaxerxem Longimanum &

'Artaxerxem Mnemonem ; quare si ex scriptura probari posit, Artaxerxem quendam imperasse, ac post eum Darium : tum Artaxerxem : perspicuum erit, Darium istum non alium esse quam Nothum ; atqui *Ezdræ capit. 4. v. 6.* post Asuerum, quem Xerxem esse, vult Scaliger , subiicitur Artaxerxes, à quo prohibiti sunt Templum ædificare Judæi : mox *v. 24.* Artaxerxi illi Darrius dicitur successisse , qui Templi instaurandi potestatem fecit. Huic *capit. 7. v. 1.* Artaxerxes alias substituit, à quo Nehemias urbis struendæ facultatem obtinuit : Apparet ergo, Darium illum, sub quo Templum instauratum est, fuisse Nothum , Artaxerxem verò, qui Jerosolymæ ædificandæ facultatem concessit, fuisse Mnemonem.

2 His suppositis sit , quod cum urbs Jerosolyma ædificata fuerit post Templum structum, si hoc fuit ædificatum sub Dario Notho, qui post Artaxerxem Longimanum, ipsius Darij patrem, imperavit , profectò edictum de urbe struenda non potuit concedi ab Artaxerxe Longimano, ut nostra sententia habet; tum quia si Artaxerxes à quo Nehemias urbem ædificandi facultatem obtinuit, fuit Mnemon, Danielis hebdomadæ septuaginta non potuerunt inchoari à vigesimo anno Artaxerxis Longimani.

3 Respondetur, frustra in hoc discursu labo-

Aliud Scaligeri proponit, &c. Sect. 16. 333  
xare Scaligerum; licet enim aliqui existimaverint, Assuerum de quo Esdras cap. 4. v. 6. in illis verbis: *In Regno autem Assueri*, fuisse Xerxem, sic enim opinati sunt Chronicon Hebreorum, Genebrardus, Joannes Drusus in capit. 2. Esther. Junius, Calvisius, & si qui alij Sectarij, id quod Scaliger, lib. 6. de Emend. tempor. & in Eusebium, conatur evincere, ex sola ferè vocabuli enodatione; tamen communis, receptaque sententia edocet, Assuerum eo loci Esdræ, esse Cambysesem, ut cernere est apud Josephum lib. 11. Antiquit. capit. 11. P. Christophorum à Castro, in cap. 1. Aggei, sub initium Tirinum, in cap. 4. Esaræ, v. 6. Petavium, tom. 2. de Ration. temp. lib. 12. capit. 25. Salianum, Anno Mundi 3524. num. 1. Cornelium, in lib. 1. Esdræ, capit. 4. v. 6. & 7. idemque stabilivi, *Dissert.* 12. Sect. 7. Et *Dissert.* 13. Sect. 2. num. 12.

4 Idque ex ipso deducitur sacro textu, in quo nullius alterius Persarum Regis fit mentio ante hunc Assuerum, nisi Cyri, cui immediate in Imperio Cambyses successit, ut omnes factentur, tum Latini, cum Græci, qui res Persarum attigerunt, signanter Herodotus lib. 2. *Initio.* Josephus, lib. 11. *Antiq. cap. 2.* Thucydides, lib. 1. hist. Eusebii, in Chronic. Et Justinus, Xenophon, lib. 8. Pædia. Severus Sulpitius, lib. 2. *Sacra hist.* Nec Scaligeri fundamentum

334 *Sacra Chronologic.dissert.quartad.cima.*  
ex voce *Affuerus de promptum*, vlius et roboris,  
ut prælibavi, *Dissert. 12. Sect. 7. num. 8.* Et *Dissert. 13. num. 11.* idemque observat P. Cornelius, in *hoc capit. 4. Esdræ, ¶ 6. ¶ 7.* Nomen  
quippè *Affueri* commune erat regum Persarum, ut mox vterius inclaret.

5 De Artaxerxe autem, cuius meminit *Esdras eod. lib. 1. cap. 4. ¶ 7.* ibi: *Et in diebus Artaxerxis*, existimavit Rabbi Salomon, apud Lyram, fuisse Cyrus, quem, inquit, nomine proprio Cyrus, fuisse nuncupatum, communive-  
ro regni, Artaxerxem, eiusque filium fuisse *Affuerum*: annotat tamen idem Lyra, non satis sui  
memorem eundem Hebreum Scriptorem dixisse in *Danielis cap. 2.* inter Cyrus, & *Affuerum*  
intercessisse Cambysem.

6 Alij verò docent, Artaxerxem in hoc lo-  
co esse Smerdem Magum, qui Cambysi suc-  
cessit, & se per fraudem in Persarum Imperium  
intravit, à qua tententia stat P. Christophorus à  
Castro, in *cap. 1. Aggæi, sub initium*, & in idem  
placitum propendet P. Petavius, *lib. 12. de Doc-  
trina tempor. cap. 25. fine.*

7 Preferenda tamen est expositio docens, in  
hoc *Esdræ cap. 4. ¶ 6. ¶ 7.* *Affuerum*, & *Artaxerxem* esse vnum, eundemque Persarum Re-  
gem, nomine proprio Cambysem. *Affuerus*  
enim Chaldaicè, Persicè *Artaxerxes*, erat com-

mune nomen regum Persarum, sicut Ægyptiorum Pharao, & postea Ptolemæus, ut dixi *Dissert.* 13. *Sect.* 2. *nun.* 11. & ita esse probatur ex *Ezher. cap. 1. ¶ 1.* collato cum *cap. 13. ¶ 1.* nam in priori loco Persatum Rex vocatur Assuerus, ibi : *In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem Provincias.* In posteriori autem, idem dicitur, *Rex maximus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem Provinciarum Principibus,* &c. Ideoque Scaliger *Sect. 6. part. 2.* alijque apud P. Cornelium, afferunt, hæc nomina fere idem esse, idemque significare, scilicet Oxyares, Ochyssoaerces, Ochosoarses, Xerxes, Assuerus, Arxares, Artaxerxes, vel ut Persæ pronuntiant, Xestes, Artaxestes, vel Artaxata ; ita enim *lib. 1. Esdr. cap. 4. ¶ 3.* est in Hebræo.

8 Ceterum observandum primò, quod licet prædictæ voces similem habeant significatiā, tamen nonnullæ earum quasi propriæ factæ sunt aliquorum Persicis Regum, ita ut alijs Regibus non tribuantur, sic Xerxes, identidem nuncupatur Darij Hystaspidis filius, consimiliter Xerxes Secundus dictus eit filius Artaxerxis Longimani, ut cernere eit in Cresia, & Diodoro Siculo : Artaxerxes quoque signatè appellati sunt Longimanus, Mnemon & Ochus,

336 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima.*  
ut apud Authores Chronologos, & Historicos  
perspicuum est.

9 Secundò venit observandum , nullius ro-  
boris esse argumentum , quo ntititur Scaliger ad  
asserendum , quod Xerxes, Darij Hyftaspidis fi-  
lius facit Assuerus Estheris Maritus ; ex voce  
quippè ipsa Assuerus vult Scaliger, intelligi de-  
bere Xerxem prædictum , cum ipsa Assueri no-  
menclatio communis fuerit Persidis Regibus,  
ut iam prælibavi in *Dissert. 12. Sect. 7.* & alijs  
locis.

10 In hoc igitur *capit. 4. Esdr. v. 7.* Artaxerxes censendis est Cambyses, qui Chaldaicè  
dictus est Assuerus ; id quod fulcitur ex multis  
Codicibus , qui hic v. 6. sic habent. *In Regno*  
*Assueri , ipse est Artaxerxes , imo sic habet Edi-*  
*tio LXX. Sixti, & Complutensis , idem patet ex*  
*Josepho.*

11 Ratio autem, ob quam hoc loco Cam-  
byses nuncupatur Artaxerxes , adnotante Caie-  
tano, & alijs, est, quia Esdras descripturus quod  
Præfecti ad Regem scriperunt , more Hebræo,  
resumit tempus , quo scriperunt , nominando  
eundem alio nomine scilicet Persico , quod ip-  
se epistolis suis præfigere solebat : videtur  
enim Esdras ex publicis Chronicis , & Diariis  
Persarum , epistolam Samaritanorum descrip-  
sis

*Aliud Scaligeri proponit, &c. Sect. 16.* 337  
fuisse, cum suo titulo, qui erat, *Et in diebus Artaxerxis*; ita ut quem Esdras vocat *Affuerum*, Chronica Persica vocarent *Artaxerxem*, sic P. Cornelius, & alij.

12 Deinde Artaxerxem, de quo in hoc c. 4. ¶ 7. Esdras loquitur, non fuisse Longimanum, patrem Darij Nothi, sub quo Templum fuisse ædificatum, vult Scaliger, conficitur ex *Aggai cap. 2.* ¶ 4. ubi cernere est, Judæos nonnullos, qui primitus è Jerusalem captivi adducti fuerant in Babylonem adhuc superstites, videntes Zorobabelis Templi novam fabricam, memores Templi prioris Salomonis, posterius hoc quasi parui, vel nullius pretij habuisse.

13 Tum sic: à combusto Templo Salomonis per Chaldaeos, usque ad Darium Nothum fluxere anni 184. iuxta rectam P. Saliani Chronolam, & liquet ex Persarum Regum serie, in fine huius *Dissertationis*, computatis etiam annis septuaginta captivitatis Babylonicas. Judæi ergo superstites tempore ædificationis Templi Zorobabelis agebant annos 184. imo plures, ferèque 200. additis nempè annis septem ante captivitatem, & sex Regni Darij, quando Templum est perfectum. Quis quæso, illo ævo, vitam prorrogabat ad 200. annos? Fateamur igitur, Darium, sub quo Zorobabelis Templum est ædificatum, non fuisse Nothum,

sed Histyipidem, & consequenter Artaxerxem, de quo Esdras hoc cap. 4. v. 7. non fuisse Longimanum, sed potius Cambysesem.

14 Id quod stabilitur vterius; etenim Artaxerxes, de quo indic. c. q. prohibuit Urbis Jerosolymæ, ac Templi edificationē, vt expreſſe habetur eo in textu v. 21. ibi: Nunc ergo audite sententiam: Prohibeditis viros illos (scilicet Iudaos) vt Urbis illa (nempe Jerosolyma) non adificetur, donec si a me forte iustum fuerit. Et v. 24. Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem, & non fiebat usque ad annum secundum regni Darij Regis Persarum.

15 Postò Artaxerxes Longimanus Nehemia facultatem ædificandi Ierusalem piè admodum laetus fuit, vt probatur ex lib. 2. Esdræ, capit. 2. Hunc verò Artaxerxem, qui ad eos benevolos Hebreis extitit, non fuisse eundem, qui id prohibuit, subvenit ex eo, quod in citato lib. 1. Esaræ, capit. 4. v. 24. asseratur intermissum fuisse opus domus Domini usque ad annum secundum Darij Regis Persarum: in confessio quoque est cunctis Interpretibus, & Chronologis; prius fuisse Templum construunt, & perfectum. Duce Zorobabele, deinde Duce Nehemia Urbem Jerosolymam ædificatam: & consequenter Artaxerxes apud Esdras cap. 4. non fuit Longimanus, vt Scaliger contendit, sed potius Cambyses. Hinc

16 Hinc conficitur, nec verum esse quod alij existimavere, nimirum, Assuerum, cuius meminit Esdras eod. cap. 4. fuisse Smerdem Magum, hic enim brevissimo tempore regnavit, Iepicem nempe mensibus, quare difficulter ea accusatio, qua adversum Judæos ab eorum hostibus facta describitur, citato loco, ¶ 6. & eiusdem responsio, ipsius exiguo imperio adscribi potest; præsertim cum ille, timore perculsus, ut potè tyrannus, sempè lateret, & ne vxoribus quidem suis se videndum præberet; ut ex Herodoto notat Salian. quapropter dicendum venit, prædictum Assuerum fuisse Cambysem, eundemque in *dic. c. 4.* ¶ 7. nuncupatum Attaxerxem.

17 Ruit igitur contortum Scaligeri sophisma de Dario, duplici Artaxerxe septo, falsum quippe est, solum Darium Nothum inter duos Artaxerxes reperitis; nam Dario Hyrcani præcessit Cambyses, Cyri filius, & Artaxerxes appellatus; successoremque in Regno idem Darius, post Xerxem filium, habuit Attaxerxem Longimanum, ut ex Æliano lib. 13. cap. 3. Diodo, Justino, & alijs, tradunt Salianus Peterius, Titinus, ac Ricciolus.

18 Post Artaxerxem Longimanum regnabit eius filius Darius Nothus, illiusque successor, & filius fuit Artaxerxes Mnemon, ex traditione *Dissert. Sect. 6. num. 4.* & seqq. Ex præ-

340 *Satira Chronologic.dissert.quartadecima:*  
dictis autem Darijs, non Nothus, sed Hystris-  
pides edictum protulit, vt Templi opus inter-  
missum, perficeretur, iuxta id quod legitur Es-  
dræ lib.1. cap.6. ex communi Chronologorum,  
Interpretum, & Doctorum consensu, annotan-  
te P. Cornelio in lib.1. Esdræ, cap. 4. & conse-  
quentè Artaxerxes, qui post Darium instauran-  
di Jerosolymam potestatem dedit Nehemias,  
perfecto iam Templo, non fuit Mnemon, nec  
ab illius tempore inchoandæ sunt hebdomades  
septuaginta de quibus Daniel, sed à tempore  
Artaxerxis Longimani.

## SECTIO DECIMASEPTIMA:

### OBJECTO ALIA PROPONITUR.

I **P.** Tirinus cap. 38. *Chronici, conclus s.*  
iuxta sententiam relatam *Sect. 4.n.9.*  
cui subscribunt P. Cornelius, & alij,  
ostendere conatur, vigesimum annum Artaxer-  
xis Longimani, quo Nehemias è Perside Hie-  
rosolymam excurrit, & murum urbis instaura-  
vit, non esse vigesimum, ex quo è morte paren-  
tis sui Xerxis solus Imperium administravit, vt  
nos diximus, & stabilivimus, sed esse vigesimum,  
**ex quo ipse**, vivente adhuc parente Xerxe, si-  
mul cum eo regnare coepit, cum Xerxes ingen-  
tem

tem illam adversus Græcos expeditionem suscipere, anno regni sui quinto, & consequenter eiusdem Artaxerxis annum vigesimum tertium, quo Nehemias solemnem urbis ædificationem celebravit, esse vigesimum tertium ex quo simul cum Xerxe imperare coepit, qui est annus à morte Xerxis, ex quo solus imperavit Artaxerxes, octavus, nec enim Xerxes imperavit nisi viginti annis.

2. Idque probatur ex Josepho lib. II. Antiquitatum, capit. 5. qui dicit, annum vigesimum Artaxerxis, quo, lib. 2. Esdræ, capit. 1. v. 1. Et cap. 2. v. 1. Et 11. Nehemias dicitur è Perside milles Jerosolymam, esse vigesimum quintum ab exordio Regni Xerxis, & triennio post fuisse celebra Encœnia Urbis, anno vigesimo octavo, ab eodem exordio eiusdem Xerxis: Josephoque ad verbum subscriptibit Basilius Seleucus in Appodixi contra Judeos, qui idcirco ab illo anno vigesimo octavo Regni Xerxis septuaginta hebdomadas Danielis deducit.

3. Confirmatur ex Esdrâ lib. I. cap. 7. v. 8. ubi dicit, se Jerosolymam è Perside secundo rediisse, anno septimo Artaxerxis; si enim constaret Artaxerxem illum fuisse Macrochitam, seu Longimanum, colligi potest, ab octavo anno huius Regis inchoandas hebdomades septuagintaznam quod septimus ille annus fuerit ipsius à

342 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
morte Xerxis solitariè regnantis tunc vitro con-  
cedemus, inquit Tirinus.

4 Sed illud dubium redit, pergit idem Au-  
thor, ætas Esdræ, iusto proiectior, tunc futura,  
nempe 103. annorum; et si daremus eum in mor-  
te parentis sui Saraiæ, à Nabuchodonosore,  
tempore excidij Jerosolymitani ferro iugulati,  
4. lib. *Regum*, cap. *ultimo*, ¶. 18. & 21. mater-  
nis adhuc visceribus conclusum, & posthumum  
fuisse; tot enim, nec pauci annos fluxerunt  
ab excidio Urbis usque ad septimum annum  
Artaxerxis Longimani solitariè imperantis.

5 Verum ut vt de Esdra res habet, voluntu-  
ius sententiae Authores cum Patre Tirino ini-  
tium septuaginta heddomadum ab octavo an-  
no Artaxerxis solitatè regnantis esse numeran-  
das; solum ergo superest, ostendamus, unum, eun-  
demque annum esse hunc octavum Artaxerxis  
solius cum vigesimo tertio eiusdem, ex quo si-  
mul cum parente cœpit imperare: quo anno li-  
quer ex lib. 2. *Esdræ*, cap. 1. & 2. cum seqq. Ne-  
hemiam Urbi perficiendæ extremam manum  
imposuisse, & Encœnia celebrasse, ut supra dic-  
tum est.

6 Ut verò id ostendamus, abunde ex om-  
nium adversariorum sententia fuerit, si certæ, &  
exploratæ fidei Authoribus probari posit, Ar-  
taxerxem, non à morte demum patris, sed mul-  
tis

tis ante annis, vna cum patre Imperium admis-  
trasse: nam si id semel constituerit, omnes fa-  
ciliè admittent id cœptum fieri anno quinto  
Regni Xerxis, quando periculosa illam bellū  
adversus Grecos aleam subiit, & more Persis  
cæterisque Orientalibus Regibus usitatissimo,  
collegam tunc, & successorem in Imperio filium  
adscivit.

7 Assumptum autem probatur, quoniam Thucidides lib. 1. Belli Peloponensis, Charon, Herathostenes, & alij, quos citat, & laudat Plutarchus in Themistocle, Athenæus lib. 5. Cicero in Bruto. Et lib. 10. Epistolarum ad Atticum, epist. 6. Eusebius in Chronico, & D. Hieronymus, initio capit. 11. Danielis, pluresque alij antiqui. & Recentiores dicunt, Themistoclem, inclitum Atheniensium ducem, cum a suis ingratis civi- bus capitis condemnatus esset, in Asiam ad Artaxerxem Macrochiram, Xerxis filium, iam tunc in Perside imperantem, velut ad asylum confu- gisse, ab Artabano, militiae præfecto ad Artaxerxem introductum, regem more patrio vene- ratum fuisse, & ab eo Lampsacum dono acce- pisse, sed paulo post hausto veneno sibi ipsi mortem consivisse.

8 At ijdem Authores fugam hanc Themis- toclis adscribunt, alij decimo tertio, alij deci- moquarto anno Xerxis, LXXVII. Olympiadis

344 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima.*  
anno primo , mortem anno secundo. Simili-  
tèr constat ex Livio, Halicarnasseo, Plutarcho, &  
alijs, fugienti Themistocli Athenis, fuisse suffec-  
tum in eius locum Periclem, anno primo Olym-  
piadis LXXVII. ut ex Athenæo colligere est , ac  
denique compertum fit , Xerxem imperasse us-  
que ad annum primum LXXIX. Olympiadis,  
utique complectentem Imperij ipsius annum  
vigescimus : Ab adventu igitur Themistoclis in  
vivis adhuc, & in Imperio fuit Xerxes totis oc-  
to minimum annis, quot ab initio LXXVII. us-  
que ad initium LXXIX. Olympiadis efflu-  
xerunt.

9 Idem si opus esset, probare se posse , in-  
quit Titinus , ex simili fuga Timagoræ ad eundem  
Artaxerxem : idem ex annis Hieronis, Ge-  
lonis , & Thrasybuli, Regum Siciliæ , hoc ipso  
tempore fugæ Themistoclis, & Imperij Xerxis,  
ut Athenæus , & ex alijs Plutarchus , & Diodo-  
rus, referunt.

#### SECTIO DECIMAOCTAVA.

*IT OBVIAM PRÆLIBATÆ OBIECTIONI*  
*ostenditque non 23. sed 20. Artaxerxis anno perfe-*  
*ctum fuisse murum Ierusalem.*

1 **R**Espondeo igitur, præxaratam ob-  
iectionem multiplici ex capite de-  
pelli posse: primò quia supponit, Nehemiam an-  
no

no vigesimo tertio Artaxerxis solemnem Urbis dedicationem celebrasse, quæ suppositio inniti videtur Authoritate Josephi lib. 11. Antiq. cap. 5. vbi inquit: *Atque in hunc modum perdu-ravit (Nehemias) duobus annis, & tribus mensi-bus, tantum enim temporis elapsum est, donec ab-solverentur mænia vigesimo octavo Regni Xerxis anno, mense nono. Ubi tres annos, et si non inte-gratos, Josephus ædificationi mænium Jerusalem consignat: quapropter cum Nehemias id ope-ris aggressus fuerit, & inchoaverit anno Artaxer-xis vigesimo, consequenter asserendum venit, murorum dedicationem non nisi vigesimo ter-tio anno Artaxerxis celebratam.*

2 Verum enim verò quam exigui, imo nul-lius momenti sit in hac parte Josephi Authori-tas, haud difficultèr potest colligi, primò quo-niam viginti octo annos Regni Xerxi tribuit, qui ne vigesimum secundum explevit: ipseque P. Tirinus in *Cronico*, cap. 37. inquit, quod cum ferè biennio cum patre regnarat, solus postmo-dum viginti imperavit annos: igitur falsum cer-nitur, quod ædificatio murorum Urbis comple-ta fuerit anno vigesimo octavo Imperij Xerxis.

3 Secundò Josephus falsus deprehenditur in eo quod eundem Xerxem cum Artaxerxe fe-cerit, patrem nempè cum filio, ut observant Torquillus, *Sexta Ætatis anno 121. P. Salianus,*

346 *Sacra Chronologic. dissert. quartadecima.*  
*'Anno Mundi 3568. num. 5. & alij: ac subinde ip-*  
*se Josephus, quæ lib. 1. *Ezdræ*, cap. 7. sub Artæ-*  
*xerxe contigerunt, Xerxi adscribit. Propterea*  
*si quis Josephum, inquit Salianus, in Chrono-*  
*logia Sacra sequi velit, quin maximè falli, neces-*  
*se sit, nemo non videt.*

4 *Tertiò, ait Josephus ædificationis præ-*  
*dictæ opus absolutum fuisse mense nono, cum*  
*tamen sacer textus lib. 2. *Ezdræ*, capit. 6. v. 16.*  
*dissertè doceat, murum completem esse vigesi-*  
*mo quinto die mensis Elul, qui erat mensis tex-*  
*tus, ut prælibavi *Sect. 15. num. 4.* & 5.*

5 *Quartò, apertè erravit Josephus in-*  
*quiens ad duos annos, & tres menses mænium*  
*constructionem perdurasse, siquidem lib. 2. *Ez-**

*dræ*, cap. 6. v. 15. sic habetur: *Completus est au-*  
*tem murus vigesimo quinto die mensis Elul, quin-*  
*quaginta duobus diebus: ideoque notavit Nehemias,*  
*vniversas nationes circumpositas audisse,*  
*tam brevi tempore tantum opus absolutum*  
*fuisse, & animo intra semetipso concidisse, con-*  
*fiteri coactos, à Deo factum esse opus hoc. Fac-*  
*tum est ergo (ait dicitur cap. Nehemias, v. 16.) cum*  
*audissent omnes inimici nostri, ut timerent uni-*  
*versæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, & con-*  
*ciderent iatra semetipso, & scirent quod à Deo*  
*factum esset opus hoc.*

6 *Quinto, inconsequenter differere videatur*

P.

P. Tirinus, quoniam dicto cap. 38. Chron. in conclusione quinta afferit, annum vigesimum tertium Artaxerxis, quo iuxta eundem Nehemias solemnum Urbis dedicationem celebravit, esse vigesimum tertium ex quo simul cum parente Xerxe imperare cœpit, & octavum à morte Xerxis, ex quo solus imperavit Artaxerxes: igitur Artaxerxes cum Xerxe imperavit quindecim annis; ablatis quippe octo annis à viginti tribus subremanent quindecim anni regni Artaxerxis simul cum Xerxe imperantibus. At idem Tirinus in precedenti cap. Chronicorum, inquit Artaxerxem decem sex annos cum parente transfigisse: non ergo sibi constat Tirinus: tum quia si decem sex annos cum Xerxe regnavit Artaxerxes, istius annus vigesimus tertius ex quo simul cum patre imperare cœpit, esset septimus, à morte Xerxis, cum tamen Tirinus afferat, esse octavum.

7 Mitto etiam, Xerxem regnasse à morte parentis Darij annos viginti duos, & neutriquam cum patre in imperio transfigisse annos duos, sicut inquit Tirinus, verumtamen integratos viginti duos annos Imperij Xerxis enumerandos esse à morte Darij Hyrcanidis docent, Torniellus, *Anno sextæ Ætatis 144.* P. Salianus, *Anno Mun. 3589.* & saltem viginti unum adscribunt illi Severus Sulpitius *lib. 2.*

348 *Sacra Chronologic.dissert.quarta desima.*  
*Sacra Histor.* Diodorus Siculus lib. 11. Paulus  
Orosius, & Vener. Beda lib. de Sacra Etatibus,  
quos Laudat P. Pererius in *Danielem*, lib. 13. ca-  
pit. 11. ad illa verba: *Ecce tres adhuc Reges.* Ric-  
ciolus in *Chronolog.* lib. 5. cap. 7. num. 4.

8 Et licet assentiamur Herodoto, cui com-  
munitè subscribunt Chronologi, & Historici,  
aienti, quòd inter Darij liberos de Regni suc-  
cessione orta fuit decertatio, anno trigesimo  
quinto ipsius Darij, ille tamen cunctatus est fer-  
re sententiam, ne quid temerè in re tanta age-  
ret, & nimium cito fratres, se vivo, inter se com-  
mitteret, itaque neque ante ultimum vitæ, ac  
regni annum nempè trigesimum sextum, rem  
definivit. Unde quamvis Xerxes fuerit successor  
designatus, regis manus ante obitum patris non  
obivit, quapropter totos viginti duos annos  
Regni Xerxis, à morte Darij, cum Torniello, &  
Saliano censemus debere numerari: ex quo de-  
nuò ratio temporis à P. Tirino diducta ruit.

9 Haud tamen me latet, Historiam Scho-  
lasticam, Cajetanum, Vatablem, P. Marianam,  
& Sa, numerare illos quinquaginta duos dies  
constructionis Jerosolymæ non à primo adven-  
tu Nehemiac in Urbem, seu ab initio fabricæ, sed  
à tempore quo missa est epistola illa à Sanabali-  
lat, quæ refertur lib. 2. *Ezdra*, capit. 6. v. 6. &  
seqq. & à minis, & insidijs illius Nehemiac in-  
ten-

rentatis. Cæterum id sine ullo sufficienti Sacra Scripturæ fundamento dici videtur, imò non obscurè illi repugnat, quæ ait, missos quater nuntios ad Nehemiam, ut illum à murorum structura inchoata arcerent, & postremo epistolam: sic enim inquit Nehemias dict. capit. 6: Cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Gosem Arabs, & ceteri inimici nostri, quod ædificarem ego murum, & non esset in ipso residua interruptio (usque ad tempus autem illud valvas non posseveram in portis). Misserunt Sanaballat, & Gosem ad me dicentes: Veni. & percutiamus fœdus pariter in viculis in Campo Ono. Ipsi autem cogitabant, ut facerent mihi malum. Missi ergo ad eos nuntios dicens: Opus grande ego facio, & non possum discedere, ne forte negligatur, cum vene-ro, & descendero ad vos. Misserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: & respondi eis secundum sermonem priorem. Et misit ad me Sanaballat iuxta verbum prius quinta vice puerum suum, & epistolam habebat in manu sua scriptam hic modo, &c. plenam scilicet terroribus, & calumnijs, quibus minimè perterritus Nehemias ædificationi impecumbebat, eamque prædictis quinquaginta duobus diebus complevit.

10 Tum sic: si hi dies tantum computandi essent ab accepta epistola, circa finem operis,

nihil esset causæ, vt opere absolute mirarentur gentes, quæ erant in circuitu, & timerent Iudeos, agnoscerentque à Deo factum esse opus: Quid enim habet insigne, quod intra quinquaginta duos dies murus absolutus fuerit ab accepta epistola, imo si intra decem aut quinque, aut duos dies? Denique hæc nostra sententia videlicet structuram totam intra duos dies supra quinquaginta, divino auxiliante numine, perfectam fuisse tenent, & illustrant præcipue Torniellus, *Sextæ Etatis, Anno 164. num. 1.* P. Villalpandus, *tom. 3. par. 1. lib. 3. capit. 23.* Petrius, *lib. 10. in Danielē in septima opin.* ubi hanc sententiam confirmat ex Danielē cap. 9.

**II** Daniel enim ait, muros Jerusalem adiactum iri in angustia temporum, quod accipere potest, vel de vexatione hostium Iudorum, quos ita vexarunt, ut armis succincti adificare cogerentur; vel de brevissimo, angustissimoque tempore, quo adificatio fuit perfecta, nimirum diebus duobus, & quinquaginta: accinit P. Salianus, *Anno Mund. 3609. num. 60. O. 61.* Unde fit, ex traditis in hac parte à P. Tirino haud confici, quod Artaxerxes Longimanus regnare coepit simul cum eius patente Xerxe, & quidem pluribus ante ipsius obitum annis, id quod hic Author intendit, vt inde statuere valeat, annum vigesimum Artaxerxis quo Nehemias edi-

ctum

Quum de ædificanda Jerosolyma impetravit, numerandum esse ab anno primo, quo prædictus Artaxerxes, vivente Xerxe, imperatoris munere fungere cœpit.

## SECTIO DECIMANONA.

**E**ANDEM DIRIMIT OBIECTIONEM, ET ostendit, Themistoclem, non ad Artaxerxem, sed ad Xerxem configisse.

**F**undamentum aliud, quo innitur P. Tirinus est fuga Themistoclis ad Artaxerxem, quæ contigit anno tertio decimo, aut quarto decimo regni Xerxis; consequenterque iam tunc temporis cum Imperabat eius filius Artaxerxes Longimanus; sed respondeatur, triplici ex capite. Primo quidem plurimis, & gravissimis scriptoribus probato traditum est, Themistoclem in illa fuga ex Gracia in Asiam, non ad Artaxerxem, sed ad Xerxem patrem eius venisse, sic enim affirmant Ephorus, Dimon, Clytarchus, Heraclides, quos refutat Plutarchus in vita Themistoclis, & laudat P. Pererius, lib. 11. in Danielem, in fine 2. partis disputationis de 70. hebdomadis, idem quoque tradit Diodorus Siculus, lib. 11. Et P. Salianus, Anno Mundi 3609. num. 8. inquit, quod ex anti-

352 *Sacra Chronologie.dissert.quarta decima:*  
tiquis Scriptoribus nemo disertè afferuit, Xer-  
xem difficultimum illud bellum contra Græciam  
suscipientem regni collegam, & succéssorem di-  
xisse Artaxerxem.

2 Solùm quippè reperire est, quosdam ex  
antiquis præcipue Thucididem tradidisse, The-  
mistoclem confugisse ad Artaxerxem, cum ta-  
men plures, ut libavimus ex antiquioribus assi-  
guerint ad Xerxem confugisse, dissidentesque in  
hoc punto sententias historicorum refert Plu-  
tarclus, & quamvis priorem Thucididis opini-  
onem dicat magis cum Annalibus consentire;  
nihilominus ita Plutarchum Interpretes acci-  
piunt, ut Annales istos dubiæ esse fidei, signifi-  
cat; à qua acceptance non recedit P. Petavius  
*tom.2 de Doctrina temporum, lib. 10. cap. 25.* vbi  
ait: quos hic annales intelligat Plutarchus ab  
allo non exprimi, sed pessimos illos fuisse, neces-  
se est, si vera sunt, quæ Plutarchus in eadem  
Themistoclis vita prodidit.

3 Secundò: si Xerxes ad bellum proficisciens  
administrationem Regni filio reliquisset, vero-  
simile quidem est, id cum fuisse facturum eo  
tempore, quo primam illam, ac celeberrimam  
adversus Græcos expeditionem suscepit, quod &  
contrarij fatentur, id autem contingit primo  
anno septuagesimæ quintæ Olympiadis, ut ex  
antiquis Scriptoribus, multaque eruditione, ac  
di-

*Eandem dirimit obiection. &c. Sect. 19.* 353  
diligentia stabilit P. Salianus, *Anno Mundi* 3574.  
*num. 1. & 2. Et Anno Mundi* 3169. *num. 2. Et*  
*3574. num. 1. vbi docet esse communem sen-*  
*tentiam Diodori Siculi, Dionisij Halicarnasei,*  
*Eusebij, Herodoti.*

4 Hic ergo figendum esset principium Regni, seu illius administratio, quam absente patre inivit Artaxerxes, ex quo tempore, si annos regni eius numerare velimus, proculdubio annus Regni Artaxerxis vigesimus concurreret cum quarto anno 79. Olympiadis: ex quo anno usque ad Christi Domini Passionem, extremis computatis, colligentur anni 494. plures nempè quam sint anni septuaginta Hebdodomadum, etsi illas annorum solarium, & perfectorum intelligamus, prout observat P. Pererius lib. 11. in *Danielem in fine 2. partis, disp. de Septuag. hebdomad.*

5 Accedit quòd Authores contrariæ sententiæ, sive decem, sive sedecim annis Regnum Persarum decūttare coguntur, aut certè quinquaginta annos Artaxerxi, nullius autoritate sufficienti nixi, tribuere: patet quoniam anni Artaxerxis magna ex parte cum annis regni parentis sui Xerxis confunduntur.

6 Quinimo cum Tirinus ad annum quintum Xerxis referat initium imperij Artaxerxis Longimanus, ut in obiectione constat, decem

354 *Sacra Chronologic. dissert. quanta decima:*  
octo annos aufert è Regno Persarum: id quod,  
ut aliquatenus corrigat, Xerxi solum concedit  
annos viginti, sed filio eius Artaxerxi consig-  
nat annos 40. post obitum Xerxis, hoc est an-  
nos 56. ab exordio ipsius imperij, quod nullo  
sufficienti fundamento nititur, ut recte ani-  
madvertit Salianus, *Anno Mundi 3609. num. 8.*

7 Tertio Artaxerxes minimus natu erat fi-  
liorum Xerxis, ut ex antiquis Scriptoribus  
edocent P. Pererius, & Salianus, locis prænota-  
tis; & primogenitus, ad quem proximè iuxta  
Persarum morem, post Xerxem Regni succesio  
pertinebat, erat Darius, ut notant Diodorus,  
Justinus, & prælaudati Pererius, & Salianus;  
quamobrem Artabanus, qui occiso Xerxe, Reg-  
num sibi afferere moliebatur, primum filiorum  
Xerxis aggressus est necare Darium, quo sublato,  
postea & Artaxerxis vita insidiatus est. Non igi-  
tur credibile est Xerxem, posthabito Dario pri-  
mogenito, & per ætatem gubernaculis Imperij  
tractandis maturiori, parvulo tunc, & minori  
natu Artaxerxi administrationem Regni permi-  
ssisse.

8 Quattò: Esdras lib. 1. capit. 7. v. 8. nullo  
modo favet P. Titini sententiæ, sed ipsi potius  
adversatur; quoniam ibi assertitur, Esdram in  
Jerosolymam rediisse anno septimo Artaxerxis:  
hunc vero Artaxerxem fuisse Longimanum, re-  
cep-

**E** in item dirimit obiection. **Co. Sctt. 19.** 355  
ceptissima fert Interpretum, & Chronologorum sententia præcipue Julij Africani, Eusebi, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Theodoreti, Bedæ, & Rupertii, quibus ex Recentioribus adstipulantur, Gordonus, & Samerius in suis Chronologijs, Ludovicus Vives in lib. 18. de Civitate Dei, capit. 36. Peterius in Danielem lib. 11. quest. 4. & in serie Regni Persicis, Torquatus, Anno 146. sextæ æratæ num. 3. vt omittant Sectarios Fanceium, & Capellum.

**9** Nec Tirinus ab ac sententia recedit, imò insuper inquit, eundem annum septimum esse Artaxerxis Longimani, solitariè regnantis, à morte Xerxis: igitur Sacer Scriptor annos Artaxerxis numerat à tempore quo ille Imperium solitariè suscepit: ergo quando in lib. 2. Esdræ, cap. 2. v. 1. 6. & 9. conjunctis, dicitur Nehemiam Jerosolymam ascendisse, vibis reædifi. Caudæ causa anno vigesimo Artaxerxis, debet utique intelligi de vigesimo anno Artaxerxis solitariè etiam regnantis; alias Sacer Scriptor tempora confundere videretur. Tum quia nihil cogit id discriminis adstruere, vt primo loco Artaxerxes intelligatur solitariè regnans, secundò autem imperans cum Patre.

**10** Haud verò intelligentiae nostræ officit, quod de Esdræ ærate sibi ipsi opponit, nec diluit Tirinus, quippe natum esse Eldram circa an-

356 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
num vigesimūquintū Darij Hyrcanidis,& Mundi  
di 3556. putat Tornellius, *Anno 110. sextæ Æta-*  
*tis*, & probabile dicit P. Salianus *eod. An. Mund.*  
*num. 1. Annus ergo septimus Artaxerxis Longi-*  
*mani erat Mundi 3596. proinde hoc tempore*  
*quadragesimum duntaxat annum Esdras age-*  
*bat, in quo nihil incommodi reperitur.*

11 *Quod si opposas, in cap. 7. lib. I. Es-*  
*dræ, cap. 1. v. 1. Saraiæ filium nuncupari Es-*  
*dram: Saraiamque mortuum fuisse anno deci-*  
*mo nono Nabuchodonosoris, & primo desola-*  
*tionis, & captitatis Judaicæ, ut constat ex lib. 4.*  
*Regum, cap. 25. à quo anno ad septimum Artaxerxis Longimani 150. numerantur, videlicet*  
*septuaginta desolationis, & octoginta Regni*  
*Persarum: igitur Esdras, ut minimum 150. an-*  
*nos agebat illo anno septimo Artaxerxis, quod*  
*incredibile videtur.*

12 *Respondeo, alios mediatos antecessores*  
*inter Esdram, & Saraiam fuisse prætermisso,*  
*in dict. lib. I. Esdr. cap. 1. ut prælibatum est in*  
*hac Dissert. 14. Sect. II. num. 18. & 19. quam-*  
*obrem eo quod Esdras Saraiæ filius dicatur, sa-*  
*tis non evincitur, quod natus fuerit anno deso-*  
*lationis Hierosolymorum.*

13 *Dicendum ergo, Scripturam Sacram, lo-*  
*co Esdræ memorato, ut alias solet, filium pro*  
*nepote, aut pro nepote, more Hebraico usur-*  
*pa-*

*Eandem dirimit obiection. &c. Sect. 19.* 357  
passe, dum Esdram Saraiæ filium nuncupat, ex  
dictis *Sect. 11.* Idque multo probabilius credi  
posse, existimamus.

**14** Neque his obstant, quæ lib. 4. *Esdræ in*  
*principio 3. capit. traduntur, ex quibus apparet*  
*Esdram anno trigesimo ruinæ Jerusalem, non*  
*modo iam natum, sed etiam in virili ætate consi-*  
*tutum, id inquam, haud vrget, quia liber ille*  
*exauthoratus est, & inter apochriphos compu-*  
*tatur; tum quia ab alio cognomine Esdra con-*  
*scriptus creditur, ut ostendit Torniellus sub *An-**  
*no Mundi 3479. num. 2. Et Anno Mundi 3610.*  
*num. 28. ad stipulaturque P. Salianus, Anno Mund*  
*di 3476. num. 1. & 2. idque propè certum pa-*  
*tat Nicolaus Lombardus 4. quæstione præmiali,*  
*fine, in lib. I. *Esdræ*, videlicet quæ tradidi *Dissert. 10.**  
*Sect. 18.* Alij autem incommodum non existi-  
mant, *Esdræ* concedere, vitam protraxisse ad  
annos 140. quod tamen nobis displicet ex su-  
pradicis.

**15** Quod verò attinet ad Timagoram, Hie-  
ronem, Gelonem, & Thrasybulum, quos dicit  
Tirinus ad idem tempus fugæ Themistoclis  
pertinere, haud negotium facisit, primò quia si  
synchroni Themistoclis fuere, atque eodem  
tempore ad Persidem consugerunt, ostendimus  
iam id temporis consignandum Regno Xerxis,  
& consequenter non ad Artaxerxem se recepe-

runt. Secundò Timagoras civis Atheniensis à suis capitali supplicio affectus est, quod Darium, ad quem Legatus erat, amore Persarum per adulationem adorasset, ut referunt Suidas, & Valerius Maximus: igitur nec pertinet ad Artaxerxem.

16 Gelon autem, Syracusanus Tyrannus, Xerxi auxilium præstisse, inquit Herodotus lib. 7. cui subscribunt P. Gordonus tom. 1. Chron. ad Periodum 7. cap. 14. num. 14. Salianus, Anno Mundi 3573 num. 5. & notat Anno Mund. 3563. ex Pausania lib. 6. Syracusas per tyrannidem à Gelone fuisse occupatas, Olympiadis LXXII. anno secūlo, & Darij Hystaspidis trigesimo secundo, licet ipsius dominatus protensus fuerit usque ad quartum decimum Imperij Xerxis annum, vel etiam deinceps; quoniam postquam Pœnos superavit regnavit annis septem, ut ait Diiodorus lib. 11. vel tredecim iuxta Pausaniam. Fuit autem iste Gelon filius Dinomenis. Alius etiam Gelon reperitur Hieronis filius, qui ad Annibalem defecit, & ad posteria secula pertinet, scilicet ad annum tertium Punici Belli, ut ait Livius.

17 Hieron etiam duplex fuit primus Gelonis frater, & post illum Xerxis tempore regnavit, ut ex Herodoto edocet P. Gordonus dict. c. 14. ad Period. 7. num. 14. ad illumque multæ Pindari Odæ

Odæ scriptæ sunt. Alter est Hieron, Gelonis pater cuius res gestæ traduntur à Zonara, & alijs præsertim à P. Saliano, floruitque ab anno Ptolemai Philadelphi decimo sexto, finito iam Persarum regno, & currente anno quadragesimo primo, & secundo Olympiad. CXXVII. hoc est Anno Mundi 3783. usque ad annum Mundi 3840. ut ex antiquis Scriptoribus P. Salianus docet, adeoque pervenit illius Regnum usque ad annum Ptolemai Philopatoris septimum, Regni Græcorum 98. & Olympiad. CXL. annum tertium.

18 Denique Thrasybulus, anno secundo Olympiadis octavæ supra septuagesimam, ut scribit Diodorus lib. vii. mortuo fratri Hieroni successit Syracusis, & anno uno regnavit, indeque redditam Syracusanis ad annos Sexaginta libertatem, quando Dionysio patere, coacti sunt. Porro autem hic unius Thrasibuli annus incidit in annum vigesimum Xerxis, qui iuxta Herodotum identidem receptum, regnate coepit Olympiadis LXXIII. anno tertio: igitur ex hoc Thrasibuli regno, quemadmodum nec ex alijs prælibatis subsidij nihil pro sententia P. Tigrini subduci, aut expisci valet: tantum quippe evincitur, illos tempore Xerxis regnasse, et si per tyrannidem. Mitto alium Thrasibalum, Mileti Tyrannum, qui pluribus ratro seculis vixit,

360 *Sacra Chronologic. dissert. quartadecimā:*  
nempē Anco Martio, quarto Rom. Rege: sicut  
& alium posteriorem Thrasybulum, qui cum  
Thrasyllo democratiam Athænis restituit, im-  
perante in Perside Dario Notho, ut ex Thuci-  
dide lib.8. pag.595. edict. Græc. Lat. tradit P. Sa-  
lianus, *Anno Mundi* 3643. num. 1. O<sup>r</sup> 8.

## SECTIO VIGESIMA.

*ALIAM INFRINGIT OBIECTIONEM EX*  
*lib. 1. Esdræ, cap. 7. v. 18. 19. O<sup>r</sup> 20.*

1 **P**OTIOR fortè, & pulchrior subre-  
manet obiectione in hac Sectione con-  
vellenda; Rex quippè Artaxerxes  
dicitur dedisse Esdræ omnem petitionem eius;  
in eius autem postulatis videtur contineri potes-  
tas struendi muros Jerusalēm, quasi dixerit cum  
Davide, Regi Persarum, *benefac Domine in bona*  
*voluntate tua Sion, ut adificantur muri Jerusalēm.*  
Nam cum iam Templum extactum esset, impe-  
rante Dario Hystaspide, quid aliud, aut melius  
aut maius optare potuit, vel postulare? Aut cui  
visui tam ingentes Thesauri, quos Esdræ Arta-  
xerxes concessit, ut habetur dicto cap. 7. v. 18.  
19. O<sup>r</sup> 20.

2 Confirmatur nam dict. cap. v. 18. in hunc  
modum Artaxerxes dicitur Esdræ rescripsisse:

Sed

Sed et si quid tibi, & fratribus tuis placuerit de reliquo argento, & auro, ut faciatis iuxta voluntatem Dei vestri, facite. At certum est, Judæos flagrasse desiderio ædificandi Jerusalem, ideoque videtur, simul in hoc decreto implicitam eius struendæ accepisse potestatem: ergo ab exitu huiusmodi sermonis, nempè ab anno septimo Artaxerxis Longimani computandæ Hebdomades septuaginta.

3 Quod autem non fiat in decreto nominatum mentio ædificationis murorum, id de industria factum videtur, ne conflaretur eis india ab inimicis, qui Templum ipsum excitari, indignissimè tulerunt, & nihilominus tunc accepiebat quām laxissimam potestatem faciendi Jerosolymis, quod ipsi Esdræ, & fratribus eius placuisset, & simul potestas dabatur ædificandi Civitatem, si eis libitum fuisset. Unde Theodoretus, oratione 9. in *Danielē*. Primo, inquit, dimisit ipsos Cyrus Persa (soluta nempè captivitate.) Deinde Darius Hystaspis filius, tum Artaxerxes, quo tempore prius Esdram, postea Nehemiah misit, ut muros Jerusalem iterum construendos curarent.

4 Respondeo: certum esse debere, initium septuaginta Hebdomadum summendum ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, sicut cap. 9. *Danielis*, habetur; huiusmodi autem ser-

sermo nullus apparet eo septimo anno Artaxerxis Longimani, quando Esdras profectus fuit Jerosolymam, imo nè postulatum quidem fuit, tale decretum ante annum vigesimum eiusdem imperatoris, ut liquet *ex lib. 2. Esdræ cap. 2. v. 5.* & sequentibus, communitum quæ fuit in superioribus.

5 Igitur non est dubium, quodnam esset Judæorum desiderium; sed quando exigerit sermo Regis de reædificanda Urbe, id quætimus, & negamus ante annum vigesimum Artaxerxis exiisse; quia non apparet id postulatum, nec in ea generali Imperatoris facultate, *iuxta voluntatem Dei vestri facite*, completa fuit Danielis vaticinatio: Hæc enim cum specificè prolata fuisset de facultate, seu sermone reædificandæ Urbis, exigere videtur ad sui verificationem, ut specificè etiam regius sermo de Jerosolyma iterum ædificanda haberetur.

6 Tùm quia non erat quòd Rex timeret Judæis conflare invidiam, magis hoc anno septimo Regni sui, quæm vigesimo. Quòd si ad tantum eorum desiderium accesit etiam Regis voluntas, quare in toto illo decreto nullum verbum de Urbe reædificanda factum est, quare Judæi saltē aliquid memoria dignum in eo opere construendæ Urbis moliti non sunt? quod enī nihil huiusmodi perfecerint deducitur *ex lib.*

lib. 2. Esdræ, cap. 2. vbi anno vigesimo Artaxer-  
xis, proponitur Nehemias tristis, & languidus,  
eoquòd Civitas Jerosolyma adhuc deserta es-  
set, & portæ eius combustæ igni : versuque 13.  
eiusdem capitil Nehemias inquit: Considerabam  
murum Jerusalem dissipatum, & portas eius con-  
sumptas igni.

7 Quæ porrò fuerit Theodoreti de hac dif-  
ficultate sententia, minimè obscurum est, is enim  
in eadem recitata oratione ad vigesimum Artaxer-  
xis annum has Hebdomadas aperite inchoat,  
& eatum annos lunares affimat, quibus scilicet  
Judæi vtebantur, utriusque autem meminit illo  
loco, Esdræ scilicet, & Nehemiac, quia utriusque  
memoria, seu fere tempore, facta est illa ædifi-  
catio, ut idem infra in eadem oratione tradit,  
quasi se ipsum explicans, & quamvis opinioni  
contrariæ Theodoretem indulgeremus, illi pre-  
ter innumeros ferè, qui à nostra sententia stant,  
Sulpitium Severum licet opponere lib. 2. His-  
toria. Cæterum, ait, Esdram nibil super reædificanda  
urbe egisse comperio, credo potiorem curam ratus  
plebem corruptis moribus reformare.

8 Fateri tamen non gravabor, Judæos præ-  
ingenti suo desiderio, & quasi tacito, aut præ-  
sumpto Principum Persarum consensu, Cyri  
præfertim, partes aliquas Civitatis magnè aggre-  
sos fuisse cingere muris; sed tacito, aut præ-  
sump-

364 *Sacra Chronologic.dissert.quarta decima:*  
sumpto, vt dixi, consensu, non publico decreto,  
quod querimus ad statuendum initium septua-  
ginta Hebdomadarum, nam lib. 3. *Ezdræ, cap. 4.*  
v. 47. & 48. quod de Dario legimus, eum scrip-  
sisse epistolam *Ad omnes dispensatores, & præfec-*  
*tos, & purpuratos, vt deducerent eum, & eos qui*  
*cum illo erant, omnes ascendentes ædificare Jeru-*  
*salem.* Id, inquam, non satis fidei facit, quia li-  
ber iste Apocryphus est. Et si ab illo secundo  
anno Darij inchoarentur Hebdomadæ, ad quod  
tempus in dict. lib. 3. *Ezdræ* refertur edictum de  
Urbe ædificanda iuxta finem capit. 2. v. 31. non  
septuaginta Hebdomades, sed septuaginta no-  
vem invenirentur.

9 Multoque minus Cyro id edictum tribui  
poret, licet Josephus dicat eum convocatis  
clarioribus apud Babylonem Judæis, dixisse se  
illis permittere, vt proficiantur in Patriam,  
Urbemque Jerosolymam, & Dei Templum  
ædificant denuò. Sed id ipse suo more scrip-  
turæ adiecit, vt patet 1. *Ezdræ, capit. 1.* v. 3. ibi:  
*Et ædificet domum Domini Dei Israel,* adde quod  
à primo anno Cyri ad Chritii passionem ferè oc-  
toginta duæ Hebdomadæ numerarentur.

10 Quod autem tacito, aut præsumpto  
Principam consensu Judæi aggressi fuerint,  
reæ dificile Civitatem, deducitur ex lib. 1. *Ezdr.*  
*cap. 4.* v. 12. ubi scriptum fuit Cambysi Regi:

Notum sit Regi quia Iudei, qui ascenderunt à te ad nos venerunt in Jerusalem civitem rebellem, & pessimam, quam edificant extruentes muros eius, & parletes componentes. Et lib. 1. cap. 9. ¶ 9. fatetur Esdras coram Domino, datam Iudeis sepem in Iuda, & in Jerusalem, ubi Tigurina editio sepem interpretatur murum.

11 Quare hac via contrariorum assumptum non stabilitur, quoniam, ut diximus, usque ad vigesimum Artaxerxis annum, nullus cernitur in sacris literis factus sermo ab aliquo Persidis Imperatore, ut iterum edificetur Jerusalem; quapropter tacito solum, aut præsumpto consensu id operis à Iudeis cœptum fuit.

12 Præterea, cum de regio iussu non constaret, hostes Iudeorum interrumpebant, & dissipabant eorum opera, ideoque Nehemias, ut habetur in eius cap. 1. ¶ 2. & sequentibus, ad novum nuntium dissipatorum murorum, & postiarum Jerusalem, hæ clades excitarunt magnum planctum, idque post annum septimum Artaxerxis, de quo Esdras, Nehemias præcessor verba fecerat lib. 1. cap. 7.

13 Sed nec videtur Nehemias antiquam tantum calamitatem lamentari; quomodo enim post 164. annos non exhaustæ essent illæ lacrimæ: ergo potest, in muri edificatione iam laboratum fuisse, sed opus imperfectum mansisse,

&

366 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
& malitia inimicorum irritum , scilicet mona-  
tem Sion in primis , & Templum circundedisse  
moris , super antiqua fundamenta rudi opere  
ædificando , lapsantesque adhuc parietinas ful-  
ciendo adhibitis etiam portis idoneis locis . Quæ  
cum vicini illi populi facta coniuratione , dirue-  
rint , huc illucque disiecerint , aditus multos  
vbique patefecerint , portas que cum turriū  
tectis , & tabularis incenderint .

14 Quæ vbi Jerosolymis facta sunt , Judæi  
Hanani cum socijs miserunt in Persidem , qui de  
his apud Nehemiah lamentarctur , vt his pro  
sua apud Principem gratiam , remedium ali-  
quod hisce malis inveniret , nec tamen quen-  
quam accusaret ; nulla enim in eo *cap. 1.* *Nehem-*  
*miae* , fit accusationis mentio , quoniam non po-  
terant Judæi ostendere , sibi permisum fuisse ,  
muros Civitatis extruere , sed Templum dunta-  
xat . Id enim concessionis ab Artaxerxe factæ  
*Esdrae* , *cap. 7.* ¶ 18 . *De reliquo argento , & auro ,*  
*iuxta voluntatem Dei vestri facite , non pode-*  
*rat sufficere ad muros , & Urbem reædifican-*  
*dum , id enim operis maximum erat , plurimo-*  
*rumque sumptuum ; quamobrem nec illa gene-*  
*rali concessione venire poterat , nec in mentem*  
*Artaxerxis quadraret , cum manifestè donatio-*  
*nem suam in ornatum Templi dirigeret , prout*  
*in eod. cap. liquidum est .*

Hanc

15 Hanc nostram expositionem comprobant illa Nehemiæ interrogatio ad Hananinum de Judæis, & eorum statu in Jerosolymis, responsumque Hananini per hæc verba, *Qui remanserunt, & relieti sunt de captivitate ibi in provincia in afflictione magna sunt, & in oprobrio, & murus Ierusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igne: quæ si de desolatione primò facta à Nabuzardan Duce Nabuchodonosoris præcisè intelligenda essent, frustra narrarentur Nehemiæ, qui optimè noverat, antiquam illam suæ gentis, ac provinciæ septuagenariam cladem: igitur ideo dicta fuerunt, quia licet aliquando opus reædificationis murorum, & Utbis coeptum fuisset, irritum tamen fuit, inimicorum potentia, & invidia.*

16 Tum quia eodem cap. i. v. 4. Nehemias inquit, *Cumque audisssem verba huiuscmodi, sedi, & flevi diebus multis: ieunabam, & orabam ante faciem Dei Cœli.* Porro hæc tanta tristitia Nehemiæ, & fletus, & lamentatio, satis ostendunt, novam aliquam in his nuntijs, quæ ad eum deferebantur, causam tristitiaz contingere; noverat ille quidem, ab hostibus suam gentem adversa perpeti, suspicari tamen non poterat, res Judæorum tunc esse turbatas, sicut ab his, qui pali fuerant inaudiebat. In hunc modum propugnant, & illustrant sententiam nos.

368 *Sacra Chronologic. dissert. quartadecima:*  
nostram P. Pererius, lib. 10. in *Danislem in so-*  
*lutione obiectionis contra septimam opinionem P.*  
*Salianus*, ad *Annum Mundi 3596. num. 41.* Et  
*ad Annum Mundi 3608. num. 8. & 9.* Nicolaus  
Lombardus in *Exp. lit. cap. 1. lib. 2. Esdra, ¶ 3.*  
*& 4. Et cap. 7. ¶ 8. lib. 1. Esdra.*

## SECTIO VIGESIMA PRIMA.

### ALIA ELEVATUR OBIECTIO.

I **C**ONTRA nostram sententiam, imo  
& contra illos omnes, qui Hebdo-  
madum exordium inchoatum do-  
cent ab anno Artaxerxis imperij vigesimo, ar-  
guit Paulus Burgensis in suis *Additionibus ad*  
*Postillas Nicolai de Lyra, super 9. capit. Danielis,*  
& sic argumentatur: si Hebdomades coepit  
sunt vigesimo anno regis Longimani, cum per  
Nehemiam reparari coepit Urbs Jerusalem, cum  
id evenerit plus centum annis post mortem Da-  
nielis, efficeretur, Danielem ignorasse, quando  
futurum esset initium Hebdomadum; ut potè  
quod amplius centum annis post mortem ipsius  
futurum erat. Si Daniel ignoravit principium,  
ergo non potuit certè, ac definite scire, quo tem-  
pore venturus esset Messias: quod sane de tan-  
to Propheta, ex cuius propheticia iam venisse

Mel-

Messiam, evidentè congruoicitur, & probatur  
adversus Judæos, sentire, per absurdum vide-  
tur.

2 Confulcit idem Burgensis suum placitum  
in 1. Par. Scrutinijs Script. distinct. 3. cap. 3. vbi  
docet, initium harum Hebomadum fuisse quar-  
to anno Sedeciae Regis Judæ, in quo anno exi-  
vit sermo Dei ad Jeremiam, ut habetur eius ca-  
pit. 29. v. 10. vbi inquit: Cum cœperint impleri in  
Babylone septuaginta anni, visitabo vos: & sus-  
citabo super vos verbum meum bonum, ut redu-  
cam vos ad locum istum. In quo verbo sermo  
Dei primò exivit de reditu Populi in Jerusa-  
lem, & perconsequens, reædificandum ibi Tem-  
plum Dei, & habitacula populi, & ministrorum,  
licet adhuc non esset data licentia reædificandi.  
Unde iste fuit primus exitus sermonis Dei de  
reductione captivitatis Babylonicae, ad quem re-  
fertur propriè verbum Angeli dicentis Danieli,  
Scito ergo & animadverte, ab exitu sermonis, ut  
reædificetur Jerusalem.

3 Consonat autem huic sententiæ, pergit  
Burgensis, quod Daniel in suis orationibus, &  
ieiunijs sumpsit exordium ab illa prophetia Je-  
remiae, dicitur enim ibi in principio illius capit.  
Daniel. 9. Ego Daniel intellexi in libris nume-  
rum annorum, de quo factus est sermo Domini ad  
Jeremiam prophetam, ut completerentur dies desola-

370 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
*tionis Ierusalem septuaginta anni, & posui fa-*  
*ciam meam ad orandum Deum, &c. Ex quo pa-*  
*teret, quod, Daniele considerante in verbis Jere-*  
*miae prædictis, ab illis verbis sumpsit sibi ini-*  
*tium Angelus dicens, ab exitu sermonis, ut reæ-*  
*dificetur Ierusalem. Unde ab isto initio proce-*  
*dendo in computatione septuaginta Hebdoma-*  
*darum, rectè secundum veriores historias, &*  
*planiorem sensum literæ devenitur ad ultimam*  
*Hebdomadam, in qua passio Christi fuit celebra-*  
*ta, per quam secundum veritatem fidei nostræ*  
*consummata fuit prævaricatio, & finem accepit*  
*peccatum. Hactenus Burgensis.*

4 Cuius tamen ratiocinio fit satis ex præli-  
batis hoc in *Dissert. Sect. 7. per totam.* Ubi pro-  
batum, est hanc exordium Hebdomadum haud  
congruè consignari valuisse recondito alicui  
tempori; periodus quippè hæcce manifestata  
fuit Danieli, & per ipsum alijs mortalibus, ut ex  
illius initio, & termino cognoscere ipsi possent  
Messiae adventum. Tum quia exitus sermonis,  
de quo Angelus, de alio intelligi nequit, quam  
de eo, qui potest eam ædificationem, vel per-  
mittere, vel impedire, & subinde decretum il-  
lud accipiendum est Principis alicuius, cui Ju-  
dae eo tempore pararent, ut dixi *diēt. Sect. 7.*  
*num. I.*

5 Nullum quoque aliud decretum periodo  
sep-

septuaginta Hebdomadum congruit, nisi emanatum ab Artaxerxe Longimano; nam si temporis ratio sumatur à soluta Judæorum libertate ex Cyri edicto, usque ad Christi Domini mortem, non 490. anni, quot nempe continent Hebdomades septuaginta, sed 570. reperientur, etiam solaribus annis acceptis. Si Darij Hystaspidæ annum secundum sumamus, quando rursum multa Judæorum turba cum Zorobabele Jerosolymam profecta est, ad intermissam Tempi reædificationem prosequendam, supra quingentos quinquaginta annos reperiemus. Si quartum Sedeciae annum, ut putavetunt Burgensis, ac Vatablus, sexcenti & quadraginta octo numerabuntur anni. *Videsis Sect. 7. num. 4.*

6 Si Isaiae de liberatione à captivitate Babylonica, per Cyrus, & de reædificanda Jerosolyma oraculum ipsius *cap. 44. fin. & 45. initio*, consideremus, illud fuit editum 210. annis ante primum Imperij Cytii, ut cum Josepho lib. 11. *Antiquitatum*, *cap. 1.* docet, ac stabilit P. Salianus, *Anno Mundi 3307. num. 3.* Si verò ad Artaxerxem Mnemonem, aut Ochum differamus initium, multo pauciores colligentur anni, quam necesse sic ad septuaginta Hebdomadas, ut prælibavi *Sect. 6. num. 8. & 9.* igitur inchoatae fuerunt Hebdomades anno vigesimo Artaxerxis Longimani, iuxta rectam Chronologiam.

7 Argumentum verò Burgensis non magni negotij erit dilolvere; nam primo nihil erit absurdum, si dicatur, Daniel ignorasse definite ac propriè tempus adventus Messiae; quippe Daniel ipse de se scripsit, extremis verbis cap. 8. *Ego Daniel langui, & agrotavi per dies cumque surrexissem, faciebam opera regis, & stupebam ad visionem, nec erat qui interpretaretur.*

8 Patefactum vtique fuit Danieli, quendam Regem Græcorum, scilicet Antiochum Epiphanem, vehementissimè infectaturum, vexaturumque Judæos, eiusque persecutionis rabiem bis mille, & trecentos dies duraturam; at quo tempore regnaturus esset Antiochus, non est distinctè, ac definitè ei ostensum. Consimilaque plura possunt adduci exempla, quæ adducit P. Peterius, lib. 10. in Daniel. cap. 9. ad verba illa: *Sicut ergo, & animadverte. Secundò, responderi potest fuisse, Danieli patefactum, quanto tempore post eam visionem ædificanda erat Civitas Jerusalem; & dandum initium septuaginta Hebdomadis, quamvis id Daniel non expreserit. Ex eo autem non conficitur, Hebdomades inchoatas a tempore visionis.*

9 Quoniam verò supra num. 6. dixi, prodidisse Jolephum, quòd Isaias ducentis decem annis ante liberationem Judæorum à captivitate Babylonica prædixit, illam per Cyrum fore ob-

obtinendam ; comperio tamen , afferere P. Tirinum in Coment. ad Isa. cap. 44. v. 28. voluisse Deum , ab Isaia ducentis fere annis antequam fieret id prædicti ; ideo observandum , quod sic docuit Tirinus , quoniam Babyloniam septuagenitam captivitatem , inchoatam anno tertio-decimo Josiae , existimat , ut cernere est in illius Chronico cap. 35. conclus. 6. & propterea ab Isaiae prædictione usque ad initium captivitatis non potuit enumerare supra annos centum & deinde annos septuaginta usque ad liberationem , & primum Monarchiæ Cyri , hoc est , centum septuaginta ab Isaiae oraculo usque ad captivitatis solutionem.

10 At verò suppositionem , & sententiam P. Tirini de initio captivitatis , oppugnavi in *Dissert. 10. Sect. 2.* & argumenta contraria , præsertim Tirini elevare , sategi per plures subsecuentes *Sectiones.* Et Profectò Josephus lib. 11. *Antiq. capit. 1.* exprestè ait , libertatem Judæis à Cyro fore concedendam , prædictum reliquisse Isaiam ante ducentesimum , & decimum annum & paucis interieditis , rursus ait , *Hæc Isaías prædicaverat ante annos centum , & quadraginta destructionis Templi :* proindeque à Templi conflagratione usque ad Cyri Monarchiæ annum primum computavit Josephus annos septuaginta cum tamen P. Tirinus nolit , fluxisse nisi triginta

374 *Sacra Chronologic.dissert.quarta decima.*  
annos, in quo illi ad stipulati haud valeo extra-  
ditis *Dissert.* 10. *Sect. 5.* & 11. vide etiam *Sect. 3.*  
*num. 2.* eiusdem *Dissert.*

## SECTIO VIGESIMA SECUNDA.

*EXPONIT PRIMAM SENTENTIAM*  
*circa terminum septuaginta*  
*Hebdomadum.*

1 **U**T tantæ huius disputationis candi-  
dam complectamus metam, reli-  
quum est, ut post enodatum septua-  
ginta Hebdomadum exordium, de earum ter-  
mino differamus, ad intelligentiam vaticinij Da-  
nielis, in hoc nostro cap. 9. v. 27. ubi ex ex ore  
Angeli ita eloquitur: *Confirmabit autem pacem*  
*multis Hebdomada una: & indimicio hebdomada*  
*deficiet hostia, & sacrificium.* Prima igitur sen-  
tentia circa Hebdomadum finem inquit, illum  
repertum fuisse quarto anno post Christi Domini  
passionem. Cui placito suffragatur Augusti-  
nus Torniellus in *sexta Mund. Aetate*, anno 7.  
*num. 6.* nec improbatur à P. Pererio, lib. 11. in  
*Danielem*, in hac disp. par. 3.

2 Id quod ut explicit hi Authores, aiunt,  
re vera non fuisse precisè Hebdomades septua-  
ginta, à Daniele prænuntiatas, sed septuaginta,  
ac dimidiam, nec annos 490, tantum sed 493.

Si autem opponas, septuaginta præcisè Hebdomades Angelum nominasse, respondent, sic factum fuisse, quia Angelus contentus fuit, maximum illum, eundemque plenum ac integrum septuaginta Hebdomadarum numerum expressisse; minutum autem illum, & imperfectum numerum dimidiæ Hebdomadis, vel vsu, & consuetudine Scripturæ, quæ minutos numeros in magna aliqua summa omittere solet, vel quo magis prophetiam occultaret, tacere, Deo sic iubente, voluit.

3. Ac ne hoc simile figmento, aut consuetudini divinæ Scripturæ alienum putetur, aliquibus exemplis ex sacris literis declaratur: sit primum ex lib. 3. Reg. cap. 2. ¶. 11. ubi scriptum est, Davidem regnasse quadraginta annis, vide licet, septem in Hebron, & triginta tribus in Jerusalem; atqui regnasse eum quadraginta annos, & præterea sex menses, eadem Scriptura confirmat lib. 2. Regum, cap. 5. ¶. 5. quo patet, minutum illum numerum sex mensium fuisse illo loco ab Scriptura prætermissum.

4. Sit alterum, & sane luculentius, eiusdem rei exemplum: in cap. 15. lib. Genesios, prædictus Deus Abraham, semen eius futurum peregrinum in terra aliena 400. annis: quorum annorum initium, secundum Doctores, fuit in ortu Isaac: exitus vero, & finis eo tempore, quo Mo-

376 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
ses Hebræos eduxit ex Ægypto. At hoc tem-  
pus, ut sacra docet Chronologia , quinque &  
quadringentos annos continet , quare in illa  
Dñi prædictione omissi sunt quinque anni.Vi-  
deus tom. 1. *Dissert.2.Sect. 4. num. 10. ¶ 11.*

5 Denique tertij exempli loco afferri pos-  
set, quod scriptum est in lib. *Judicum*, capit. 11.  
vbi Jepthe affirmat terram, quæ erat ab Arnon,  
vsque ad Jeboch, fuisse à Judæis per trecentos  
annos pacificè & tranquillè possessam:cœpit au-  
tem possideti ferè quadragesimo anno postquam  
egresi fuerant Hebræi ex Ægypto , ut signifi-  
catur in lib. *Numer. c. 21. fine, ¶ 22. v. 1.* Ceterum  
ab eo tempore usque ad principatum Jepthe, si  
numerentur duntaxat anni, quibus Hebræo Po-  
pulo præfuerunt Judices , omisis captivitatum  
annis , reperientur tantum 270. anni ex sen-  
tentia P. Pererij , seu quam refert , nec im-  
probatur ; at iuxta Illustrissimum D. Abulensem,  
quæst. 38. in cap. 11. *Judicum*, numerandi sunt  
præcisè 266. idem docent Lyra, Tornicellus, &  
Salianus, ac communior sententia.

6 Si autem annis *Judicum* superaddantur,  
tanquam diversi anni captivitatum , & inter-  
regnorum , 340. colligentur anni , ex relata  
sententia Peterij ; sed iuxta Salianum , erunt  
337. Quo circa cum Jepthe dixit , 300. annos  
haud dubiè contentus maximo illo , & integro

numero 300. annorum, patrum illum & imperfectum 40. annorum prætermisit: ergo liquet his in exemplis, non esse insolens in Scriptura in exprimenda summa annorum, non totum numerum ponere, sed plenum tantummodo, & integrum, tacito exiguo, & imperfecto numero; ut non videri debeat incredibile, idem contigisse in hoc loco, fuisseque septuaginta Hebdomadas, & dimidiam, sed expressis septuaginta, dimidiam esse suppressam.

7 Sed verò ut hæc sententia quadret in verba illa Angeli, *in dimidio Hebdomadæ deficiet hostia, & sacrificium*, cogitandum est, ex septem ultimis annis totius summæ septuaginta Hebdomadum & dimidiæ, hoc est, annorum quadringentorum nonagesima trium, confici unam Hebdomadam, quæ incipit ab anno quadringentesimo octogesimo septimo, & desinit in annum quadringentesimum nonagesimum tertium, & in hac Hebdomada, per tres priores annos, & dimidium, Christus Dominus prædicavit Evangelium: in dimidio autem huius Hebdomadis, qui est annus quadringentesimus nonagesimus, & ultimus septuagesimæ Hebdomadis, Christus mortuus est. Exinde sacrificia legalia fuere invalida.

8 Residuo autem huius Hebdomadis, Apostoli magno studio, & ardore animi Evangelium in Judæam prædicarunt. Et in fine huiuscè Heb-

do-

378 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
domadis terminatæ sunt Hebdomades septua-  
ginta, & dimidia , quas Daniel prædixit. Unde  
apparet hanc interpretationem nil habere ver-  
bis Angeli non consentaneum. Nec enim An-  
gelus eam Hebdomadem, in cuius dimidio de-  
fecit hostia, & sacrificium , vel septuagesimam,  
vel ultimam Hebdomadam appellavit : sed tan-  
tum unam Hebdomadam, quæ qualiscunque in-  
telligi posset , dummodò ea constet septem an-  
nis, & sit extra sexagintanovem , de quibus an-  
tea dixerat. Sic prælaudati Authores huius sen-  
tentiae.

### SECTIO VIGESIMA TERTIA.

#### *SECUNDA RATIO TERMINANDI HEB-* *domades septuaginta.*

I **A**LTERA est ratio terminandi sep-  
tuaginta Hebdomades , asserendo  
nimurum , illas fuisse precisè sep-  
tuaginta absque alia parte vltterioris Hebdomadæ , finemque accepisse anno quarto post Chris-  
ti Domini Passionem ; quoniam iuxta Authores  
huius sententiæ , Christus Dominus ultima Heb-  
domade , quæ fuit septuagesima , tribus primis  
eius annis cum dimidio , prædicavit , ut habeat ve-  
tus traditio , teste Eusebio lib. 8. *Demonstratio-*  
*nis.* Cardinalis Baronius , *Anno Christi Domini*  
*ni*

ni 34. & communiter sacri Evangelij Expositores; consequenterque haec ultima Hebdomada finem habuit tribus annis cum dimidio, post Christi Domini Passionem, id est inchoato anno quarto. Quam expositionem tradunt P. Baradius, tom. 1. in *Evangelia*, lib. 3. cap. 5. Cornelius in *Danielem*, cap. 9. ¶ 27. initio *comentarij*, Petavius, tom. 2. de *Doctrina temporum*, lib. 12. cap. 35. in *expositione textus Danielis*, ad illa verba, confirmabit autem pactum. Tirinus, tom. 1. in *Chronico*, cap. 38. fine, & in brevi *commentario ad cap. 9. Danielis*. Lami in *Aparatu Chronologico ad commentarium ad Harmon. Evangeliorum*, part. 2. cap. 4. §. 9. fine. Probabilemque hanc expositionem dicit Eximus Doctor P. Suarez, tom. 1. in 3. part. disp. 1. Sect. 2. ¶. Sed quæres, cæterum omnes ferè prælaudati Authores obiter solùm attingunt hanc terminandi Hebdomades rationem, & difficultatem.

## SECTIO VIGESIMA QUARTA.

## TERTIA ENODATIO FINIS HEBDOMADARUM septuaginta.

**T**ERTIA sententia circa rationem terminandi Hebdomadas constituit earum finem in eo ipso anno, quo Christus Do-

380 *Sacra Chronologic.difffert.quartadecimæ*  
minus mortuus est, secūdum quam sententiam,  
illud Angeli dictum, *In dimidio Hebdomadæ defi-*  
*ciet hostia, & sacrificium*, potest duplicitè ex-  
poni primo, ita, ut verba illa, *in dimidio Heb-*  
*domadæ*, non significant medium annum, qui est  
quartus septuagesimæ Hebdomadis, sed signifi-  
cat vnam medietatem videlicet posteriorem il-  
lius Hebdomadis.

2 Cogitatione enim dividenda est septua-  
gesima Hebdomada in duo dimidia, seu in duas  
medietates, quarum quilibet tribus annis, &  
dimidio constet, & in posteriori quidem dimi-  
dio illius Hebdomadis, & in principio eius bap-  
tizatus est Christus Dominus, ac in decursu eius  
prædicavit, in fineque eius passus, & mortuus est  
Christus; cuius mortem legalium sacrificiorum  
abrogatio est consequuta. Itaque quod Angelus  
dixit: *In dimidio Hebdomadæ deficiet hostia*, id sa-  
nè de posteriori dimidio illius Hebdomadis, &  
de fine eius dimidijs debet intelligi.

3 Hanc interpretandi rationem ponit Dio-  
nysius Carthusianus in *Commentarijs suis super 9.*  
*caput Danielis*, & ante Cartusianum eam tradi-  
derat Author historiæ Scholasticæ, videlicet Pe-  
trus Comestor in *Enarratione historiæ Danielis*,  
*cap. 10.* & eandem probant P. Gordonus. *tom. I.*  
*in questionibus Chronologicis ad periodum 7. ca-*  
*pit. 15. num. 22.* Cornelius, et si quodammodo  
sibi

sibi contrarius, in Commentario ad Danielem, cap. 9. ad verba illa, *Et in dimidio Hebdomadæ,* ubi aperte inquit, in morte Christi Domini terminari septuaginta Hebdomades iuxta Danielem, quamvis loco supra citato dixerit, Christum Dominum mortuum fuisse anno quarto ultimæ Hebdomadæ, illamque terminatam fuisse tribus annis cum dimidio post Christi Domini Passionem; at videri potest loquutus iuxta probabiles diversas sententias. Hanc verò quam modo prosequimur, ut sacro textui consonam tradit etiam P. Pererius, lib. 11. in *Danielem de Septuaginta Hebdomadibus*, p. 3. Probabilemque dicit Eximus Doct. tom. 1. in 3. part. *Div. Tho.* disp. 1. Sect. 2. ¶ Sed quæres, & in eandem propendet P. Gaspar Sanchez in *Danielem hoc nostro capite.*

4 Secunda ratio terminandi septuaginta Hebdomades in eodem ipso anno, quo mortuus fuit Christus Dominus, dictum illud Angeli *In dimidio Hebdomadæ deficiet hostia, O sacrificium,* exponit de baptismo, qui in medium septuagesimam Hebdomadam incidit, post quem baptismum defecere legalia, non quidem secundum munus suum, qui permanit usque ad excidium Jerusalem, nec secundum virtutem, & obligationem, quæ non nisi post Passionem Domini cessarunt, sed quia introductio baptismi, qui pri-

382 *Sacra Chronologic.dissert quartadecima.*  
primum est Sacramentum legis Evangelicæ, manifestum atque indubitatum fuit signum, legalia sacramenta mox esse defectura. Hanc interpretationem adhibent V. Beda, Rupertus, & Nicolaus de Lyra, super hunc nostrum textum, nec non Hugo de Sancto Charo, in hunc locum Danielis, in eandemque satis propendet P. Perrius, lib. 10. *in Danielem*, disput. de 70. *Hebdomibus*, part. 3.

## SECTIO VIGESIMA QUINTA.

*SENTENTIAM, QUÆ SACRO TEXTUI  
magis consona videtur, proponit, ac fulcit, ostenditque, legem veterem in morte Christi Domini  
extinctam fuisse.*

1 **A** SSERO igitur primò, septuaginta Hebdomades accipi debere abique viii additione minoris numeri annorum, primo quoniam Angelus septuaginta præcisè Hebdomadas futuras prædictis, & aliunde ex nullo alio sacro textu, aut ratione adignum, id accessionis fateri, prout evenit in locis, ac numeris, quos perpendit opposita sententia in sui stabilimentum.

2 Nam in lib. 2. Regum, cap. 5. expræsè adduntur sex menses supra annos septem, quos Da-

David dicitur regnasse in Hebron; quapropter  
 cum in 3. Regum, cap. 2. Et in lib. 1. Paralipom.  
 cap. 9. ¶ 27. solum exprimitur numerus anno-  
 rum septem eiusdem Regni David in Hebron,  
 iure merito utimur eo interpretationis Canone,  
 sub intelligendi scilicet minutum, & imperfec-  
 tum numerum sub perfecto, ac pleno.

3 Quem Sacrae Scripturæ morem docent,  
 & aliorunt D. Augustinus lib. 2. questionum in  
*Exodus*, quest. 27. & de Civitate Dei, lib. 16.  
 cap. 24. Et lib. 7. Locutionum in Genesim ad fi-  
 nem. Epiphanius lib. 3. contra Hæreses, cap. vi-  
 timo: & in Anchorato propè finem. Cornelius,  
 Peterius, Lorinus, & alij eruditè congesti à P.  
 Linzeo, lib. 1. de Locis, tract. 5. cap. 7. num. 47.

4 Quid ex prænotione venit consimilitè  
 exponendus numerus annorum quadringento-  
 rum peregrinationis filiorum Abrahæ, nec non  
 tempus consignatum possessioni captæ à Ju-  
 dæis terræ, quæ erat ab Arnon usque Jaboc, Ju-  
 dic. cap. 11. ¶ 26. quoniam ex Sacrae Scriptu-  
 ræ diversis locis in eodem lib. invicem composi-  
 tis, illa numeri perfecti pro imperfecto, accep-  
 tio, & eius subauditio sufficientè colligitur, ut  
 constat ex dictis, to. 1. Diff. 2. Sec. 3. Et Diff. 3. Sec. 1.  
 n. 4. Et Sec. 5. per tot. Verumtamen in re nostra, ni-  
 hil adeat peremptorium, quominus præcisè in-  
 tegras intelligamus Hebaomadas ab Angelo  
 præ-

384 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
prænunciatas; quinimo, vt sic accipientur præ-  
cisè, conspirant, vt reor, *Sacra Chronologia*, &  
*Scriptura*.

5 Unde secundò confirmatur assertio; quo-  
niā, cum Angelus disertis verbis, & evidentē,  
non designet Hebdomadem, in cuius medio  
erat hostia defectura, sed ex concordi Interpretatione  
sensu, in ultima, Hebdomada complendum  
esset id defectionis hostiæ, & sacrificij, debe-  
mus profectò asserere, Hebdomadam defectio-  
ni illi consignatam esse septuagesimam, seu  
ultimam ex septuaginta; id quod in sententia,  
quam oppugnamus, vel non verificatur, vel  
non nisi improposito, & lato quodam sensu,  
ad quem in sacris literis confugere, Theo-  
logicum non est, nisi vrgens adsit motivum,  
quod in præsentia deficit. Videsis quod præli-  
bavi tom.2. Antelop. 10. num.5.

6 Affero secundò, septuaginta Hebdomades  
omnino terminatas esse anno passionis, ac  
mortis Christi Domini. Ab hac sententia stanc  
aperte Patres, Scriptoresque præstantissimi, tum  
veteres, tum recentiores, quos laudavimus  
*See.24.n.3.¶ 4.* qui favent huic, & primæ nostræ  
assertioni; illisque addendi sunt Julius Africa-  
nus, & Angelicus Doctor in hunc locum Da-  
nielis, ubi Christum Dominum in fine Hebdo-  
madæ ultimæ occisum fuisse, dicit, & statim ad-  
dit

Sententiam, quæ sacro textui, &c. Sec. 25. 385  
dit: in ultima medietate circa finem deficiet hostia,  
quia adveniente veritate, cessavit umbræ.

7. Et ex peritissimis Chronologis P. Salianus, Anno Mundi 3609. vbi, num. 3. & sequentibus, stabilit, inchoari Hebdomadas hasce vigesimo anno Artaxerxis Longimani, cumque Lunarium annorum illas censendas esse, existimet, ut luculentè prodit dicto Anno 3609. num. 7. & consequenter afferat, eas complecti solares annos 478. totidem proinde enumerat à p̄fato vigesimo Artaxerxis anno usque ad Christum Dominum patientem, videlicet annos 444. ad eius ortum, & 34. inchoatos ad obitum: per omnesque huius periodi annos, examuissim hanc prosequitur Chonologiam.

8. Et profectò hæc nostra sententia, vel ex eo suadetur, quòd sacro eloquio apprimè congrua sit; tum quia septuaginta præcisè statuit Hebdomades, & quām optimè in eam quadrat, quòd in dimidio vltimæ, & septuagesimæ Hebdomadis hostia, & sacrificium defecerit, ut ex prælibatis, moxque dicendis, conspicere erit.

9. Affero tertio, dimidium Hebdomadæ, in quo sacrificium defectum, ab Angelo prænunciatum est, nec intelligi debet præcisè de fine medietatis vltimæ Hebdomadæ, nec rursus debet accipi de initio præcisè istius vltimæ medietatis; sed in complexo seu in adequata vi.

tima medietate huiuscē postremæ Hebdomadis complementum habuisse, dicendum venit; hæc nostra assertio, et si quadam tenus à duplice tradita expositione *See. 24.* dissidere videatur, utrunque tamen in concentum redigit, & ex mente Patrum, Sacrorumque Interpretum, quos *See. 24.* laudavimus, sua sponte descendere, appetet.

10 Probatur, quoniam usque ad Passiōnem, & obitum Christi Domini, lex vetus non fuit mortua, quoad obligationem, ut probatur ex Evangelio, ubi sep̄ē legitimus, Christum, licet legis Dominum, servasse legem tam in infantia, quam in decursu vitæ usque ad mortem, paulo enim ante illam manducavit Pascha: etiam in eodem Evangelio habetur, præcepisse Christum Dominum turbis, facere omnia, quæcunque iussissent Pharisæi, & Sacerdotes; tum quia, ut docet D. Paulus ad *Hebreos* *capit. 9.* ¶. 16. novum testamentum in morte Christi fuit confirmatum, id quod ex metaphora testamenti in humanis, & civilibus, comprobatur, dicens, *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in morte confirmatum est, alioquin non dum valet, dum vivit, qui testatus est:* sicut ergo novum testamentum non fuit confirmatum, usque ad mortem Christi, ita nec primum fuit sublatum; quia ut ipse Apostolus dixerat *cap. 8. fine:* *novum veteravit prius.* Et cap.

Sententiamque sacro textui. C. Sec. 25. 387  
pit. 10. ¶ 9. subdit, Aut est primum, ut sequens  
statuat, & in eodem cap. 10. ait, non cessasse sa-  
crificia vetera, donec Christus Dominus una  
oblatione consummavit sacrificatos.

11 Id quod significatum est, quando Christus Dominus in Cruce dixit, consummatum est, ut interpretatur D. Thomas 1. 2. quest. 103. art. 3. ad 2. ¶ 3. part. quest. 47. art. 2. ad 1. quapropter legem veterem, quoad obligandum, extinctam non fuisse usque ad mortem Christi Domini, docet communis Theologorum sententia, Doctor Angelicus 1. 2. quest. 103. art. 3. ad 2. Seraphicus Doctor D. Bonaventura in 4. distinct. 4. 2. part. eius articuli 2. quest. 2. Maior quest. 2. Ricardus quest. 1. art. 6 quest. 4. Capreolus quest. 3. art. 3. ad 1. contra 1. conclusio- nem. Paludanus quest. 6. art. 3. Durandus q. 9. noster Eximus Doctor P. Suarez lib. 9. de Legi- bus, cap. 12. P. Vazquez 1. 2. disp. 180. cap. 1. num. 2. & alij frequentius ex Divo Hieronymo, Augustino, & alijs Patribus.

12 Verumtamen, cum praedicta doctrina cohæret optimè, quod à baptismo Christi Do- mini, & à prædicatione Divi Ioannis cœperit infirmari, & potius ægrotare lex vetus, & conse- quenter, quod Danielis vaticinium in illis ver- bis, In dimidio Hebdomade perficiet hostia, ¶ sa- crificium, complementum habete cœperit à

13 Probatur ex ipsius assertoris nostri ver-  
bis Matth. cap. 11. v. 13. ibi: Omnes enim pro-  
phetæ, & lex usque ad Ioannem profetaverunt, quæ  
præclarus Evangelij elucidator P. Maldonatus  
in hunc modum exponit: *Sensus ergo, mihi vide-  
tur esse, legem, & prophetas usque ad Ioannem  
Baptistam prophetasse, id est, viguisse, vim ha-  
buisse, officio suo functos esse:* & infra: *Itaque ni-  
bil aliud voluit Christus dicere, quam legem, &  
Prophetas, usque ad Ioannem Baptistam duravis-  
se, ut facilè intelligitur ex antitheto, à diebus au-  
tem Ioannis Baptiste Regnum Cœlorum vim pati-  
tur; nam legi, & Prophetis Regnum Cœlorum, id  
est, veteri testamento novum: & verbo profetandi,  
rapiendi, & vim patiendi verbum opponit, quasi  
dicat usque ad Ioannem lex vigebat.*

14 Pergit idem Maldonatus: *Quomodo lex  
usque ad Ioannem tantum fuisse dicatur; cum non  
statim abrogata fuerit, vt Ioannes venit, sed  
longo post tempore duraverit? Respondeo, primum,  
non esse sensum legem usque ad Ioannem, id est us-  
que ad Ioannis nativitatem sed usque ad Ioannem,  
id est, usque ad Ioannis prædicationem viguisse:  
Deinde non significari, tunc fuisse statim momen-  
to temporis extinctam, sed nascente Evangelio  
mori cœpisse, ut explicuimus superius, videlicet,*

Sententiam, quæ sacro textui, &c. Sec. 25. 389  
commentario in cap. 5. Matth. V. 17. vbi prædo-  
cuerat, legem usque ad Ioannem tantum Baptis-  
tam duravisse, non quia per Ioannem abrogata,  
aut statim, ut ille prædicare cœpit mortua est, sed  
quia ægrotare tunc cœpit, non multo post Christi  
mortem moritura. Hæc P. Maldonatus, cum  
quo concinunt P. Cornelius, Comentario in ca-  
pit. 11. Matthæi, nec non Doctor Eximus, lib. 9.  
de Legibus, cap. 12. num. 11. fine.

15 Porro ex dictis sic licet arguere: lex ve-  
tus usque ad Ioannem viguit, id est usque ad  
Ioannis prædicationem; igitur ex tunc cœpit  
iam infirmari, seu ægrotare: ergo ex tunc Da-  
nielis vaticinium impleri iam cœpit; non quia  
in ipso temporis momento completa fuerit oms-  
nino Danielis prophetia; sed quia tunc tempo-  
ris cœpit compleri, quod habetur in illis ver-  
bis, *in dimidio Hebdomadæ deficiet bestia*, &  
*sacrificium.*

16 Animadvertisendum tamen, dixisse nos  
huiuscè Hebdomadis dimidium cœpisse in præ-  
dicatione D. Ioannis, & in Baptismo Christi,  
quoniam D. Ioannes prædicare cœpit anno vi-  
gesimo nono Christi Domini, ut docent P. Bar-  
adius in Evang. tom. 2. lib. 1. cap. 1. Et Salia-  
nus, Anno Mundæ 4081. num. 1. cum pluribus  
alijs, at Christus Dominus baptizatus fuit atatis  
sua anno trigesimo, cum præcisè per dies tre-

d<sup>3</sup>90 *Sacra Chronologie.dissert.quarta decima.*  
ecim eum annum trigesimum ingressus esset, ut  
Plurimorum omnis ævi scriptorum fuit senten-  
tia, quam per eruditè firmat Salianus, *Anno*  
*Mundi 4082. num. 1. O sequentibus:* cum ergo  
Divus Ioannes sex solum menses anteiret Chri-  
stum Dominaum, patet Ioannem aliquantulo  
tantum tempore prædicasse ante baptismum  
Christi Domini, ut idem Salianus notat, *Anno*  
*Mundi 4081. num. 2. Quapropter à prædicatio-*  
ne Joannis, & à baptismo Christi ultimæ Hebdo-  
madi secundum dimidium congruè inchoatum  
esse dicimus.

17 Secundò animadvertisendum, etsi verum  
sit, legem veterem per mortem Christi Domi-  
ni mortuam fuisse, sed non mathematicè, ut in  
eodem momento amiserit lex illa vim obli-  
gandi, sed moraliter, intelligendum id est, sci-  
licet paulo post mortem, ita ut per Christi mor-  
tem acceperit lex lethale vulnus, ut sic dicam, ra-  
tione cuius statim cœpit deficere, & paulo post,  
scilicet in die Pentecostes, facta pro mulgatione  
novæ legis, extincta fuerit. Ita docet commu-  
nis sententia D. Bonaventuræ, Scoti, & aliorum,  
quos laudat, & illustrat Eximus Doctor P. Su-  
arez, lib. 9. de Legibus, cap. 13. num. 3. præcipue ad  
finem. Idemque P. Suarez in seq. cap. 14. doc-  
te, ostendit, mortiferum esse, veteris legis nunc  
servare ceremonias: ad hoc igitur usque tem-  
pus

Sententiam, quæ sacro textui, &c. Sec. 25. 391  
pus quam optimè extendi valet septuagesima;  
ac ultima Hebdomada, ut mox dicetur; & proin-  
de in dimidio ultimæ Hebdomadæ defecit hos-  
tia, & sacrificium.

## SECTIO VIGESIMA SEXTA.

### NOSTRAM SENTENTIAM CIRCA *Septuaginta Hebdomadum tempus* *denuò stabilit.*

1 **Q**uandoquidem Chronologia, om-  
nium laudatissima, certissima, at-  
que optimis Auctoribus visitatis-  
sima ea est, quæ Olympiadum observatione,  
notationeque constat, iuxta hanc temporis ra-  
tionem, sententiam illustrare nostram, operæ  
premium erit: Primò igitur assero; Christo Do-  
mino moriente, annus quartus Olympiadis  
CCII. agebatur, quem disertis verbis Phlegon  
Christi Passioni attribuit, hoc ipso quod ait, in  
illum annum mirabilem Solis eclipsim conti-  
gisse; Phlegon porrò numerat Olympiadas,  
prout celebrabantur, incipiente scilicet anno  
Olympiadum in æstivo Solstitio; & consequen-  
tē annus quartus CCII. Olympiadis progredi-  
tur ultra Pascha, in quo Christus Dominus cc-  
census est: nondum igitur coepérat tertia Olym-  
pias supra ducentessimam.

2 Sed annus Julianus illam exēuntem, &

hanc inchoantem, quæ Apollonium Epidaurinum coronavit, complectitur. Verba Phlegontis habentur apud Eusebium in Chronico ad annum Domini 33. scripsit verò, hiscè verbis: inquit, super his, *¶* Phlegon, qui Olympiadum egregius supputator est, in 14. libro ita dicens: *Quarto autem anno CCII. Olympiadis magna, ¶ excellens inter omnes, qua ante eam acciderant, defectio Solis facta est; dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut Stellar in Cœlo visi sint, terreque motus in Bithynia Nicenæ urbis multas aedes subverterit.* Hæc supra dictus vir. Et hactenus Eusebius, qui se ipsum corrigere debet, dum ponit anno tertio huius Olympiadis Christum passum, vbi recitat contra Phlegontem; itaque in Chronico Græco eiusdem Eusebij hæc habentur: *Anno quarto Olympiadis 202. vt ibi notat Salianus.*

3 Haud me latet, nonnullos, quibus adstipulatur P. Petavius de Doctr. temp. lib. 12. cap. 21. existimare, non anno quarto, sed tertio dictæ Olympiadis CCII. Christum Dominum passum fuisse; ac proinde falsum esse, quod Phlegon scriptum reliquit, vel aliam fuisse eam Solis defctionem. Cœterum nec ratione, nec authoritate inspectis, discedendum puto à prælibata Chronologia; siquidem potissimum Petavij fundamentum ex eo desumitur, quod Chris-

Christus paſſus fuerit anno Juliano, ſeptuagesimo ſexto; in quem annum incurrit tertius Olympiadis CCLl. eodemque anno Christum paſſum eſſe, docent Eusebius, & D. Hieronymus.

4 Id autem argumenti haud difficultèr ele-  
vatur; in primis quippe multæ ac diversæ ſunt  
Authorum ſententiæ circa annum Julianum  
nativitatis, & mortis Christi Domini, ut legere,  
eſt apud P. Ricciolum, in *Chronologia*, tom. I.  
lib. 8. cap. 6. qui tamen eod. lib. 8. cap. 17. num. 5.  
ait, multo probabilius eſſe, Christum natum eſſe  
anno Juliano quadragesimo quinto exeunte,  
& mortuum anno ſeptuagesimo octavo labente;  
adeoque in hoc diſcedit à Petavio.

5 Deinde anni correctio, iuxta frequentem  
receptamque ſententiam, facta fuit ex Julij Cæ-  
ſaris imperio, Sosigene, & alijs Astronomiæ con-  
ſultis viris peritiſſimis, anno tertio Olympiadis  
CLXXXIII. ut prodiderunt Dio lib. 43. diſtinc-  
tiuſ, & accuratiuſ Censorinus, de *Die natali*, ca-  
pit. 20. quibus conſentiant Onuphrius, Sigo-  
nius, Torniellus, P. Gordonus in *Quæſitionibus*,  
cap. 19. Mariana, de *Die mortis Christi*, capit. 1.  
Petavius, in *Annis expaſiſis*, diēto anno. Salianus,  
*Anno Mundi 4008. num. 25.* Tirinus in *Chron.*  
cap. 44. ſic autem facta eſt correctio, ut inter No-  
vembrem, ac Decembrem mensem interiecti  
ſint

sint duo alijs, fuitque is annus quindecim Mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum asnum iciderat, pro eo ac annotant *Suetonius*, & *Macrobius*, lib. 1. cap. 14. vbi hunc annum appellat *confussionis*, eademque nuncupatione notatur ab alijs. Annus vero proxime subsequens fuit primus Julianus, scilicet quartus Olympiadis CLXXXIII. & Urbis conditæ 708. Mundi 4008. à quo anno usque ad quartum Olympiadis CCII. quo mortuus est Christus, numerantur anni septuaginta octo: nec tantum septuaginta sex, ut inquit P. Petavius; verum positioni nostræ favent signanter P. Salianus, & Ricciolus cum alijs.

6 Imò quod Christus Dominus passus fuerit predicto anno quarto Olympiadis CCII. edocent consentientes Phlegonti Eximus Doct. P. Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 40. Sect. 1. §. Sexta igitur sententia, vbi inquit, quod id omnes ferè Scriptores sine controversia admittunt. Salmeron *Prolegom.* 38. *Affertione 11.* Cuspin. in *Casiodori Chronico.* Pererius, lib. 11. in *Daniellem*, quest. 7. Onuphrius in *Fast.* Gordonus in *Apparatu*, tom. 2. cap. 4. Scaliger, de *Emmend.* lib. 6. cap. de 5. *Pascbate.* Et in *Eusebium.* Samerius in *Chronolog.* Barradius, tom. 4. lib. 1. cap. 7. Maria na, lib. de *Die mort. Christi*, cap. 12. Salianus, *Anno Mund. 4086. num. 9.* & in *Scholio ad eund.* num.

Nostram sententiam circa, &c Sect. 26. 395  
num. apud quem idem docuere ferè omnes, qui  
Olympiadum circa Passionem Christi memine-  
runt. Videsis eruditum Pagi, tom. 1. Crit. an. q. bii.  
Olymp. num. 13.

7 Tum sic : septuaginta Hebdomades in-  
choatae fuerunt anno vigesimo Artaxerxis Lon-  
gimani ; ille autem annus concurrit cum anno  
quarto Olympiadis LXXXIII. apud Julium  
Africanum, in 5. temporum volumine, ut refertur  
à D. Hieronymo in cap. 9. Danielis. Et Eusebio,  
lib. 8. de Demonstratione Evangelica. Demonstra-  
tione secunda, sub medium, qui nec in Regno qui-  
dem Persarum nobiscum pugnat, iuxta ea, quæ  
de huiusmodi Regno diximus Sect. 8. & 9. et si  
hunc annum centessimum decimum quintum  
Regni Persarum vocet, priores enim tres, ac  
viginti annos, sive integras viginti duos, quibus  
Cyrus regnavit ante Imperium Babylonicum  
subiugatum, cum annis inde subsequitis copu-  
lat. At Cyri annos regni, sciungendos ab Impe-  
rij annis, non semel diximus.

8 Ad eundem annum quartum Olympia-  
des 83. initium Hebdomadum referunt præci-  
pue Pererius, lib. 10. in Danielem in cap. 9. ad il-  
la verba scito ergo, & animadverte : in fine co-  
mentarij, & Salianus ad Annum Mundi 3609.  
num. 1. pluresque alij, quos laudavi Sect. 5. Ab  
ea autem Olympiade 83. usque ad ducentessi-  
mam

396 *Sacra Chronologic.dissert.quarta decima.*  
mam secundam , in qua mortuus est Christus  
Dominus intercedunt centum decem novem  
Olympiades , quæ reddunt annos 476. quibus  
adde annum quartum Olympiadis 83. & pri-  
mum Olympiadis 203. qui pertinet ad annum ,  
sive solarem , sive lunarem mortis Christi Do-  
mini , & fient anni 478. quos inquirimus ad sep-  
tuaginta Hebdomades complendas lunarium  
annorum.

## SECTIO Vigesima SEPTIMA.

### FIT SATIS CHRONOLOGICÆ *cuidam obiectioni.*

I **O**PPONET quispiam: Olympiadum  
annus computabatur , & incipie-  
bat ab æstivo Solstitio : at Christus  
Dominus mortem subiit mense Martio; cer-  
tum quippè est, Christum Dominum in Pascha-  
te , & consequenter in primo mense Hebraeo-  
rum , quem Nisan appellant , esse imperfectum,  
neque enim alio mense Pascha apud Hebraeos  
celebrabatur , iuxta præscriptum Mosaycæ le-  
gis, nisi quādo necessitas aliqua cogebat aliquos,  
in secundum mensē eam celebritatem differ-  
re , ut disertè scriptum est in lib. Numerorum, c.  
9. v. 10. & 11. & licet mensis ille Hebraicus luna-  
ris esset, & ideo ad duos menses Julianos , seu

Ro-

Romanos pertineret, ita ut prior illius pars in Martium, posterior in Aprilē cadat; communissima tamen sententia, ut cernere est apud P. Ricciolum, lib. 8. capit. 19. et si ipse ab illa descendat, ait, Christum Dominum in mense Martio crucifixum. At solstitium aestivum incidit in vigesimam primam diem Junij, Sole Cancrum ingrediente: igitur Olympias 203. eo solstitio incipiens, post mortem Christi Domini, iam præteritam in mense Martio, ad Septuaginta Hebdomades complendas pertinere haud potest.

2 Incrementumque difficultas accipit; quoniam iuxta sententiam nostram, à vigesimo anno Artaxerxis Longimani usque ad mortem Salvatoris nostri, non tantum quadringenti septuaginta quinque anni solares, qui æquivalent quadringentis nonaginta lunaribus, quibus constant Septuaginta Hebdomades, sed insuper quadringenti septuaginta octo numerantur: haud ergo stare valet positio nostra.

3 Respondeo: utque magis veritas inclarescat, præmittam distinctionem computationis exclusivæ, & inclusivæ, Chronologis satis usitatam. Computatio inclusiva est, cum propositi numeri uterque terminus primus, & ultimus in computatione includitur: exclusiva vero est, cum uterque pariter excluditur. Exemplum utriusque computationis circa eandem histo-

398. *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima.*  
riam reperitur in Evangelio. Etenim Transfigurationem Domini, Divus Lucas narrat, *cap. 9.* factam esse octo diebus post sermonem Domini, de imminente sua Passione, & glorificatione. At D. Matthæus, *cap. 17.* Et Marcus, *cap. 9.* eandem Transfigurationem sex diebus post eundem illum sermonem, factam scribunt. Nec est inter Evangelistas repugnantia. Nimirum, Matthæus, & Marcus exclusiva computatione usque sunt; Lucas autem inclusiva.

4 Prælibatam distinctionem pro re nostra tradit P. Peretius in *Danielem lib. 12. tert. part. in fine*, & ex illa subducit, à vigesimo anno Longimani, usque ad annum Passionis Domini esse annos quadringentos septuaginta septem, secundum inclusivam computationem: at verò secundum exclusivam, quam Angelus sequi maluit, ut integrum numerum Septuaginta Hebdomadum exprimeret, anni duntaxat septuaginta quinque, & quadringenti numerantur. Suffragatur P. Cornelius in *cap. 9. Danielis, v. 25. conclus. I.*

5 Verum enim verò, et si retinenda veniat præfata computationis exclusivæ, & inclusivæ diversitas, insufficiens tamen est, ut obiectioni præcipuae fiat satis, maximè, cum nos non solum annos 477. sed etiam 478. lunares numerari posse, à vigesimo anno Longimani usque ad Pas-

sionem Domini, assleramus. Ideo dicendum reor, fallacię, p̄fata in obiectione latentis, eam esse radicē, nemp̄ quod in illa confundatur putatio annorum Olympiadum cum putatione annorum lunarium, & solitium, aut Romanorum. Siquidem anni 478. quos dicimus numerari posse in Hebdomadibus septuaginta, sunt Solares, & Juliani: in uno autem eodemque anno Solari, & Juliano occurunt duæ Olympiades: nemp̄ alia penes finem, & alia penes initium; & consequenter ad annum ultimum solarem ex prædictis 478. connumerandum, habenda est ratio Olympiadis eo anno incipientis in æstivo solstitio.

6 Id quod aliter declaratur; nam Olympiadis annus finiens in solstitio æstivo potius pertinet ad annum præcedentem, in quo incipit, quam ad sequentem, in quo desinat; & propterea connumerandus est, & notandus præcisè eo anno, in quo incipit: alias idem annus bis ad Chronologiam referretur, videlicet, semel propter annum Olympiadis incipientis in solstitio æstivo, & iterum propter Olympiadis annum desinentem in sequenti solstitio æstivo, id quod universam temporum rationem turbaret.

7 Unde ad ineundam Chronologiam solaris anni labentis, Olympiadum habita ratione, non est putandus annus Olympiadis, qui in æsti-

400 *Sacra Chronologic.dissert quartadecima.*  
tivo solsticio finem habet, sed ille tantum, qui in-  
cipit in eodem solsticio : Annus autem Julianus  
Passionis, & mortis Christi fuit primus Olympi-  
adiis tertiae supra ducentesimam; quartus vero  
Olympiadis praecedentis, in quo Christus passus  
fuit, terminatus fuit, propè finem mensis Ju-  
nij; proptereaque annus Julianus à Januario  
incipiens, illam exeuntem, & hanc inchoantem  
amplectitur. Unde fit, quod ab anno vigesimo  
Longimani usque ad tempus Passionis Domini,  
enumerari queant anni 478. computato anno  
Juliano, in quo incipit Olympias 203.

8 Quod si opponat quispiam, annos Lunares 490. quibus dicimus Danielis Hebdomades  
constare, æquivalere annis duntaxat Solaribus,  
& Julianis 475. ut in praesentia annotant ferè  
omnes, & prælibatum est *Sect. 2. num. 1.* subin-  
deque haud congruè numerari posse, his in Heb-  
domadis, annos Solares 478. adhuc secundum  
inclusivam computationem. Huic replicæ fiet  
satis, dicendo, annum primum Olympiadis ter-  
tiae supra centesimam excludendum ab stricta  
Hebdomadum periodo, quia, ut animadversum  
est, eius Olympiadis initium cadit in aestivum  
solstitium, ante quod Christus Dominus occi-  
sus fuit; tantumque in computationem adduci-  
tur, quia labente anno eodem Juliano, inchoata  
est illa Olympias, & ad eundem Julianum an-  
num pertinet, quoad sex mensies. *Præ-*

9 Præterea ex præ adducta doctrina P. Pere-  
rij, secundum exclusivam computationem, iux-  
ta quam termini primus, & vltimus non com-  
putantur, id est excluso anno vigesimo Longi-  
mani, nempè quarto Olympiadis octogesimæ  
tertiæ, nec non quarto Olympiadis secundæ su-  
pra ducentesimam, subremant anni solares  
475. quos strictè complectuntur septuaginta  
Hebdomades annorum Lunarium. Cæterum  
iuxta inclusivam computationem numerandi  
veniunt solares anni 477. & insuper, quoniam,  
ut prælibavimus, Christus passus fuit anno Ju-  
liano, in quo terminata fuit Olympias CCII. &  
inchoata est CCIII. huiusque annus primus  
pertinet ad eundem annum Julianum, ideo pos-  
sunt numerari anni 478. pro eo ac docet P. Sa-  
lianus, *Anno Mundi 3609. num. 7. Et Anno Mun-  
di 4086. num. 9.*

10 Quoniam autem, tradita à nobis sen-  
tentia supponit, Christum Dominum, Affer-  
toremque nostrum, passum esse anno ipsius vi-  
tae quarto ineunte supra trigesimum, id quod  
non omnes admittunt, operæ pretium erit, Au-  
thores, qui nostræ suffragantur sententiæ, re-  
ferre, ac laudare: hi ergo sunt Venerabilis Be-  
da, lib. de Ratione tempor. cap. 45. non obiter  
proferens, sed auctoritate Evangelij, & Eccle-  
sie vnu confirmans: Onuphrius in fastis, anno

Urb. Cond. 786. & in *Chronico*, qui pro eadem opinione laudat D. Chrysostomum, in *Oratione de S. Joanne Baptista*. Nicetam, & Ecclesiam Græcorum, pluresque alios ex antiquis: pro eadem sententia stant Marianus Scotus in *Chron.* Eminentissimi Card. Baronius in *Apparatu*, & *Christi anno 34*. Et Bellarminus in *Chronologia*. P. Alphonsus Salmeron, tom. 1. Proleg. 38. in *Affert. 11.* Exim. Doctor P. Suarez, tom. 2. in 3. part. disp. 40. Sect. 1. Henricus Samerius in *Chronologia*, Barradius tom. 4. lib. 1. cap. 7. in 7. sententia. Salianus, tom. 6. Anno Mund. 4086. num 4. & 5. Torniellus in *Annalib. in fine*, pluresque alij.

II Alias huiuscè anni, & temporis notas eruditè consignat P. Salianus, nimirum fuisse annum ab orbe condito 4086. septimæ Ætatis, & Jesu-Christi an. 34. B. Virginis Mariæ 49. Imperij Romani 81. Tiberij Augusti 20. Philippi Tetrarchæ 33. & ultim. Cayphæ Pontificis 16. Præsid. Syr. Pomponio Flacco 12. Juðæ Procuratore Pontio Pilato 8. Olymp. CCIII. an. 1. Urb. Cond. 785. Coss. Ser. Sulpicio Galba, & Lucio Cornelio Sylla. Ann. Jul. 78. Augg. 62. Actiacæ Vict. 64. quas singilatim notas stabilit prælaudatus Salianus, præcipue à primo anno Juliano, & anno Nativitatis Christi usque ad hunc ipsius obitus, & passionis.

## SECTIO VIGESIMA OCTAVA.

*UT INTELLIGENDA VENIANT VERBA  
illa Angeli? Usque ad Christum ducem Hebdo-  
mades septem, & Hebdomades sexaginta  
duæ erunt.*

1 **I**N primis circa hæc prophetica verba notandum est, quod Tertullianus *in lib. adversus Iudeos*, pro *septem*, & *sexaginta duabus Hebdomadis*, legit Hebdomadas sexaginta, & diuidit ceterum, insignem in errorem incidisse illum, animadvertisit P. Perierius, *lib. 10. in Danielem, ad predicta verba.*

2 Retenta ergo lectione vera, & Canonica, ut pat est, queritur, cur Angelus non simpliciter, & aperte dixerit *69. Hebdomades*, quo nempè efficiunt *septem*, & *sexaginta duæ*, sed partite, ac præpostere summam eius numeri enuntians obscurè loquutus sit, dicens, *septem Hebdomades, & sexaginta duæ Hebdomades*?

3 Primo respondetur, ita loqui voluisse Angelum, ut servaret morem Prophetarum, iuxta illud D. Hieronymi super *cap. 45. Ezechielis*: *Scriptura, inquit, difficultatem habet in numeris, ut intentum animum faciat auditoris; ideoque multa dicuntur in parabolis, & enigmatibus, ut qui aures habet audiendi, audiat; omnisque pro-*

404 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima;*  
p̄betia in obscuritate continet veritatem , ut disci-  
puli intrinsecus audiant ; ignobile vulgus &  
foris p̄ositum , nesciat quod dicatur. Hæc Maxi-  
mus Doctor , cuius Authoritatem refert P. Pe-  
terius, lib. 10. in *Danielem.*

4 Secundò , & communiter , respondeatur ,  
hunc loquendi modum esse phrasim Hebrææ  
linguæ , in sacris literis non infrequentem : sic ex  
sententia Hebræorum annotat hoc loco D. Hie-  
ronymus , & ponit exemplum : Nos diceremus ,  
vixisse Abraham centum septuaginta quinque  
annis , at Hebræi dicerent , vixisse cum quin-  
que , & septuaginta , & centum annis .

5 Aliud , & illustrius adducit exemplum P.  
Peterius ex cap. 45. *Ezechielis*, de promptum ; cum  
enim vellet Propheta docere , quot s̄icli faciant  
vnam mnam , & potuisset brevitè , ac dilucidè  
dicere , sexaginta s̄icli faciant mnam , servans ta-  
men proprietatem linguae suæ , ita dixit : Porrò  
viginti s̄icli , & viginti quinque s̄icli , & quinde-  
cim s̄icli mnam faciunt . Alij addunt , ob perfectio-  
nem septenatiij numeri propositas illas septem  
primas Hebdomadas separatim ab alijs .

6 Tertiò respondeatur , propterea Gabrielem  
ita distinxisse Hebdomadas , vt insinuaret , in  
huiusmodi partitione aliquod subesse myste-  
rium : videlicet in primis septem Hebdomadi-  
bus duæ res valde insignes , ac memorabiles  
con-

contigerunt, namque in exordio primatum septem Hebdomadum, refecta, munitaque est v̄bs Jerusalem à Nehemia, quod, vt diu fuerat optatissimum Judæis, sic fuit lætiſſimum. Sub finem autem illarum septem Hebdomadum clariuit Regina Esther, & Mardochæus, qui gentem Judæorum ſupræmo exitio, quod ei genti machinatus fuerat Aman, liberatunt, vt Peterius, & alij existimant, qui refeunt Estherem ad tempus Artaxerxis Mnemonis; nos tamen rati sumus, ad Artaxerxem Longimanum pertinere, vt dictum eſt *Difſert. 12. Sect. 11.* & ſequentibus.

7 In alijs porro sexaginta duabus Hebdomadis, plura evenerunt apprimè memoranda, ſed ea partim fausta Judæis, partim luſtuosa, & funesta. Primum enim Alexander Magnus ve- niens Jerosolymam, adoravit Pontificem, ho- noravit Templem, ſacrificavit Domino, Judæos- que inuenientibus pariter atque honoribus affecit, etiam multis in ſuam militiam aſcitus.

8 Deinde in earum Hebdomadum decurſu, extitit atrocissima illa perſequutio Antio- chi Epiphanis aduersus Judæos, quem Antio- chum, inquit Sſilianus, *Anno Mundi 3879. nu- mer. 4.* talem fuſſe moribus, & crudelitate, & in Deum impietate, eam ſatellitum eius inhu- manitatē: ea etiam impiorum Judeorum criminā, ea Sanctorum in eadem gente pro Religione cer-

406 *Sacrae Chronologie. dissert. quartadecima.*  
tamina, ut postremis Antichristi temporibus,  
quæ atrocissima futura sunt, simillima, & quasi  
gemina videri possint, & iste Rex illi suppar, quo  
nil iceleratius Sol unquam vidit, aut visurus  
est in terris: hæc Salianus.

9 Contigit in decursu earundem Hebdo-  
madum etiam gloriosissimus, æque virtutibus  
quam rebus gestis, Ma. habætorum principatus.  
Ad hæc, ante finem Iarum sexaginta novem  
Hebdomadarum defecit sceptrum de Judæa,  
translato Imperio Hebrææ gentis ad alienige-  
nas, quorum primus Herodes Judæis impera-  
vit: hoc regnante, ut impleretur prophetia Ja-  
cob, quæ est in *Genesios lib. cap. 49.* venit, qui  
mittendus erat, hoc est, natus ex Virgine in tex-  
tis est Dominus Jesvs.

## SECTIO VIGESIMA NONA.

*REFELLIT VARIOS JUDÆORUM ERRO-  
RES de subiecto vaticinijs Danielis, & Gabrieli-  
Archangeli,*

I **H**AC Sectione refellendi veniunt pri-  
mo Hebrei, qui, more suo, seria,  
& sacra fabulosis, & commentitijs  
rebus miscentes, & contaminantes, quem An-  
gelus prædictit, post septem, & sexaginta duas  
Heb-

Hebdomadas occisum iri, putant fuisse Agrippam minorem, ultimum Iudaeorum Regem, quem aiunt, tempore belli, quod Romani Vespasiano, Titoque ducibus, cum Iudeis geserunt, fuisse a Romanis interficatum.

2. Cæterum ad hanc eorum fabellam manifeste falsitatis convincendam, unus eiusdem gentis Iudeorum, maiori peritiae praeditus sufficere potest, Josephus nempè, qui bello illi interfuit, ipsumque copiosè, & fideliter septem libris perscripsit, necnon & Regi Agrippæ carus, & familiaris fuit. Hic ergo lib. 2. de Bello Iudeo, cap. 16. scribit, Agrippam, cum gravi oratione conatus esset, revocare Iudeos a bello, quod adversus Romanos suscepserant, videretque, se nihil verbis proficere, Iudeis obstinatè ad arma ruentibus, relictis illis, adhaesisse Romanis.

3. Ad Agrippæ, inquit Josephus, Regis orationem, multitudo Iudeorum accensa, nec a verborum in Regem contumelijs temperarunt, sed protinus expulsum vibè, ausi sunt etiam nonnulli saxa in cum iaciendo, prosequi. Rex autem videns tumultuantium irrevocabilem impetum, conquerendo quod contumelijs esset affectus, confessim discessit. Sic Josephus, qui etiam in eo libro, quo vitam suam descripsit, aperte docet, Agrippam ei bello, aique cladi

408 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecim s.*  
Judæorum multis annis fuisse superflitem. Quin  
etiam Cornelius Tacitus lib. 5. *Historiarum*, affir-  
mat, Agrippam in eo bello sequutum esse partes  
Romanorum, ob idque magno honore, & gra-  
tia fuisse apud Romanos.

4 Sed licet hunc errorem condonaremus  
in scitiae Hebræorum, at Chronologiz error nul-  
lomodo est tolerabilis; namque ab ædificatio-  
ne Jerusalem sub Nehemia, quæ fieri coepit est  
Olympiade octuagesima tertia, usque ad Olympi-  
iadem ducentessimam duodecimam, qua bel-  
lum illud gestum est, ut Gordonus, Petavius, &  
alij observant, non sexaginta duæ nec sexaginta  
novem, aut septuaginta, tantum Hebdomadæ,  
quas hoc cap. consignat Gabriel, sed ferme  
septuaginta quatuor Hebdomadæ, hoc est, anni  
circiter sexdecim, & quingenti præterierunt,  
vt animadvertis p̄cipue P. Pererius, lib. 10. in  
*Danielem*, ad illa verba: *Et post sexaginta duas*  
*Hebdomadas occidetur Christus.*

5 Denique Herodi Agrippæ, nec Christi  
appellatio potest accommodari, qui nec gratia,  
nec olco vñctus fuit, nec alia, quæ continentur  
in illa prophetia, eidem convenire ullo modo  
possunt, vt ex ipsius verbis liquidum fit, & ex  
dicendis inclarescat amplius.

6 Secundo refellendus venit Rabi Salomon,  
qui existimavit, per Christum in hoc vaticinio  
in,

Refellit varios Judeorum, &c. Sec. 29. 409  
intelligendum Cyrum, qui soluit captivitatem  
Babyloniam; hunc enim Isaia cap. 45. vocat  
Christum dicens: *Hæc dicit Dominus Christo meo*  
*Cyro.* Verum hic error, refellitur primo, quia  
Cyrus non competit, quod de Christo ait hic  
Daniel, nimis eum fore Sanctum, fore con-  
sumaturum prævaricationem, finem daturum  
peccato, & adducturum iustitiam sempiternam,  
ideoque fore *Nagid*, hæbraicè, hoc est, ducem  
Populi fidelis, & Christiani, Cyrus enim licet  
beneficus fuisset erga Judæos, eorum tamen  
Dux minimè extitit, sed potius Zorobabel, ut  
ex lib. 1. *Esdræ*, cap. 1. constat.

7 Secundo, & evidentè, quoniam Hebdo-  
mades hæ incipiunt multis annis post Cyrum,  
nempè ab Artaxerxe Longimano eiusque anno  
vigésimo, ut ostendimus Sec. 5. & 6. ad quem Ar-  
taxerxis annum à morte Cyri fluxere anni oc-  
toginta sex, quibus imperarunt Cambises, Smer-  
des Magus, Darius Hystraspis, & Artaxerxes: er-  
go nullo modo fieri potuit, ut Cyri Imperium  
fuerit finis Hebdomadum, cum illud finitum  
fuerit pluribus retro annis ante Hebdomadum  
initium.

8 Respondet Rabi Salomon, Hebdomades  
sexaginta duas dividi à Daniele ab Hebdomadi-  
bus septem, ait enim, usque ad Christum Ducem.  
*Hebdomades septem, & Hebdomades sexaginta*  
*duas,*

410 *Sacrae Chronologic.dissert.quartadecima.*  
duæ , quasi diceret Hebdomades septem usque  
ad Cyrum , qui Judæis erit favens , & quasi  
Christus : inde sexaginta duæ Hebdomades  
erunt, quibus ædificabitur, & stabit Jerusalem,  
sed in angustia, quia à Persis, Græcis , & Roma-  
nis vexabitur ; unde in fine earum occidetur al-  
ter Judæorum Christus à Romanis, scilicet He-  
rodes Agrippa.

9 Cæterum contortæ huic evasione multi-  
pliciter occluditur aditus. Contra illam igitur,  
& pro vero huiusc prophetae sensu , ipsius  
perspicua verba decertant tertio; quoniam Da-  
niel aperte consignat Hebdomades septuaginta  
ab exitu sermonis , ut ædificetur Jerusalem us-  
que ad mortem Christi ; perperam ergo septem  
præcise Hebdomades assignantur in ea periodo:  
antecedens constat ex illis verbis Angeli : Sep-  
tuaginta Hebdomades abbreviatæ sunt super Po-  
pulum tuum, & super Urbem sanctam tuam , ut  
consumetur prævaricatio , & finem accipiat pec-  
catum , & deleatur iniquitas , & adducatur iusti-  
tia sempiterna , & ungatur sanctus sanctorum.  
Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut  
iterum ædificetur Jerusalem, &c.

10 Quartò, quia ab exitu sermonis ædifi-  
candi Jerusalem , quamvis huiuscmodi sermo  
intelligeretur de libertate concessa Judæis post  
septuagenariam captivitatem, usque ad Cyrum  
non

Refellis varios Iudeorum, &c. Sec. 29. 411  
non interfuerunt Hebdomades septem, imo nec  
dies vniuersi, siquidem Cyrus ipse iam imperabat  
in Perside, & Babylone, quando libertatem Ju-  
daeorum indulxit.

11 Quinto: à Cyro usque ad ædificationem  
Ierosolymorum elapsi fuere tantum anni nona-  
ginta tres: ergo ab initio Imperij Cyri, & tol-  
ta captivitatis, usque ad ædificationem Jerusa-  
lem, non possunt repetiri Hebdomades sexa-  
ginta duæ, quas confingit Rabi Salomon.

12 Hinc profliganda sunt alia Rabinorum  
deliramenta, aientium in hoc nostro textu per  
Christum, accipi debere Nehemiam, & Zoro-  
babelem; id quod manifestè refellitur; tamen quia  
nemo eorum occisus fuit; tamen quia ratio tem-  
poris, & Hebdomadum in illos haud quadrat,  
nec stare non potest: cum Nehemias ipse Jero-  
solymorum præfuerit ædificationi, ut liquidum  
est ex lib. 2. Esdræ, cap. 2. & seqq. Eccl. siast. ca. 44.  
¶ 15. Zorobabel autem fuit immediatus in Du-  
catu antecessor, ut constat ex lib. 1. Esdræ.

13 Nec potior est tertia alia intelligentia  
quorundam Rabinorum, qui assertunt, utique in  
hoc nostro textu agi de Christo Domino, & Mes-  
sia; ceterum hiscè septuaginta Hebdomidibus,  
non definiri tempus adventus eius, quasi ipse in  
septuagesima, & ultima sit venturus, sed quod  
in his, Judæi merebuntur, ut ipse suo tempore  
veniat.

Vc-

14 Verumtamen ut taceam, illos ea in ultima Hebdomada potius meruisse excidium, quod eis intulerunt Romani, id intelligentiae ipsa verba angeli excludunt; ait enim usque ad Christum ducem Hebdomades septem, & Hebdomades sexaginta duæ, post Hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: ergo Hebdomades definiunt tempus adventus Christi, & Passionis ipsius: unde Rabi Salomon fatetur, quod Judæi hunc Messiæ advetum non meruerint in tempore septuaginta Hebdomadarum, sed his finitis, tempore huius diutumæ, & interminabilis captivitatis, cum mereantur. Sed hoc absurdius dicitur, primò, quia nec per annos iam mille, & septingentos ferè, post finitas Hebdomades, fructus huius meriti apparuit, ut & Messias, & Prophetæ aliquis prænūtius Messiam se ostenderet. Secundò, nam Judæi usuris, fraudibus fortigjjs addicti, obque crucifixionem Christi Domini, & odium, & contemptum, quo in illum nunc quoque ardent, tam vel magis scelerati sunt, quam fuerint olim, ut non Messiæ adventum, sed ipsius odium, reprobationē, extremamque mereri videantur desolationem. Sic Cornel.

15 Unde perperam prædictus Rabi Salomon verba Angeli, sic exponit, & detorquet, ut consumetur prævaricatio, id est, ut Judæi desistant à prævaricationibus suis, & per hoc me-

rean-

reantur apud Deum , vt eorum iniqutias delectur per captivitatem moderatam. Similiter, vt adducatur iustitia, id est , inquit , vt veniat Messias, per quem in sempiternum iustificantur Iudei, & tunc finaliter impleatur visio, & propheetia , vt per merita Iudeorum impleantur promissiones per Prophetas factae de Christo: viiiisse, inquam , sic interpretatur se ipsum perfide seducens.

16 Hæc quippe expositio, evertit perspicua verba, & sensum Angeli, & Danielis , tum penes Vulgatam lectionem, initio proposita, tum penes Hæbraicū fontem, vbi hæc ad verbum habentur: *Præcimum est, determinatum, & definitum (forè scilicet) super Populum tuum, & super Urbem Sanctuarij tui Hebdomades septuaginta ad consummandam prævaricationem, & ad finiendum peccatum, & ad delendam iniqutitatem, & ad adducendam iustitiam seculorum, & ad complendam visionem, & ad vngendum Sanctum Sactorum.* Ita legunt septuaginta Interpretes, Leo Hebraeus, & alij : quibus verbis aperte ostenditur, quod illa omnia bona intra septuaginta Hebdomades futura erant , ad id quippe decitæ , & definitæ sunt prædictæ Hebdomades.

17 Tertio, Angelus afferit, in dimidio Hebdomadæ septuaginta deficiet hostia, & sacrificium: igitur cum constet, Hostiam, & Sacrificium de-

414 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima.*  
defecisse apud Judæos, præsertim ab excidio  
quod perpetræ fuerunt ab exercitu Titi, con-  
citat necessariò, ex tunc iam esse completas  
Hebdomades sepruaginta, omneque Judæo-  
rum meritum, & bonum, hæc enim à publico  
Dei cultu, Sacrificijs, & Sacramentis omnino  
pendent.

## SECTIO TRIGESIMA.

*IDE M INSTITUTUM PERFICIT, ET*  
*principiè ostendit, non esse intelligendum Daniëlem*  
*de Templo, nec de Hircano.*

I **Q**uartò reiiciendi sunt Talmudici,  
Rabi Salomon, & passim Hebræi,  
qui vt telum tam acutum, & cer-  
tum effugiant, afferunt aliam expositionem, haud  
minus contortam, & se ipsam, ipsoisque Judæos  
iugulantem. Dicunt ergo, hic non agi de Chri-  
sto, sed de Templo, nam pro *Sanctus Sanctorum*;  
in Hebreo est *sanctitas sanctitatum*, id est, Tem-  
plum, vt illi configunt: præterea afferunt, ha-  
ce Hebdomades dividendas esse in duas partes,  
nimis in oricem eorum partem esse decem  
priores Hebdomades, quæ conficiunt septua-  
ginta annos, quas dicunt inchoari ab excidio  
Templi Salomonici, quod peregit Nabuchodo-  
nbor, & terminari in reædificatione Templi  
se-

secundi, quæ peracta est per Zerobabelem anno sexto Darij Hystaspis, ut dicitur lib. 1. *Ezrae, cap. 6.*

2 Posteriorem autem partem inquiunt, esse sexaginta Hebomades reliquas, quæ conficiunt annos 420. quibus asserunt, durasse Templum secundum. Ita ipsis Talmudicorum, & Rabi Salomonis verbis, referunt Finus Adrianus, lib. 5. *Flagelli Iudeorum, cap. 5.* Petrusque Galatinus, lib. 4. de *Arcanis fidei, cap. 14.* & sequentibus.

3 At hæc etiam frivola esse, & implicatoria, demonstratur primò, quia Angelus non durationem Templi, sed tempus adventus Messiae prædicit illis verbis: *Septuaginta Hebaomades abbreviatæ sunt, ut finem accipiat peccatum, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Nec obest quod dicit Rabi Salomon, nempè, pro *Sancto Sanctorum, Hebraicè legi, sanctitas sanctitatum,* hoc est, *Templū sanctissimū,* quia in fine septuaginta Hebdomadū non fuit vñctū *Templū,* aut consecratum, sed profanatum, & combustum à Romanis, ut Rabini ipsi fatentur: ergo Angelus non prædicit durationem Templi, sed tempus adventus Messiae, qui est sanctitas, sanctitatum: id est, sanctissimus, & suprema sanctitas, ut veritit Leo Hebreus: sic Pontificem vocamus *sua sanctitas,* id est *Sanctissimus Dominus,* sic principi dicimus *sua celsitudo,* Regi sua maiestas.

Idque ita intelligendu esse, patet quia ita explicat Daniel, dum subdit, usque ad Christum ducem *Hebdomades septem*, & *Hebdomades sexaginta duę*. Tum quia melius in Hebræo, alijs punctis, legitur *Kedos Kedoscim*, id est, *Sanctus Sanctorum*, vii in Vulgata lectione habetut ; adnotatque P. Cornelius in præsenii ; id autem soli Christo , non Templo , convenit. Verūm eti legas sanctitas sanctitatum , certum est , Christum intelligi; Christus enim adduxit iustitiam abolevit peccatum. Deinde : pro deleatur iniquitas , Hebraicè est *Lecapper avon* , id est , ad propiciandum pro peccato, quod Christo propriè convenit.

4. Dices ex Rabinorum doctrina, quod Hebraicè *Codes* significat Templū hoc cap. v. 26. ubi dicitur, & *Civitatem*, & *Sanctuarium* (Hebraicè *Codes*) dissipabit Populus cum duce venturo: ergò, & hic, v. 24. etiam significat Templum. Respondeo : nego consequentiam , quia in v. 26. iungitur Civitati, & dicitur cum ea dissipandum à Tito, quod de Templo accipi debere, liquet; maximè quia ante Templi excidium prædixit Angelus, occidendum Christum. At v. 24. prædicit vngendam esse sanctitatem sanctitatum, quæ adducat iustitiam sempiternam, & aboleat peccatum, impleatque promissiones Prophetarum , quæ fecit Christus Dominus. Ideoque Rabini plures, & Authores Talmud fatentur, in  
fine

*Idem institutum perficit, &c. Sect. 30.* 417  
fine harum Hebdomadum septuaginta ventrum Messiam, eumque intelligunt per iustitiam sempiternam, ut mox dicetur, licet simul assertant, denotari Templi durationem.

5 Secundò: Angelus, hic, Danielem afflictum, & obsecrantem pro liberatione Populi consolatur: verbis illis: *Hebdomades septem, & Hebdomades sexaginta duce erunt, ergo non definit tempus desolationis primi Templi, annorum septuaginta, nec durationis Templi secundi per annos 420. deindeque excindendum fote in perpetuum; hæc quippe tristia sunt, non læta.* Constat enim Angelum hunc consolari Danielem, eique lætum asserre nuncium, quod exauditæ sint preces eius: ibi, ¶. 23. *Ab exordio precum tuarum::: quia vir desideriorum es, &c.* & statim, ¶. 24. *septuaginta Hebdomades abbreviatæ sunt.*

6 Tertio: hæc Hebdomades inchoandæ sunt ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, ut habetur ¶. 25. adeoque iam Urbs, & Temple prius eversa, desolataque fuerant: igitur male, imo contrariè verbis Angeli, Judæi eas inchoant ab excidio primi Templi, iam pridem facto à Chaldeis. Non enim dicit Angelus, ab exitu destructionis, sed ædificationis Jérusalem.

7 Quartò, eversio Templi, quæ hic prædictur futura, ut Judæi volunt, in fine septuaginta Hebdomadum, non fuit ablatio peccati,

418 *Sacra Chronologic. dissert quartadecima.*  
adductio iustitiae sempiternæ, nec vngtio Sancti  
Sanctorum, quod tamen hic in fine earundem  
Hebdomadum futurum afferit Angelus, sed po-  
tius illa totius religionis, & gentis Judæorum  
fuit destructio.

8 Quintò, errant Rabini in annorum sup-  
putatione, quoniam illi in *Magilla capit. I.* do-  
cent, ab excidio primi Templi usque ad fabri-  
cam secundi fluxisse annos septuaginta, id est  
septem Hebdomades; cum tamen ea periodus  
fuerit annorum nonaginta unius: perfectum  
namque est Zorobabelis Templum anno sexto  
Darij Hyrcaspis, ut dicitur *Esdræ lib. I. capit. 6.*  
v. 16. id est solutæ captivitatis vigesimo primo.  
Deinde hoc secundum Templum stetit, non tan-  
tum annis 420. ut Talmuldici aiunt, sed 586. &  
proinde a desolatione Templi Salomonici us-  
que ad Christi Domini nativitatem elapsi fuere  
anni ultra sexcentos quinquaginta, qui Hebdo-  
mades septuaginta, etiam solarium annorum,  
longè superant; quapropter ab illa eversione  
primi Templi haud possunt inchoari Hebdo-  
mades istæ.

9 Aliter vim huiusc vaticinij, & argumen-  
ti eludere conantur Hebræi, dicendo, quod *ius-  
titia sempiterna* apud Danielem, propriè est  
Deus, qui cum sit iustus, prout in Scripturis læ-  
pe nonnatur, sequitur quod sit iustitia. Illa  
enim,

enim, quæ de Deo dicuntur in concreto, oportet, verificari de eo in abstracto, propter eius summam simplicitatem, & cum ipse sit sempiterminus, sequitur quod eius iustitia, quæ est sua essentia, sit sempiterna: Unde sensus huius dicti Angeli, scilicet, *& adducatur iustitia sempiterna,* est, ut adducatur Deus, qui est iustitia sempiterna. Deus autem dicitur venire, seu adduci metaphorice, secundum suos effectus: quando, scilicet, effectu misericordiæ suæ, seu providentiaz, vel iustiziæ suæ venit, seu ducitur ad miserendum, seu providendum suis creaturis: Deinde Daniel in suis Orationibus, quæ in illo capitulo continentur, non petivit, Messiam adduci, nec aliquid huiusmodi, sed solum reparationem Templi, & Civitatis, & etiam amotionem opprobrij Populi sui, prout verba sua manifestè sonant, in quibus nulla mentio de Messia reperitur.

10 Unde quia in termino prædictatum Hebdomadum Deus venit miserando Populo suo, reducendo eos de captivitate Babylonica, & redificando Templum, & Civitatem, & vindicando eos de inimicis, scilicet Chaldeis, qui infra istud tempus fuerunt destructi per Medos. Idcirco horum respectu satis propriè potest intelligi adductio iustitiae sempiternæ correspondenter ad orationes Danielis, quibus ista petebat.

11 Hæc tamen fucata, & distorta expositio haud difficulter discinditur ex dictis, illamque evertit Burgensis 1. Par. Scrutinij Script. dist. 3. cap. 3. cum quo fatemur, quod in hoc Danielis loco, iustitia sempiterna, est ipse Deus, sed ex eo non potest deduci, quod verba ista de Messia, seu Christo Domino non sunt intelligenda; siquidem Messiam esse verum Deum, ostendunt compluta, & perspicua Sacrae Scripturæ eloquia, ut illud Isaiae cap. 9. v. 6. *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.* Quæ verba inepte Rabi Salomon, & moderni Hebræi exponunt de Ezechia Rege Iudaæ, perfidi quippe Rabiri semper Sacras Scripturas, quæ de Christo Domino vera testimonia tradunt, tenebris offundere tentant.

12 Cæterum talis interpretatio irrationalis est, sacro eloquio contraria, & contra mentem antiquorum Hebræorum: siquidem Translatio Chaldaica, scilicet Jonathæ, quæ fuit ordinata ex ore Rabi Heliazar, & Rabi Josuæ, qui scripsere multo tempore ante destructionem Templi per Titum, videlicet annis quadraginta duobus ante ortum Christi, vt notat P. Tiranus in Authorum Indice, concinitque Burgensis loco

*Idem institutum perficit, &c. Sect. 30.* 421  
loco nuper citato, prædicti, inquam, Rabini, hunc  
Isaiæ textum expressè de Messia exponunt. Ec-  
quidem nemo, nisi insipienter, dicere potuit,  
quod Ezechiæ congruat, esse Deum.

13 Tum quia post allata Isaiæ verba, im-  
mediate asseritur V. 7. *Multiplicabitur eius im-  
perium, & pacis non erit finis:* Quæ verba nullo  
modo possunt verificari de Ezechia, cuius Regnū  
pax habuit finem post breve tempus, quoniam  
Sennacherib Assyriorum Rex bellum agressus est  
contra illum, & Judæ Regnum, obseditque Ci-  
vitates illius munitas, ut dicitur lib. 4. Reg. ca-  
pit. 18. V. 13. Et lib. 2. Paralip. capit. 32. V. 1.  
lib. 4. Reg. cap. 20. V. 17. Esaias Ezechiæ prædi-  
xit desolationem, & finem Regni Judæ per Ba-  
bylonicam captivitatem; quapropter nullo mo-  
do Ezechiæ aptari potest locus Isaiæ cap. 9. V. 6.  
& 7. De Christo autem Domino omnia ista ve-  
rificantur, cuius Ecclesia, in qua sedet, & reg-  
nat, confirmata est in perpetuum, tum terrena  
seu militans usque in mundi finem; tum cœles-  
tis, & triumphans in æternum. Urgent opti-  
mè hoc testimonium Eusebius, lib. 7 de Demons.  
cap. 4. Et lib. 9. cap. 8. Chrisostomus, Homil. 5.  
de Incomprehensib. Dei Natura, Burgensis 1. Par.  
scrutinij, dist. 10. cap. 6. Exim. Doctor. P. Suarez,  
tom. I. in 3. par. disp. 2. Sect. 3. qui sicut & Bur-

422 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
gensis plura alia in idem assumptunt expendunt  
prophetica oracula.

14 Conficitur ergo, quod dum Daniel praedixit, in fine Hebdomadum adducendam justitiam sempiternam, praedixit Messiae, seu Christi veri Dei, & hominis adventum: idque sic intellexere, & fassi sunt antiqui Hebrei; in libro enim Gederholam, id est, de Ordine Mundi, Rabi Barachia, exponens illud Isaiae cap. 56. v. i. Proxima est salus mea ad venientium, & iustitia mea ad revelandum, in Vulgata eodem sensu legimus: iuxta est salus mea, ut veniat, & iustitia mea, ut reveletur. Disserte inquit, quod per illud, & iustitia mea, intelligitur Messias, de quo scriptum est in Daniele, ut adducatur iustitia sempiterna. Hæc ille, ut notat Burgensis 1. par. Scrut. dist. 3. cap. 3.

15 Consimilitè Rabi Moyses Gerundensis exponens praedicta verba Angeli apud Danielem, sic dicit: Justitia sempiterna, & Sanctuarium Sanctoriorum, vel Sanctus Sanctorum, non nisi ipse Messias est, sanctificatus de filijs David. Sic ille. Unde ex ipsis antiquis, & modernis Talmudistis, agnoscere, faterique adiunguntur Judæi, in hœc Danielis loco de Messia, vero Deo, & homine, Christo Jesu, esse sermonem.

Dein-

16 Deinde Rabi Salomon, assertens, Daniel, & illum alloquenter Angelum, intelligendos de reædificatione Templi, & Urbis Jerolymorum, errat in Chronologia, ut prælibatum est Sect. 29. num. 6. & seqq.

17 Quod tandem idem ait, nempe, non obsecrasse Danielem eo loci, pro adventu Messiae, sed pro reparacione Templi, & Civitatis, proindeque Angeli eloquium non debere intelligi de adventu Messiae, id quidem haud difficultè elevatur; tanta quippe est Dei erga homines, præsertim verò iustos, benignitas, & bonitatis redundantia, ut non modò quæ optant, petuntque ab ipso, sed etiam plura, & maiora eorum votis, ac postulatis largiatur. Legimus Achaz Regi Iudæ, metuenti eversionem Regni Davidis, contra quod duo potentes Reges Israel, & Syriæ coniuraverant, Deum per *Isaiam*, cap. 7. prædixisse, non modo se Regnum illud terrenum Davidis defensurum, ac servaturum; sed etiam missio in terras filio suo, & ex purissima Virgine nato, omne genus hominum ex demonis potestate, ac servitute peccati cœpturum, & spirituale Davidis Regnum, hoc est Ecclesiam suam, per universum terrarum Orbem propagaturum; & contra omnes humanas, & diabolicas vires defensurum. Sic P. Petterius

424 Sacra Chronologic.dissert.quartadecimæ:  
in Danielem , lib. 10. ad verba Angeli. Septua-  
ginta Hebdomades abbreviatæ sunt.

18 Alio id ipsum comprobat exemplo Bur-  
gensis, 1. par. scratin. distinct. 3. capit. 3. quo-  
niam Abraham non petenti , nec obsecrare au-  
denti, quòd daretur sibi proles de Sara , sed so-  
lùm quod conservaretur Ismaelis vita: cum dixit,  
*Utinam Ismael vivat coram te.* Deus respondit:  
*Sara uxor tua pariet tibi filium , vocabisque no-*  
*mene eius Isaac , & constituam pactum meum illè*  
*in fœdus sempiternum , & semini eius post eum.*  
*Super Ismael quoque exaudi te, ecce , benedicam*  
*ei , & augebo , & multiplicabo eum valde : ex quo*  
*patet , quòd non solùm quod petivit Abraham ,*  
*sed amplius ei concessit Deus ; & sic in præ-*  
*sentia.*

19 Secundò eadem difficultas elevatur , ex  
traditis à Ruperto lib. in Danielem, cap. 16. nem-  
pè quòd B. abylonica illa Judæorum septuagena-  
ria captivitas, eiusque solutio imaginem quan-  
dam præferebat captivitatis omnium hominum  
sub diabolo , & peccato , & eius liberationis,  
quam Christus perfecturus erat: & illi septu-  
ginta captivitatis anni tempus omne significa-  
runt, quo Populus Dei peregrinatur in hoc se-  
culo. Quid ergo magnum erat intellectisse Da-  
nielem , quòd palam omnibus verba sonabant

jo.

Jeremiæ Prophetæ? Ergo cum orat hoc loco Daniel pro captivitate Populi , & pro refectio- ne Jerusalem , ac Templi, sub istis vocibus, res maiores intendit ; & sic illam captivitatem sol vi , optat , ut pro maiori solicitus sit. Sapien- tissimè igitur Deus in hac visione simul cum li- beratione Populi , & terrenæ Jerusalem refec- tione, præsinitum adventus Messiae tempus of- tendere , ac coniungere voluit. Huic ex Ru- perto excerptæ interpretationi adstipulatur P. Pererius, lib. 10. in *Danielem*.

20 Quod si opponat quispiam, Danieli An- gelum dixisse , *Et post sexaginta duas Hebdo- mades occidetur Christus* ; proindeque videri hinc non esse sermonem de Christo Domino , cuius Passionem , & mortem , diximus evenisse in fi- ne ultime, ac septuagesimæ Hebdomadis. Res- pondet Theodoreetus in *Commentario huius loci*, per Christum, hoc loco non alium intelligi quam Hyrcanum, Judæorum Pontificem, qui propte- ræ dicitur Christus, quia Pontifex erat, vnoctio- ne consecratus , quem occidit Herodes : qua- propter , ab ædificatione Jerusalem usque ad cædem Christi , id est , Hyrcani Pontificis se- xaginta duas Hebdomades Theodoreetus com- putat : ab interitu autem Hyrcani usque ad id temporis , quo Salvator noster in Jordane bap- tizatus est , numerat septem Hebdomades , id est

426 Sacrae Chronologic.dissert.quartadecima:  
est annos quadraginta novem. Et consequenter  
in dimidio septuagesimæ , & ultimæ Hebdomadæ  
crucifixum fuisse Christum Assertorem nos-  
trum.

21 Cæterum hæc interpretatio rectæ chro-  
nologiæ haud cohæret ; quippè à cæde Hyrca-  
ni, quæ facta est , vt narrat Josephus in lib. 15.  
*Antiquitatum*, traduntque Peterius in *Danièle*,  
*hoc loco*, & Salianus, *Anno Mundi 4024*. in Olympiade  
centesima octogesima septima , regre-  
dientes, usque ad tempus ædificationis Jerusalē,  
idest, ad annum quartum Olympiadis octogesi-  
mæ tertiaræ , unde incipiunt Hebdomades , non  
reperiemus sexaginta duas Hebdomadas , seu  
annos quadringentos triginta quatuor, sed Heb-  
domades tantum quinquaginta novem , seu an-  
nos quadringentos quatuordecim: & ab Olympiade  
centesima octogesima septima , qua oc-  
cissus est Hyrcanus, usque ad Olympiadem du-  
centessimam secundam in cuius principio Do-  
minus noster baptizatus est , non tantum sep-  
tem Hebdomades , seu anni quadraginta no-  
vem , vt censet Theodoretus, sed prope novem  
Hebdomades , sive anni sexaginta Juliani in-  
tercesserunt.

22 Et profectò ipsa sacri textus verba  
planè ostendunt , non de alio , quam de Chris-  
to Domino, & Redemptore nostro , intelligen-  
dum,

dum, dum dixit Angelus, Et post Hebdomade<sup>8</sup> sexaginta duas occidetur Christus: quia immedia-  
tè de illo subdit: Et non erit eius Populus, qui eum,  
qui eum negaturus est; quæ in Hyrcanum qua-  
drare non possunt, cum ipse non à Populo, sed  
ab Herode occissus fuerit; at de Christo Domi-  
no verissimè, & ad literam prædicta fuerunt,  
quandoquidem ex Evangel. Matth. capit. 27.  
v. 20. Marci, cap. 15. v. 11. Lucæ, cap. 23. v. 18.  
Joan. cap. 18. v. 4. Et ex Actibus Apost. capit. 3.  
constat, quod Ierosolymorum Populus ante fa-  
ciem Pilati negavit Christum Dominum sanc-  
tum, & iustum, petivitque vitum homicidam  
donari sibi: auctorem vero vitæ interfecerunt.

23 Tum quia, cum proximè antecedenter  
dicta apud Danielem, de Messia intelligenda  
sint, ut stabilitum manet, convenit, ut similitè  
etiam, quæ hic dicuntur de Christi nece, de  
Messia quoque intelligantur. Altas Angelus no-  
men Christi, eodem fermè loco, & ad Messiam,  
& ad alium, nescio quem, nimis ambiguè reti-  
lisset. Nec quisquam aliis Christus fingi potest,  
cuius cædem vaticinio Gabrielis præmonstrari,  
conveniens fuerit, & ob cuius occisionem tota  
tantaque mala, quæ proximè subiiciuntur genti  
Judæorum contigerint.

24 Itaque Gabriel his verbis significat, fo-  
rè, ut Messias ab his occidatur, ad quos servan-  
dos,

428 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecimā:*  
dos, & vivificandos venturus erat. Porro autem,  
Messiam à suis acerbissima, & indignissima  
morte necatum iri, tam propriè, aperte, distinc-  
teque vaticinati sunt David *Psal. 21.* & 68. &  
*Isaias cap. 53.* vt non tanquam vates, quod fu-  
turum erat, prædixisse, sed tanquam historici,  
quod gestum fuerat, narrasse, videantur.

25 Nec huic compertæ, & receptæ expo-  
sitioni dissentaneum est, quod Angelus dixerit,  
*Et post Hebdomades sexaginta duas occidetur Christus;* cum tamen Christi Domini passio in  
fine septuagesimæ Hebdomadis evenerit; quo-  
niam, ut *Sect. 28. num. 3.* prælibavi, & annotat  
P. Cornelius, repetendum est nec Hebraismum,  
post Hebdomades septem, & Hebdomades se-  
xaginta duas, id est, post sexaginta novem Heb-  
domades occidetur Christus; loquitur enim Da-  
niel de Hebdomadibus sexaginta duabus, quas  
paulo ante cum alijs septem coniunctit, quasi di-  
ceret, post Hebdomades sexaginta duas iam di-  
etas, quæ septem alijs coniunguntur, occidetur  
Christus, & non erit eius Populus qui eum ne-  
gaturus est. Vide sis P. Pererium, *lib. 10. in Da-*  
*niellem, ad hæc verba, & prælibata in Sect. 28.*

26 Idque intelligentiæ nedum Sacri Docto-  
res, & Interpretes tradiderunt, verūmetiam qui-  
dam antiquissimus Rabinus Ozeas amplexus  
est, ut refert Petrus Galatinus, *lib. 4. de Arcanis*

fidei, cap. 18. vbi ex quodam libro Rabi Simeonis, his verbis illius commemorat sententiam: (Rabi Ozeas flens dicebat, vñ illis, vñ illis ini quis, & impijs homicidis Israel, ob quorum amorem, vt peccatum eis dimittat Deus, mittet Filium sanctum suum, & carne humana induet, vñ illis, quia propter suas pravas actiones, rebelles erunt huic Messiae, nec respicient dicta, quibus imperabit, vt mundificentur aqua mundificationis, ad expianda peccata sua: nec incident in vijs Deo gratis; nec facient eius voluntatem, sed ingenti iracundia perciti illum occident.) Hæc ille Rabinus.

27 Confert quoque periodus quædam Epistolæ, supra sexcentos ab hinc annos scriptæ à quodam Rabino Samuele ad Rabinum Isaac, in qua confirmat ille, ex hac Danielis prophetia, evidenter probari à Christianis, iam venisse Messiam, responsa vero Judæorum esse admodum infirma, & absurdæ: quam Epistolam, Dionysius Cartusianus in extremo commentario 9. capit. Danielis, refert, & ita se habet: *Videtur, Domine mihi, Danielis prophetia, quæ scribitur, non capite, iam completa esse: vbi sic dicitur: Post sexaginta duas Hebdomades occidetur Christus, & veniet Populus cum duce venturo, destruetque Civitatem, & domum, & erit consumata destructionis perpetuæ. Et non est, Domine mihi,*

430 *Sacra Chronologic.dissert.quarta decima:*  
mi, dubium, quin destructio perpetua desola-  
tionis sit hæc captivitas, in qua iam sumus. Nam  
iam sunt mille anni, & aperte dicit Dominus  
per Prophetam, quod erit desolatio perpetua  
propter occasionem Christi; sicut est desolatio  
nostra post occasionem Christi. Non enim com-  
minatus est desolationem perpetuam, nisi post  
occisionem Christi. Et si voluerimus dicere;  
quod ante occasionem Christi fuimus in deso-  
latione; respondent nobis Christiani, quod ante  
illam mortem, non fuit desolatio nisi septua-  
ginta annis, & post hoc fuimus reduci in ter-  
ram promissionis, & fuimus apud Deum in gra-  
tia, & honore. Certè, Domine mi, non video  
evasionem; de facto enim probatur nobis, quod  
postquam à reædificatione Templi completæ  
fuerunt septuaginta Hebdomades annorum,  
tunc fuit Jesus occisus à patribus nostris: & po-  
steà venit dux, scilicet Titus, & Populus, scilicet  
Romani; & fecerunt nobis secundum prophe-  
tiā istam. Hodie sunt mille anni, & nihilomi-  
nus in ira Dei sumus; & tamen nos in ipso spe-  
ramus, expectantes adhuc venturum Messiam,  
& reversuros nos in terram promissionis, & Ci-  
vitatem, atque Templum instauraturos, futu-  
rosque in gratia, & honore apud Deum; nec de-  
solutionem hanc fore perpetuam, sed tempora-  
lem. Hsue, mi Domine, non est ista excusatio, &

*Idem institutum perficit, &c. Sect. 30. 431  
evasio consona, & vana videtur talis excusatio.)  
Hæc ille Rabinus ; cuius verba ex Cartusiano  
adducit etiam P. Peretius , in Danielē lib. 10.  
cap. 9. ad illa verba : *Et non erit eius Populus, &c.*  
vbi tria potissima ad confutandam Judaicam  
perfidiam argumenta doctè expendit. Videsis  
quæ de præfata Samuelis Epistola, dixi , tom. 2.  
*Dissert. 10. Sect. 30. num. 11. & 12.**

## SECTIO TRIGESIMA PRIMA.

### QUASDAM ALIAS ENODAT *difficultates.*

**G**ravioribus superatis difficultati-  
bus, nunc inquiritur primò , quis-  
nam sit Populus , & dux , de quo  
Daniel sub illis verbis , *Civitatem , & Sanctu-  
rium dissipabit Populus cum duce venturo ?* Res-  
pondeo, Populum cum duce esse Romanorum  
exercitum, duce Vespasiano , & Tito , in ultio-  
nem necis Christi Domini, profanantem , & di-  
ruentem Civitatem Jerusalem , & Sanctum ,  
quod in ea erat, Templum; illudque in æternum  
fuit desolatum; hæc enim est plena vastitas , &  
statuta desolatio à Deo per Angelum prædicta,  
quæ calamitates non , ut quas antea passi sunt,  
foe temporarias, sed plane sempiternas denun-  
tia:

432 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
tiavit Daniel; id quod significatur partim illis  
verbis; *Et finis eius vastitas*, & post finem bellū  
*statuta desolatio*, quo significatur, illam desola-  
tionem irreparabilem fore, quoniam à Deo tan-  
ti sceleris eorum vindice, atque vitore statuta,  
firmata, & in perpetuum stabilita sit: partim ex-  
tremis illis verbis, quæ claudunt hoc nonum ca-  
put: *Et usque ad consumationem*, & finem perse-  
verabit desolatio; nam illud *in finem*, vel, *usque*  
*in finem*, phrasis Scripturæ frequens est, idem  
significans quod *sine fine*, vel *in perpetuum*, seu  
*in aeternum*.

2 Atque veritatem huius vaticinij Gabrie-  
lis, exitus belli, quod quadraginta circiter an-  
nos post Domini nostri mortem, Romani Ves-  
pasiano, & Tito ducibus gestere adversus Ju-  
dæos, manifestè comprovavit; de quo bello, &  
vastissima Judæorum clade, & ruina cuncti his-  
toriographi testantur, præsertim Judæus Jose-  
phus, *de Bello Judaico cap. 16.* & 17.

3 Inquires secundo, cum prædicta mala,  
quibus Judæi ob necem Messiae puniendi erant,  
plus triginta annis post finem septuaginta Heb-  
domadum evenerint, cur Gabriel in tractatio-  
ne septuaginta Hebdomadum, eorum malorum  
commemorationem adhibere voluerit? Res-  
pondeo ex P. Pererio *in hunc Danielis locum*, id  
præstitum fuisse, ut sit coniectura probabile, tres  
ob

ob causas, nimirum Daniel ex charitate erga Populum suum cupidissimus erat nescendi futuros Populi sui casus, & eventus, vt igitur desiderio eius satisfaceret Angelus, voluit ei patefacere, ac præmonstrare quæ consequentibus seculis usque ad finem eventura erant Judæis.

4 Altera causa est: dixerat Gabriel, Messiam occitum iri a Judæis: voluit igitur ostendere, quām immane futurum esset hoc scelus; & quali, quantoque puniendum supplicio; vt saltem Judæi legentes in hac prophetia, mala, quæ, si Christum occiderent, ipsos manebant, perhorrescerent, non modo scelus illud patrare, sed etiam animo concipere.

5 Tertia causa fuit, vt Judæos, quod Messiam non receperissent, prorsus inexcusabiles esse, ostenderet: ex eo præsertim, quia cum ipsi post cædem Salvatoris nostri experientar, & sentirent ea omnia mala, quibus ob necem Messiae puniendos esse Judæos, Gabriel prædixerat; nihilominus tamē voluntaria cæcitatem, in clarissima luce caligantes, Messiam venisse obstinatissimis animis pernegrarent.

6 Hinc colliges, dissipationem, desolationemque istam Templi, ac Civitatis Jerusalem non intra Hebdomades septuaginta incidisse, sed multis deinceps annis, quandoquidem, vt dixi *Sect. 25. num. 6. Or. seqq.* Hebdomades ter-

minum habuere anno Christi trigesimo quarto , idest , anno quarto Olympiadis secundæ supra ducentessimam , ut stabilivi etiam *Sect. 26.*  
 At vero Urbis & Templi vastitas inducta à Romanorum exercitu , ducibus Vespasiano , & Tito contigit anno quadragesimo à mortuo Christo Domino , ut cum pluribus Scriptoribus tradit P. Titinus *Chron. cap. 50.* prope finem .

7 Inquires tertio , quænam sit abominationis desolationis , de qua Gabriæ hisce verbis : *Et erit in Templo abominationis desolationis ;* quam Angeli sententiam , nominato eius Scriptore Daniele , commemoravit Dominus , ut refert D. Matthæus *cap. 24. v. 15.* nam loquens cum discipulis suis , ita dixit : *Cum ergo videritis abominationem desolationis , quæ dicta est à Daniele , propheta , stantem in loco sancto , qui legit intelligat ; tunc qui in Iudea sunt , fugiant ad montes .* Est autem obscura hæc verba , nec cuivis ad intelligendum aperta , significare videtur Dominus , verbis illis , qui legit intelligat , quasi diceret , diligenti , & attento lectori opus est , ad ea intelligenda : imo & Interpretes huius sententiae variè admodum ea exponunt , ut cernere est apud P. Peterium , & Cornelium .

8 Igitur Pererius innixus D. Augustini auctoritati , in *Epist. 80. ad Hesychium* ; Origenis , *Homil. 27. in Matth.* Caetani , & Salmeronis in

D. Matib. cap. 24. existimat, abominationem desolationis esse exercitum Romanum, Ierusalem obtidensem, qui mox Urbem erat occupatus, & desolatus; quæ interpretatio non omnino displicuit Exim: Doct. P. Suarez, tom. 2<sup>o</sup> in 3. part. disp. 54. Sect. 5. & alijs Authoribus.

9 Cornelius verò eandem amplectens sententiam addit, & inquit, abominationem desolationis significare profanationem Templi, propter quam, & per quam illud desolatum est, & eversum, nimitem abominanda scelera Judæorum, quæ ipsi in Templo patrarentur: quibus ipsi abominandam, stragem, & vallationem Romanorum in se, Urbem, & Templum, provocarunt, quasi diceret Christus Dominus, cum, vel mox ut videbitis Urbem, & Templum ab hoc abominando exercitu fortis obsideri, & oppugnari; nec minus ab abominando exercitu, nempe Judæorum, intus occupari, & defendi: uno ob idola, altero ob scelera palam abominando; utroque nihil nisi desolationem minitante, tunc qui in Iudea sunt fugiant ad montes.

10 Et quidem, quod abominatione desolationis apud Danielem sit profanatio Templi facta à seditionis homicidis, & sceleratis Judæis, qui ex impio zelo patriæ, & legis le zelotas nuncupabant, & castitatum more munierunt, indeque in cives suos excurrentes, rapinis, &

436 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
cædibus grassati sunt. Hanc, inquam, intelligentiam præferunt Illustrissimus Dominus Abulensis, Cornelius Jansenius, Hesselius, & Barradius in *D. Matth. cap. 24.* Cardinalis Baronius, *Anno Christi 68. tom. I. Annalium.* Et quoad alteram partem huius interpretationis illam docte illustrat P. Cornelius, primam vero partem præcipue Peretius confulcit, ponderatque quod *D. Lucas. cap. 21.* narrans eadem verba Domini, quæ *D. Matth. cap. 24. v. 15.* Et *D. Marcus cap. 13. v. 14.* memoraverant; pro eo quod illi scripserunt, *cum videritis abominationem desolationis, stantem in loco sancto, tunc qui in iudea sunt, fugiant ad montes,* &c. Lucas, qui post illos scripsit Evangelium, quod ab illis minus expreſe dictum fuerat, planius & apertius dicens, ita scripsit *v. 20:* *Cum videritis circumdari ab exercitu ferusalem, tunc, qui in iudea sunt, fugiant, ad montes:* liquet igitur ex antecedentibus, & consequentibus, & ex ipsa forma narrationis idem esse apud Matthæum, & Marcum abominationem desolationis, quod apud Lucam, *Exercitum circumdantem ferusalem.*

11 Nec huiuscemodocè infringit argumentationis viam quod ait Euthymius super *24. cap. Matthæi*, nempè, Salvatorem nostrum duo decisus signa appropinquantis desolationis Jerusalem, unum quidem de abominatione desolationis, stante in

loco sancto, quod Matthæus, & Marcus narrarunt: alterum vero de exercitu circumdante Ierusalem, quod Lucas retulit: hoc, inquit Peterius, non est profecto verisimile; cum omnes tres Evangelistæ narrant eundem numero sermonem Domini, videlicet eodem loco, iisdem sententijs, ac penè verbis, cum eisdem discipulis, denique eodem tempore habitam.

12 Quod si inquiras, de quo exercitu, & obsidione Ierusalem intelligendum sit quod scripsit D. Lucas? Respondent Heselius, & Jansenius locis supra citatis, non eloqui hunc Evangelistam de ultima obsidione Ierusalem à Tito facta; non enim ea fuisset idoneum signum ad fugiendum imminens exitium; nimis enim sera fuisset fuga, cum Judæa, & Galilæa iam essent vastatae, & Ierosolyma teneretur obsessa. Censent igitur, quæ scribit Lucas, ea refcri oportere ad priorem quandam obsidionem Ierusalē, quæ facta est a Cestio Præside Syriæ, quam memorat Josephus lib. 2. de Bello Iudaico, ca. 24.

13 Coeterum communis sententia, cui adstipulantur Peterius, Cornelius, ac Tirinus, docet, intelligendum D. Lucam non de obsidione Cestij, sed de postrema Titi, quæ nempè desolationem Urbi, & summum Judæis exitium attulit; illa quippè prior obsidio Cestij, ut ipse Josephus narrat, nec plena fuit, & fuit brevissima, quæque non fregit animos Judæorum;

438 *Sacra Chronologic, dissert. quartadesima:*  
sed audaciam magis auxit. Etenim Cestius pa-  
lo postquam obsidere cooperat Urbem, cum  
eam brevi, & facile capere potuisset, renente  
solata obsidione, similis fugienti, magno suo de-  
decore, ingenique suorum strage diucessit. Mox  
enim inseguentes eum magna frequentia Ju-  
dæi, vehementiusque prementes, ad sex millia  
militum, partim equitum, plurimum vero  
peditum interfecerunt. Proinde haud de  
Cestij hac obsidione eloqui D. Lucam, sed po-  
gius de ultima, quam excidium Urbis Jerusalem,  
& Templi, maximaque Judæorum calamitas  
consequuta est, perspicue colligi videtur ex ver-  
bis, quibus eam obsidionem D. Lucas descrip-  
xit, sic enim ait: *Cum videritis circumdari ab*  
*exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinqua-*  
*vit desolatio eius, O quia dies ultionis hi sunt; erit*  
*enim pressura magna super terram, O ira populo*  
*huius, O eadeat in ore gladij, O captivi ducentur*  
*in omnes Gentes, O Ierusalem calcabitur à Genti-*  
*bus, donec impleantur tempora nationum.* Porro  
haec verba Lucae in obsidionem Cestij nullo mo-  
do convenient; ad illam vero Titi Imperatoris  
mirificè quadrant.

14 Et profectò licet tunc obsessis in Jerusa-  
lem nulla erat fugienti facultas, erat tamen ijs,  
qui in reliqua Judæorum regione versabantur,  
de quibus nominatim Salvator noster loquitur.  
Quanquam quod ille dixit de abominatione de-  
sos

solationis, non tām signum esse voluit ad fugiendum, quām ad intelligendum impendere genti Judæorum irrevocabilem calamitatem, & excidium nullo tempore reparabile. Illud verō, qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes, significat, tantam fore cladem, ut nullibi salvis, & tutis esse liceat Judæis, nisi in invijs, & inaccessis locis. Sic apprimē doctus P. Petetius interpretatus planior tamen, & verbis Divi Matthæi congruentior videtur expositio prælibata P. Cornelij, cui adsentitur P. Titinus in Cironico, cap. 50. ad finem Imper. Neronis. Et capit. 24. D. Matth. ¶. 15. ac Daniel. cap. 9. ¶. 27.

15 Nihilominus valde probabilis est sententia, D. Irenæi lib. 5. cap. 25. cui adhærere videtur Eximus Doct. P. Suarez, tom. 2. in 3. par. disp. 54. Sect. 5. videlicet, appropinquantis desolationis signum esse Antichristum, sedentem in Ierosolymitano Templo; sic enim expoant verba Christi Domini apud Div. Matthæum capit. 24. D. Hilarius can. 25. in Matth. D. Ambrosius lib. 10. in Lucam. Quod si opponas, ex cap. 9 Danielis constare, Templum Ierosolymitanum nunquam esse instaurandum, nam usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio. Respondetur, satis videri desolationem perseverare usque ad finem, quandoquidē usque ad Antichristi tempus Templū instaurandum non est. Deinde etiam tunc non propterea instaurabitur,

440 *Sacra Chronologic.dissert.quartadecima:*  
non solum materialiter, quia fortasse tam brevi  
tempore non integrè, & perfectè, sed ut cunque  
reædificabitur ; sed etiam formaliter, (quod ad  
rem maximè spectat) quia non instaurabitur in  
Templum veri Dei, sed in sedem Antichristi.

16. Nam licet fortasse in principio ad deci-  
piendos Judæos Antichristus simulaturus sit, se  
velle instaurare Templum in cultum Dei, ut Cy-  
rillus Jerosolymitanus notavit *catechesi* 15. ta-  
men re vera, & ex animo non id faciet, nisi ob  
gloriam suam , & vt ipse in eo colatur ; & ita  
semper manebit desolatio , & abominatio deso-  
lationis usque ad finem.

17. At dices iterum, quomodo ergo Aposto-  
lus secunda Epist. ad Thessal. cap. 2. ¶ 4. vocat  
Templum Dei, sedem Antichristi, de quo ait : *Ita*  
*vt in Templo Dei sedeat*, ostendens se tanquam  
*sit Deus*: Et Christus Dominus etiam nuncupat  
*locum sanctum*. Mathei, cap. 24. Respondetur,  
sic appellari illum locum à primæva eius insi-  
tutione, & dedicatione ; fuit enim ille sanctus,  
& in Templum Dei electus , licet fuerit profa-  
natus, sic Exim. Doct. P. Suarez , concinitque  
Illustrissimus , & Sapientissimus Dominus D.  
Marcellinus Siuri in *Theologia de Novissimis*,  
tract. 10. cap. 4. num. 48. ac P. Tirinus in dictum  
locum *Apost. ad Thessalonicenses*.

18 Tandem subiungo ex P. Cornelio, quòd  
et si in *Danielis* cap. 9. ¶ 27. de Antichristo non  
sit

fit sermo ad literam; allegoricè tamen hæc abominatio, quæ fuit tempore Titi, typus fuit & præludium abominationis, quam faciet Anti-Christus. Unde Christus Dominus, Matth. 14. Et Marci cap. 13. utramque complectitur, cum ab excidio Urbis Ierusalem gradum facit ad ex-cidium orbis, & hoc eum illa coniungit, ut vnum, & idem esse videatur, tempè sicut typus idem est cum antitypo, non physicè, sed typicè, & representativè.

19 Sed aliquando tandem, in Dissertatio-ne ista, ipsa sua obscuritate clarissima, & multitudine, ac dignitate eorum, qui de ea disseruerunt, nobilissima, quin etiam varietate senten-tiarum maiori forsitan, quam in alijs disceptationibus, celeberrima, ad metam pervenire fas sit, utinam faustè: ideoque quidquid utilitatis, & opis Lectori fuerit meo, vel non insciè dictum in honorem gloriamque destino Dei Opt. Maxt. eiusque Augustissimæ Matri Virginis Matiæ, nec non Societatis Jesu Protoparentis D. Ignatij, ac SS. Borgiæ, & Xaverij.

OMNIA SACROSANCTÆ MATRIS

Ecclesiæ, sapientumque correctioni  
libens subiicio.

F I N I S.

INDEX

# INDEX

## ANTELOQUIORUM.

**A**ntelogo. 13. Utrum Sacrae Scripturae verba aliquando significant unam, eandemque rem mysticè, & literaliter? fol. 1.

Antelogo. 14. Utrum neceesse fuerit, ipsos Scriptores sacros, ac Prophetas cognoscere omnes sensus literales, & mysticos verborum suorum? fol. 8.

Antelogo. 15. Sensus omnis mysticus in sensu literali vero fundari debet: exponunturque in id text. Apost. 2. ad Corint. cap. 3. v. 6. Et lib. 2. Reg. cap. 7. v. 14.

Antelogo. 16. Alia de sensu mystico prestringit. fol. 26.

Antelogo. 17. De sensu accommodatitio. fol. 31.

Antelogo. 18. Alia de sensu accommodatitio delibat. fol. 38.

---

# INDEX

## DISSERTATIONUM, ET SECTIONUM.

**D**issert. 11. De libro Estheris Canonica auctoritate, & quisnam eius Author extiterit. fol. 43.

Sect. 1. Canoniam totius libri Esther ostendit auctoritatem. Ibi dem. Sec.

# INDEX.

Sect. 2. Chronologicę difficultates ad intelligentiam  
huius libri proponuntur. fol. 52.

## DISSERTATIO DUODECIMA.

De Assuero Estheris marito, elucidatur Danielis  
cap. 9. v. 1. fol. 55.

Sect. 1. Utrum Assuerus, Estheris maritus, fuerit  
idem, qui Darij Medi Pater? Ibid.

Sect. 2. Quisnam fuerit Darius Medus, de quo  
Daniel cap. 9. fol. 59.

Sect. 3. Potior alia opinio de Dario Medo apud  
Danielem cap. 9. proponitur, & deseritur. f. 67.

Sect. 4. Communior, & verior sententia proponi-  
tur, & probatur. fol. 70.

Sect. 5. Sententia afferens, Cambysem fuisse Assue-  
rum Estheris maritum reiicitur. fol. 76.

Sect. 6. Aliud excinditur Hebraorum argumentum,  
non recte diductum ex lib. 2. Esdræ, capit. 12.  
v. 11. & 22. fol. 82.

Sect. 7. Refellitur sententia, afferens, Xerxem pri-  
mum fuisse Assuerum Estheris maritum. fol. 90.

Sect. 8. De Artaxerxe Ocho inquirit, fuerit ne Af-  
suerus Estheris maritus? fol. 94.

Sect. 9. Proponitur, ac oppugnatur sententia affe-  
rens, Assuerum Estheris maritum fuisse Artaxerxem Mnemonem. fol. 97.

Sect. 10. Darium Hystaspidem non fuisse Assue-  
rum Estheris maritum, ostensit. fol. 101.

Sect. 11. Nostra sententia proponitur, & proba-  
tur. fol. 110. Sect.

# INDEX.

- Sect. 12. Argumentis it obviam. fol. 113.  
Sect. 13. Alia argumenta infringit. fol. 123.  
Sect. 14. Elevatur obiectio ex eo petita, quod turbæ  
Aman de oscidendis Iudaïs haud evenire potue-  
runt sub Artaxerxe Longimano. fol. 132.  
Sect. 15. Utrum iusta fuerit querela, & vindicta  
Estheris de hostibus suis. fol. 138.

## DISSERTATIO TERTIADECIMA.

- De tempore quo Judithæ evenit historia. fol. 148.  
Sect. 1. Libri Judith Canonicam præmittit autho-  
ritatem, & sententias refert circa tempus, quo  
Juditha floruit. Ibid.  
Sect. 2. Nostra sententia de Judith tempore propo-  
nitur, & fulcitur. fol. 152.  
Sect. 3. Alijs sententiam nostram stabilit argu-  
mentis. fol. 166.  
Sect. 4. Ex Babyloniorum Regum Chronologia sen-  
tentia nostra confulcitur. fol. 171.  
Sect. 5. Ex obiectionum solutione confulcitar ma-  
gis nostra sententia. fol. 180.  
Sect. 6. Obiectio ex eo desumpta, quod Babylonij  
Reges non in Ninive regnabant: ac de Ninives  
destructione plura, quæ conferunt, expediuntur.  
fol. 186.  
Sect. 7. Enodantur aliæ difficultates circa Ninives  
eversionem, præsertim ex Tob. cap. 14. v. 5. Et  
Nahum, cap. 2. fol. 202.  
Sect. 8. Alia disiunctur argumenta. fol. 215.

DIS-

# INDEX.

## DISSERTATIO QUARTADECIMA.

*De Hebdomadibus Danielis, & earum initio, ac fine, pro expositione huius sanctissimi vatis, capit. 9. V. 24. 25. 26. & 27. fol. 230.*

Sect. 1. *Quid Hebdomadis nominis in nostro textu intelligendum veniat?*

*Disquiritur pricipue, sint nec Hebdomades annorum?*

*Et quot annos unaquaque completatur. fol. 232.*

Sect. 2. *Anni Hebdomadarum, quas Daniel predixit, sint nec Solares, aut Lunares intelligendi?*  
fol. 236.

Sect. 3. *Nostra sententia secunda probatio ex eis quod Hebdomades abbreviata dicantur a Daniele. fol. 245.*

Sect. 4. *Sententias refert de initio septuaginta Hebdomadarum. fol. 250.*

Sect. 5. *Sententia, quae nobis potior appareat, proponitar, & expeditur. fol. 255.*

Sect. 6. *Eadem sententia ex successione Imperatorum Persicis, & recta Chronologia firmatur, ostenditurque, anno vigesimo Artaxerxes Longimani initium habuisse Hebdomades a Daniele pranuntiatas. fol. 259.*

Sect. 7. *Alijs argumentis nostra sententia de initio septuaginta Hebdomadum stabilitur. fol. 265.*

Sect. 8. *Ex Chronologia Regum Persicis, & Ligidarum in Aegypto confirmatur iterum sententia eadem. fol. 270.*

Sect.

# INDEX.

- Sect. 9. Ex Chronologia Imperij Persarum, & Regni Grecorum alia deducitur nostra sententie probatio. fol. 279.
- Sect. 10. Objectionem ab Scaligero institutam proponit. fol. 283.
- Sect. 11. Argumentis Scaligerti fit satis. fol. 286.
- Sect. 12. Eiusdem objectionis ulterior solutio. fol. 298.
- Sect. 13. Duo alia Scaligeri infringit argumenta. fol. 301.
- Sect. 14. Emergens quedam difficultas circa tempus adificationis Templi à Zorobabele, & socijs conditi, elucidatur: ostenditurque nullum ab Herode constructum Templam: ac locus D. Ioan. cap. 2. v. 20. ut intelligendus veniat? fol. 306.
- Sect. 15. Scaligeri objectionis reliquum defringit, expenditque Zachariam cap. 7. v. 5. Et Daniel. cap. 10. v. 2. & 3. fol. 320.
- Sect. 16. Aliud Scaligeri proponit, disicitque argumentum. fol. 331.
- Sect. 17. Obiectio alia proponitur. fol. 340.
- Sect. 18. It obviām pralibate obiectioni; ostendit que non 23. sed 20. Artaxerxes anno perfectum fuisse murum Ierusalem. fol. 344.
- Sect. 19. Eandem dirimit obiectiōnē, & ostendit Themistocilem, non ad Ariacerarem, sed ad Xerxem configisse. fol. 351.
- Sect. 20. Aliam infringit obiectiōnē ex lib. i. Esdras

# INDEX.

- drę, cap. 7. V. 18. 19. & 20. fol. 360.  
Sect. 21. *Alia elevatur obiectio.* fol. 368.  
Sect. 22. *Exponit primam sententiam circa terminum septuaginta Hebdomadum.* fol. 374.  
Sect. 23. *Secunda ratio terminandi Hebaomades septuaginta.* fol. 378.  
Sect. 24. *Tertia enodatio finis Hebdomadarum septuaginta.* fol. 379.  
Sect. 25. *Sententiam, quę sacro textui magis consona videtur, proponit, ac fulcit, ostensitque, legem veterem in morte Christi Domini extinctam fuisse.* fol. 382.  
Sect. 26. *Nostram sententiam circa septuaginta Hebdomadum tempus denuò stabilit.* fol. 391.  
Sect. 27. *Fit satis Chronologicę cuidam obiectioni.* fol. 396.  
Sect. 28. *Ut intelligenda veniant verba illa Angelii? Usque ad Christum Ducem Hebdomades septem, & Hebdomades sexaginta duæ erunt.* fol. 403.  
Sect. 29. *Refellit varies Judeorum errores de subiecto vaticinitij Danielis, & Gabrielis Archangelii?* fol. 406.  
Sect. 30. *Idem institutum perficit, & præcipue ostendit, non esse intelligendum Daniëlem de Templo, nec de Hircano.* fol. 414.  
Sect. 31. *Quasdam alias enodat difficultates.* f. 431.

INDEX

# INDEX

QUÆSTIONUM, ET LOCORUM SACRÆ  
Scripturæ, ad quæ illæ referuntur.

**Q**UÆST. 1. Utrum Sacre Scripturæ verba aliquando significant unam eandemque rem mysticè, & literaliter? pag. 1. usque ad 8. Exponitur Isaias, cap. 14. v. 12. Et capit. 53. v. 4. Ezechiel, cap. 24. v. 14. Osee, capit. 11. v. 1. Matthæus, cap. 13. v. 23.

Quæst. 2. Utrum necesse fuerit, ipsos Scriptores sacros, ac Prophetas cognoscere omnes sensus litterales, & mysticos verborum suorum? pag. 8. ad 17. Exponitur Genes. cap. 41. Numer. cap. 22. v. 28. lib. 1. Paralip. capit. 2. v. 52. & 54. Daniel 5. v. 7. Et cap. 12. v. 8. Zacharias, cap. 6. v. 5. Jonas, cap. 3. v. 4. Joannes in Evang. capit. 11. v. 49. & 51.

Quæst. 3. Utrum omnis sensus mysticus in sensu literali vero fundari debeat? à pag. 18. ad 26. Exponitur lib. 2. Reg. cap. 7. v. 14. Paralipom. lib. 1. cap. 28. v. 5. 6. & 7. Pauli Epist. 2. ad Corinth. cap. 3. v. 6.

Quæst. 4. An ex sensu mystico firmum, ac irrefragabile duci possit argumentum? à pag. 26. ad 31. Exponitur Genes. cap. 25. v. 23. Numerorum,

# INDEX.

rum, cap. 21. ¶ 9. lib. 1. Reg. cap. 20. ¶ 22. 23<sup>2</sup>  
¶ 38. Psal. 18. ¶ 5. Jonas capit. 2. ¶ 2. Moltb.  
cap. 12. ¶ 40. Apost. ad Roman. cap. 9. ¶ 13. Et  
cap. 10. ¶ 17.

Quæst. 5. Utrum Sacri Scriptores aliquando alterius Scriptoris verba per solam accommodatiō  
nem referant? à pag. 33. ad 37. Exponitur Tobias, capit. 2. ¶ 6. Amos, capit. 8. ¶ 10. Ma  
chabæorum, cap. 1. ¶ 41. Actorum, cap. 17  
¶ 28. Epist. ad Titum, capit. 1. ¶ 12. ¶ 13.  
Apocalip. cap. 21. ¶ 4.

## EX DISSERTATIONIBUS.

Quæst. 6. Utrum liber Esther quoad omnes suas  
partes sit Canonicus? à pag. 43. ad 51.

Quæst. 7. Utrum Assuerus Estheris maritus fuerit  
idem, qui Darij Medi pater? à pag. 55. ad 59.  
ad intelligentiam Danielis, capit. 9. ¶ 1. Expo  
nitur Esther, cap. 1. ¶ 1. Et capit. 4. ¶ 7. ¶ 8.  
Jeremias, cap. 51. ¶ 11.

Quæst. 8. Quisnam fuerit Darius Medus, de quo  
Daniel cap. 9. ¶ 1. à pag. 59. ad 75. Exponitur  
lib. 4. Reg. cap. vlt. ¶ 27. Isaías, capit. 46. ¶ 1.  
Jerem. cap. 25. ¶ 15. Et capit. 27. ¶ 7. Et capit.  
56. ¶ 2. Daniel, cap. 6. fine. Et capit. 8. ¶ 3. of  
tenditurque, bunc Darium Medium non fuisse  
avum Baltasaris, ultimi Chalæorum Regis, nec  
nepotem Magni Nabuchodonosoris, aut Cýrum,  
nec rursus Darium Hyaspidem, neque Astyag.

## INDEX.

gem, avum Cyri, sed potius fuisse filium Asyagis, & avunculum Cyri.

Quæst. 9. Vtrum Cambyses fuerit Assuerus Estheris maritus, à pag. 76. ad 90. Exponitur lib. I. Esdræ, cap. 4. ¶ 3. 5. ¶ 24. Et lib. 2. Esdræ, cap. 12. ¶ 26. tum cap. ult. ¶ 28. Esther, cap. 3. ¶ 7. Et cap. ult. ¶ 16. Daniel, cap. 11. bisque locis ostendatur tempus, & diuturnitas vite Esdræ.

Quæst. 10. Vtrum Xerxes primus fuerit Assuerus Estheris? à pag. 90. ad 94. ubi Scaligeri sententia refellitur.

Quæst. 11. An Artaxerxes Ochus fuerit Assuerus Espheris? à pag. 94. ad 97. exponitur Aggaus, cap. 1. ¶ 1. Zacharias, cap. 1. ¶ 1.

Quæst. 12. Fuerit ne Artaxerxes Mnemon, aut Darius Hyrcaspides Assuerus Estheris? à pag. 97. ad 110. Exponitur lib. 1. Esdræ, cap. 7. ¶ 23. lib. 3. cap. 3. ¶ 1. cap. 4. ¶ 43. Espher, cap. 1. ¶ 2. cap. 2. ¶ 7.

Quæst. 13. Vtrum Artaxerxes Longimanus fuerit Assuerus Espheris? à pag. 110. ad 138. ad intelligentiam lib. 2. Esdræ, cap. 1. ¶ 2. 3. 4. ¶ 11. Et cap. 4. ¶ 6. 7. 8. ¶ 9. cap. 6. ¶ 5. ¶ 6. Judith, cap. 1. ¶ 2. ¶ 4. capit. ult. ¶ 28. Esther, cap. 2. ¶ 1. 6. 7. ¶ 8. cap. 4. ¶ 11. cap. 9. ¶ 12.

Quæst. 14. Vtrum iusta fuerit querela, & vindicta Espheris de hostibus suis? Exponitur Genes. cap. 9. ¶ 21. Exod. cap. 20. ¶ 5. Deuteronom. cap. 17.

# INDEX.

pit. 24. ¶. 16. Sapient. cap. 12. ¶. 15. Ecclesiastes  
et, cap. 16. ¶. 5. Ezechiel, cap. 13. Esther, cap. 9.  
¶. 1. cap. 16. ¶. 20. ¶. 21.

Quæst. 15. Utrum Judithæ historia pertineat ad  
tempus post Babyloniam captivitatem seu an-  
te illam ad Manassis regnum? à fol. 148. ad  
230. ad intelligentiam totius fere lib. Judith.

Quæst. 16. Quisnam fuerit Nabuchodonosor Rex  
Assyriorum, de quo Judith, cap. 1. ¶. 5. capit. 2.  
¶. 1. cap. 3. ¶. 2. à pag. 155. ad 166. Exponitur  
Judith, cap. 1. ¶. 5. cap. 4. ¶. 1. ¶. 3. Sophonias  
cap. 2. ¶. 15. Nahum, cap. 2. ¶. 8. cap. 3. ¶. 3. 8.  
¶. 10. ostenditurque multiplex Ninives exercitio.

Quæst. 17. Utrum Judithæ referenda versat ad fo-  
gie, aut Sodecia tempora, à pag. 166. ad 171.  
Expenditur Judith, cap. 16. ¶. 28. ¶. 30. addu-  
cuntur prater alia scriptura loca, Reg. lib. 4. ca-  
p. 22. ¶. 8. cap. 23. v. 4. ¶. 24. Judith, cap. 4.  
v. 5. 7. ¶. 11. cap. 15. v. 9.

Quæst. 18. Utrum ex Babyloniorum Regum Chro-  
nologia, subducatur, Judithæ victoriam ad Ma-  
nassis regni annum nonum esse referendam? à  
pag. 171. ad 180. Exponitur lib. 4. Reg. ca. 18.  
v. 1. ¶. 13. Et cap. 20. v. 12. Isaiae, capit. 31.  
v. 8. cap. 36. v. 1. cap. 37. v. 30. Judith, capit. 2.  
v. 1. ¶. 4.

Quæst. 19. Utrum Arphaxad sit Detoces Medorum  
Rex, ¶. an ipse adificaverit Ecbatanam? à pag.

## INDEX.

180. ad 186. ad intelligentiam Judith, capl. II  
v. 1. 2. ♂ 3.

Quæst. 20. Utrum Nabuchodonosor, de quo in capl. 1. Judith, quem in quæst. 10. diximus fuisse Merodach Baladam, extiterit Rex Assyriorum, adeoque in Nineve regnavet? à pag. 186. ad 202. ad intelligentiam Judith, cap. I. ♂ 2. exponiturque libri 4. Reg. cap. 19. ¶ 36. cap. 20. ¶ 21. lib. 2. Paralip. capl. 32. ¶ 31. Et capl. 33. ¶ 11. Isai. cap. 37. ¶ 37. Jerem. capl. 50. ¶ 2. Jonæ. cap. 3. ¶ 3. ♂ 4. agitura que in hac quæstione de Assyriorum Regibus à Sardanapalo usque ad Assaraddonem, quo devicto à Merodach Babyloniorum Rege, penè totum Assyrium Imperium in victoris potestatem translatum fuit.

Quæst. 21. Quando, ♂ à quo Babylonio Rege funditus eversa, ♂ solo aquata Nineve fuerit? à pag. 202. ad 215. ad intelligentiam Tobia, capl. 14. ¶ 5. ♂ 6. ac iuxta textum Gracum eod. cap. 14. ad finem. Et Nahum, cap. 2. ferè per totum, exponiturque Daniel, cap. 4. ¶ 29. Et cap. 13. fine. Sophonias, cap. 2. ¶ 15. ostenditur etiam diuturnitas vite Tobiae utriusque.

Quæst. 22. Ut intelligenda Achioris verba, Judith; cap. 5. v. 2. 22. ♂ 23. disquiriturque utrum res omnes, que ab aliquo dictæ in sacris libris referuntur, nec essent vere? à pag.

# INDEX.

pag. 215. ad 230. exibeturque ratio, ob quam  
cum Judithæ historia ad Manassis Regis Judeæ  
tempus referenda veniat, nulla de illo Rege in li-  
bro Judith, fiat mentio, sed tantum Pontifi-  
cis, Senatus, & Populi, in idque expenditur  
Paralip. lib. 2. cap. 33. v. 11. & 12. Judith,  
cap. 4. v. 3. & 7. iuxta Vulgatam lectionem, &  
Septuaginta, tūm Judith, cap. ult. fine.

Quæst. 23. An Hebdomades septuaginta apud Da-  
niel, cap 9. v. 24. & seqq. sint Hebdomades  
annerum? à pag. 230. ad 236.

Quæst. 24. Anni Hebdomadum septuaginta quas  
predixit Daniel, sint ne solares, aut potius lu-  
nares intelligendi? à pag. 236. ad 250. expen-  
diturque, cur abbreviate Hebdomades dicantur.

Quæst. 25. Utrum initium harum Hebdomadum  
sumendum sit ab anno vigesimo Imperij Arta-  
xerxis? & quisnam ille Artaxerxes fuerit? à  
pag. 235. usque ad 255. ad intelligentiam Ne-  
bomie, cap. 2. v. 1. 17. & 18. Ecclesiast. ca-  
pit. 49. v. 15.

Quæst. 26. Ut intelligendus veniat Daniel, cap. 9.  
v. 25. inquiens: Ab exitu sermonis, ut iterum  
edificetur Jerusalem, &c. præsertim à pag. 265.  
ad 270. Exponitur Esdras lib. 1. capit. 1. 2.  
& 3. cap. 6. v. 3. 4. 13. & 14. Isai. cap. 44.  
v. 26. Et cap. 45. v. 13. Jeremias, capit. 27.

# INDEX.

- v. 22. Et cap. 29. v. 10. Baruch, cap. 2. v. 34.  
Et cap. 4. v. 23. Daniel, cap. 9. v. 1. & 2.  
Quæst. 27. Utrum ex Chronologia Regum Persarum, & Lagidarum in Ægypto, & Regni Grecorum, ostendatur, Hebdomades septuaginta apud Danielem inchoandas esse ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani? à pag. 270. ad 282.  
Exponitur Daniel, capit. 8. v. 8. Et capit. 11.  
v. 4. lib. 1. Machabæorum, cap. 1. v. 8. & 9.  
Quæst. 28. An Hebdomades Danielis initium habuerint tempore Darij Nothi? à pag. 282. ad 805. ad intelligentiam Esdræ, lib. 1. capit. 6.  
v. 3. & 11. Et lib. 2. seu Nehemiac, capit. 12.  
v. 11. & 22. ostenditurque, Nehemiam non pervenisse ad tempora Jaddi Summi Pontificis, Zorobabelisque, Esdram, ac Josue, filium Josephi non fuisse adeo longævæ vita, ut aliqui opinantur, à pag. 292. ad 298. ad intelligentiam lib. 1. Esdr. cap. 7. v. 1. Et lib. 1. Paralip. cap. 6. v. 7.  
Quæst. 29 Quot annis adificatum fuerit Templum à Zorobabele & socijs conditum? & disquiritur utrum ab Herode constructum fuerit Templum, quod stabat tempore Christi Domini? à pag. 306. ad 320. ad intelligentiam Div. Joan. in Evangel. cap. 2. v. 20. Exponitur Esdras, lib. 1. cap. 6. v. 14. & 15. Aggeus, cap. 2. v. 4. 8. & 10. D. Ioannes, cap. 10. v. 22.

Quæst.

# INDEX.

Quæst. 30. Utrum captivitatis, aut deportationis tempore solemnia, præsertim ieiunia Iudei habuissent? à pag. 320. ad 331. ad intelligentiam Zacharie, cap. 7. v. 5. Exponitur Sther, cap. 9. v. 20. 29. & 31. Daniel, cap. 10. v. 2. & 3. traducturque nomina Mensium apud Iudaos ex varijs Sacre Scripturæ locis: Et exhibetur ratio ob quam Daniel dicitur cap. ieiunasse dicitur.

Quæst. 31. Utrum Templum edificatum fuerit tempore Darij Nothi, aut potius Darij Hystaspidis? simulque inquiritur, an Artaxerxes, quæ Ierosolyma edificande facultatem concessit, fuerit Maemon, vel Longimanus? à pag. 31. ad 340. ad intelligentiam Esdrae, lib. 1. cap. 4. v. 6. 7. & 24. cap. 7. v. 1. ostenditurque Asuerum, & Artaxerxem apud Esdram, capit. 4. v. 6. & 7. esse unum, eundemque Persarum Regem, nomine proprio Cambysen: expenditur Esdras, cap. 4. v. 20. & 24. Aggæus, capit. 2. v. 4.

Quæst. 32. Utrum vigesimus annus Artaxerxis Longimani, quo Nebemias è Perside Ierosolymam excurravit, & murum Urbis insauravit, & ex quo anno septuaginta Hebdomades incubandas diximus, sit annus vigesimus ex quo è morte parentis sui Xerxes solus Artaxerxes imperium administravit, sau potius vigesimus ex quo ipse, vivente adhuc parente Xerxe, simul cum eo

# INDEX:

regnare cœpit, cum Xerxes ingentem aduersus  
Gracos expeditionem susciperebat, anno regni sui  
quinto, & consequenter, annus vigesimus regni  
eiusdem Artaxerxis, quo Nehemias solemnem  
urbis adificationem celebravit, fuerit vigesimus  
tertius, ex quo simili cum Xerxes imperare cœ-  
pit, hoc est annus octavus ex quo solus impera-  
vit Artaxerxes? à pag. 340. ad 360. ad intel-  
ligentiam Danielis, cap. 9. v. 25. Esdræ, lib. 1.  
cap. 7. v. 8. Et lib. 2. cap. 1. v. 1. Et capit. 2.  
v. 1. & 11. cap. 6. v. 6. 15. & 16. exponitur  
quoque Esdras, lib. 4. cap. 3. In principio. Of-  
tenditur etiam Themistoclem non ad Artaxer-  
zem, sed ad Xerxem confugisse.

Quæst. 33. Utrum Artaxerxes Longimanus quan-  
do dedit Esdræ omnia que ab illo postulavit, con-  
cesserit etiam facultatem extruendi muros, &  
Civitatem ferusalem? à pag. 360. ad 368. ad  
intelligentiam Esdræ, cap. 1. v. 3. cap. 4. v. 12.  
cap. 7. v. 18. 19. & 20. lib. 2. capit. 4. v. 4.  
cap. 5. 13. tum lib. 3. Esdræ, capit. 4. v. 47.  
& 48.

Quæst. 34. Utrum Hebdomades Danielis inchoatae  
fuerint anno quarta Sedeciae Regis Iudeæ? à pag.  
368. ad 374. ad intelligentiam Jeremiac, capit.  
29. v. 10. & Danielis, cap. 8. fine. Et cap. 9.  
v. 2. & 25. tum Isaiae, cap. 44. fine. Et cap. 45.  
initio disquiritur etiam, an Daniel intellexerit

# INDEX.

determinatè tempus, quo ineboandæ erant Hebdomades septuaginta ab ipso prænuntiatæ?

Quæst. 35. Utrum Hebdomades septuaginta de quibus Daniel, terminatæ fuerint anno quarto post Christi Domini Passionem, adeoque fuerint septuaginta, & dimidia? vel potius in ipso anno mortis Salvatoris fuerint finitæ, à pag. 374. ad 402. ad intelligentiam Danielis, capit. 9. v. 25. & 27. exponitur etiam Genesios, capit. 15. v. 13. Iudicium, cap. 11. lib. 2. Reg. cap. 5. v. 5. lib. 3. Reg. capit. 2. v. 11. Div. Matthæus, cap. 5. v. 17. Et cap. 11. v. 13. Joannis, capit. 19. v. 30. Paulus ad Hebraeos, capit. 9. v. 16. disquiritur etiam ut intelligendum sit quod Daniel dixit cap. 9. v. 27. Et in dimidio Hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: tum quando Lex vetus extincta fuerit.

Quæst. 36. Utrum Christo Domino moriente annus agetur quartus Olympiadis secunda supra ducentessimam, eoque anno contigerit mirabilis Solis eclipsis? à pag. 391. ad 402. ad intelligentiam Danielis, cap. 9. v. 25. exponitar lib. Numerorum, cap. 9. v. 10. & 11. ostenditur, etiam quomodo anni lunares 490. quot continentur in septuaginta Hebdomadibus, possint equivalentre 478. annis solaribus, habita ratione annorum, quos continent Olympiades: & Christum Dominum mortuum fuisse anno vite ipsius trigesimo quarto insunne,

Quæst.

## INDEX.

Quæst. 37. Ut intelligenda sint verba illa Danielis;  
cap. 9. v. 25. usque ad Christum ducem Heb-  
domades septem, & Hebdomades septuaginta  
duxerunt: & rursus v. 26. Et post Hebdomad-  
es sexaginta duas occidetur Christus? à pag.  
403. ad 406. exponiturque Ezechiellis. cap. 45.  
v. 12. assignantur etiam res valde memorabiles,  
que in septem prioribus Hebdomadibus contige-  
runt, tum in sexaginta duabus sequentibus.

Quæst. 38. Utrum sub illis verbis, occidetur Chri-  
stus, apud Danielem intelligi queat Herodes  
Agrippa ultimus Iudeorum Rex: vel Cyrus Ba-  
byloniorum, & Persarum Imperator, seu Zoro-  
babel, & Nehemias? aut si de Christo Domino  
intelligantur, definiatur tempus Adventus Chri-  
sti Domini, hisce septuaginta Hebdomadibus?  
aut tantum quod in hoc tempore Iudei me-  
rebuntur, ut ipse suo tempore veniat? à pag.  
406. ad 414. exponitur Isaías, cap. 45. v. 1. ubi  
Cyrus dicitur Christus, quia per ipsum voluit  
Deus debellari Babylonios, & à septuagenaria  
captivitate liberare Iudeos. Exponitur Daniel  
cap. 9. v. 24. præsertim iuxta Hebraicum fon-  
tem.

Quæst. 39. Utrum prædictus Danielis locus intelligi  
valeat de Templo, aut de Hircano Pontifice,  
principiè verba illa: Ut finem accipiat pecca-  
tum, & yngatur Sanctus Sanctorum? à pag.

# INDEX.

¶ 14. ad 431. Exponitur Daniel cap. 9. v. 23:  
¶ 24. Esdras lib. 1. cap. 6. v. 16. Disquiritur  
etiam utrum Daniel intelligendus veniat meta-  
phorice de adventu Dei per miserationem Popu-  
li, quia in termino prædictarum Hebdomadum  
Deus venit miserando Populo suo, reducendo eos  
de captivitate Babylonica, ¶ reædificando Tem-  
plum, ¶ Civitatem, ¶ vindicando eas de ini-  
micis, scilicet Chaldeis, qui infra illud tempus  
fuerunt destructi per Medos: exponitur Isaias,  
cap. 9. v. 6. ¶ 7. cap. 56. v. 1. Daniel, cap. 9.  
v. 26. ad illa verba: Et non erit eius Populus  
qui cum negaturus est, D. Matth. cap. 27. v.  
20. Marc. cap. 15. v. 11. Lucas, capit. 23. v.  
18. Ioann. cap. 18. v. 4. ¶ AEt. Apostol. cap. 3.  
v. 14. ¶ 15. ¶ redarguuntur perfidi Iudei  
ex scriptis aliorum suæ gentis, qui adventum  
Christi Domini ex hac Danielis prophetia agno-  
verunt.


Quæst. 40. Utrum sub illis verbis Danielis, cap. 9.  
v. 26. Et Civitatem, & Sanctuarium dissipat  
Populus cum duce venturo, & finis eius  
vastitas: intelligendus sit Romanorum exerci-  
tus, ducibus Vespasiano, ¶ Tito: ¶ cur Daniel  
cum prædicta mala, quibus Iudei puntendi-  
rant ob necem Messiae, evenerint plus triginta  
annis post finem septuaginta Hebdomadum, in  
prædictione earum, præfata mala commemoret?  
¶ pag. 431. ad 435. Quæst.

# INDEX.

Quæst. 41. Quænam sit abominatio desolationis de  
qua Angelus, & Daniel, cap. 9. v. 27. ? à pag.  
434. ad 441. exponitur D. Matthæus, cap. 24.  
v. 15. Lucas, cap. 21. v. 20. D. Paulus, Epist. 2.  
ad Thessalonicenses, cap. 2. v. 4.


# FINIS.







10



53

55

211

5.386